D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA

IN HOC VOLUMINE TRICESIMO SEPTIMO

CONTINENTUR :

B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM.

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM OPERUM A PP. QUETIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

AUGUSTI ET ÆMILII BORGNET,

Sacerdotum diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN TRICESIMUM SEPTIMUM

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCVIII

pimus, et in ejusdem misericordia tamquam in firmissima spei nostræ anchora, exspectantes finem consummationis et præmium laboris, quæ est motrix voluntatis, et causa operationis, et inspectrix intentionis. Obsecro ergo in primis misericordiam Dei et omnipotentem Patrem misericordiarum, qui *lucem inhabitat inaccessibilem* [1], ut effugatis lumine suæ claritatis erroris fallacia, falsitatis zizania, vanitatis gloria, det mihi verum intelligere et verum dicere de matre ipsius misericordiæ et veritatis. Obsecro et eos qui præsens opusculum forsan dignabuntur inspicere, ut si quid in ipso ex sui forsitan, ut contingit, novitate aures ipsorum tamquam dubium pulsaverit, non facile adscribant temeritati, sed parcant potius simplici devotioni. Non enim intendimus gloriosam Virginem nostris mendaciis adornare, vel etiam stylo altiloquo capacioribus intelligentiis aliquid novi aut magni cudere, et non gloriosam Virginem laudare, et nosmetipsos ostentare, sed rudibus et simplicibus mei similibus devotionis munus per verba simplicia ministrare. Mecum enim bene agitur, si quamvis nihil dignum reputatione de benedictissima Domina, tamquam indignus vita et minimus scientia, de mei pectoris ore protulero, occasionem tamen de ipsa scribendi et loquendi sapientibus subministrem.

Præsuppositiones.

Ut autem lector in hujusmodi operis materia minus laboris habeat, et continentiam ipsius plenius summatim præcognoscat, quædam quasi principia præmittam, quæ lucem sequentibus ministrabunt: et titulos postponam, per quos materia comprehendatur divisa, et lectori illud quod de materia inspicere pro tempore voluerit, expeditius demonstretur. Quidquid tibi occurrit in ratione faciendum, scias fecisse Deum tamquam bonorum omnium conditorem. Augustinus in libro II de *Libero arbitrio*: « Cum Deus summum ut minimum bonum communicavit, communicavit omne communicabile alicui [2]. » Dionysius: « Proprietates inferiorum habent superiores cum excellentia [3]. » Idem, « Lex quidem hæc est divinitatis sacratissima, per prima secunda ad suam divinissimam reducere lucem, etc. » Item, « Ad omne inconveniens in Deo sequitur impossibile : et ad omne conveniens, cui major ratio non repugnat, sequitur necessarium. » Augustinus : « Auctoritas fidem flagitat, et rationi præparat hominem : ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam nec auctoritatem ratio penitus deserat, cum consideratur cui credendum sit : et certe summa est ipsius jam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas [4]. » Item, « Quærendum est rationi quid consentiat veritati, fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua nec est nec valet auctoritas. » Bernardus : « Ibi unusquisque in sensu suo securus abundat, ubi aut certa rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur non obviat [5]. » Augustinus in libro XII *Confessionum* : « Dum quisquis conatur in Scripturis sacris id sentire, quod in eis sensit ille qui scripsit, quid mali est si hoc sentiat quod tu lux omnium veridicarum mentium ostendis verum esse, etiamsi hoc non sensit ille quem legit,

[1] I ad Timoth. VI, 16.
[2] S. AUGUSTINUS, Lib. II de Libero arbitrio, cap. 9.
[3] S. DIONYSIUS, Lib. de Hierarchia ecclesiast. cap. 5.
[4] S. AUGUSTINUS, Lib. de Vera religione, cap. 24.
[5] S. BERNARDUS, Epist. 77 ad Mag. Hugonem, cap. 18.

cum et ille verum, nec tamen hoc senserit[1]? » Idem, *ibidem* : « Cum alius dixerit quod sensit, quod ego religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videat, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem Deus unus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem alias, quarum falsitas me non posset offendere. » Augustinus, *ibidem :* « Sensit Moyses in his verbis, *In principio*[2], etc., atque cogitavit cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest. » Augustinus in libro *super Genesim*, dicit quod nec in spiritualibus nec in corporalibus aliquid est vacuum. Beatissima Virgo a nullo illustrium vincitur in aliquo. Unde in libro de *Natura et gratia* : « Cum de peccatis agitur, nulla de ea fit quæstio[3]. » Anselmus in libro de *Peccato et conceptu virginali :* « Beatissima Virgo ea puritate nitebat, qua major sub Deo nequit intelligi[4]. » Bernardus in epistola ad Canonicos Lugdunenses : « Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod alteri nemini in natis mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam virginum singulari privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret redemptorem, munus vitæ et justitiæ omnibus obtineret. Ei nullum bonum defuit, cujus pura creatura in statu viæ capax fuit[5]. »

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. XII Confessionum, cap. 31.
[2] Genes. I, 1.
[3] S. AUGUSTINUS, Lib. de Natura et gratia, cap. 38.
[4] S. ANSELMUS, Lib. de Peccato et conceptu virginali, cap. 18.
[5] S. BERNARDUS, Epist. 184.

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

Mariale, sive quæstiones super Evangelium,

Missus est Angelus Gabriel [1], etc.

QUÆSTIO I.

An necesse fuerit Angelum Gabrielem mitti ad Mariam ?

Primo quæritur, An necesse fuerit hanc missionem esse?

§ I.

Et videtur, quod non.

1. Inter quæcumque distantia est nulla, nulla necessaria est missio : sed inter Deum et beatissimam Virginem nulla est distantia ergo nulla debuit intervenire missio. Minor patet : quia Deus fuit cum beata Virgine per suam essentiam, potentiam, et præsentiam, sicut in creaturis est generaliter, et per inhabitantem gratiam, sicut in sanctis est specialiter : ergo cum omnimoda affuit gratia, nullo modo defuit gratia : ergo nulla missio possibilis fuit.

2. Item, Omnis missio est per medium : sed inter ipsam et Deum nullum fuit medium : ergo nulla est missio. Minor patet : quia ipsa fuit dignissima creaturarum, utputa regina Angelorum ab æterno electa et confirmata, juxta illud Ecclesiastici, xxiv, 14 : *Ab initio et ante sæcula*, etc.

3. Item, Missio est propter indigentiam : sed hic nulla fuit indigentia missionis : ergo nulla missio. Minor patet : Deus enim non indiget nuntio qui est ubique totus præsens. Beatissima Virgo etiam non indiguit nuntio, quia immediate poterat accipere a Domino.

4. Item, Nuntius prius accipit nuntiatum, quam ille cui mittitur : ergo si fuit nuntiatio hic, prius descendit illuminatio ad Angelum, quam ad Virginem : ergo descendit inordinate, quod est contra beatum Dionysium dicentem : « Lex quidem deitatis sanctissima hæc, per prima secunda ad divinissimam reducere lucem

[1] Luc. i, 26.

suam[1]. » Vult enim per utrumque liberum arbitrium utriusque hierarchiæ, quod quidquid defluit ad inferiores, influit per superiores, et non e converso.

5. Item, Beatius est dare, quam accipere : ergo beatior est dans in quantum dans, quam recipiens : ergo nuntius beatior fuisset beata Virgine.

6. Item, Sicut se habet finis ad finem, ita id quod est ad finem, ad id quod est ad finem : si ergo nuntiatum est supra nuntiatum per altius improportionabiliter, et nuntius supra nuntium improportionabiliter : et illæ nuntiationes fiebant per Angelos : ergo ista debebat fieri per superiorem omnium Angelorum : ergo Deus debebat istam revelationem facere per seipsum.

7. Item, Majus est dare esse matrem Dei, quam dare fidem, spem, vel charitatem, quia illud includit istud in se : sed illud operatur Christus sine mysterio creaturæ, per se, et minus est : ergo et illud quod majus est.

8. Item, Prophetia prædestinationis impletur sine nostro libero arbitrio, ut dicit Glossa super Matthæum : sed hæc nuntiatio de conceptione Filii Dei, est prophetia prædestinationis : ergo illa non dependet a libero arbitrio : ergo nuntiatio non fuit necessaria propter consensum beatissimæ Virginis.

Ex his ergo videtur, quod non fuit necessaria annuntiatio.

Contra. IN OPPOSITUM arguitur :

1. Alii Sancti sunt nuntiati : ergo et Christus debuit nuntiari.

2. Item, Non est aliquod laudabile nisi constitutum aliquo modo in libero arbitrio, sed fieri matrem Dei est laudabilissimum : ergo fuit necessaria missio vel nuntiatio propter consensum liberi arbitrii.

3. Item, In contractu matrimonii requiritur liberum arbitrium in persona copulanda : ergo in isto summo matrimonio debuit consensus beatissimæ Virginis requiri : ergo ad hoc necessaria fuit missio vel annuntiatio.

4. Item, Clandestinum minuit jura et privilegia matrimonii : sed istud matrimonium in nullo debuit esse diminutum : ergo non debet esse clandestinum : ergo necessaria fuit nuntiatio.

§ II.

CONCEDIMUS, quod congrua et necessaria fuit ista nuntiatio propter quatuor. Respon
Propter Dei honorationem, angelicæ dignitatis ostensionem, beatissimæ Virginis commendationem, et ad nostram utilitatem.

Deus honorabatur in ista annuntiatione tripliciter. Quantum ad potentiam : quia Angelos habuit in ministros. Quantum ad sapientiam, in eo quod modus liberationis nostræ modo perditionis nostræ directe obviavit, scilicet in eo quod Virginem docuit per Angelum, sicut angelus virginem decepit. Quantum ad bonitatem, in eo quod de contingentibus nihil omisit in omni eo quod ad honorem matris suæ necesse fuit. Congrua ergo fuit ad Dei honorationem.

Necessaria etiam fuit ad angelicæ dignitatis ostensionem, quæ similiter ostenditur in tribus. Primo, quia Angelus hæc nuntiando suum officium exercuit. Secundo, quia summi secreti conscius fuit. Tertio, quia summam beatitudinem homini nuntiavit.

Fuit etiam ad beatissimæ Virginis commendationem necessaria, quæ etiam in tribus consistit. Virtus enim Virginis manifestatur, meritum ejus augmentatur, intus et extra illuminatur, et unumquodque illorum triplicatur. Manifestatur enim virtus ejus humilitatis in turbando, virtus discretionis in inquirendo, et virtus fidei in consentiendo. Meritum ejus augmen-

[1] S. Dionysius, De Ecclesiast. Hierarchia, cap. 5.

tatur in tribus : in credendo nuntio, in consentiendo nuntiato, in humiliando se Deo. Intus et extra tripliciter illuminatur, in potentiis primis, mediis, et ultimis : in primis, id est, sensualitate per allocutionem et responsionem, in mediis per imaginationem et cognitionem, in ultimis per internam inspirationem. Et sic annuntiatio fuit utilis ad Virginis commendationem.

Fuit etiam necessaria ad nostram utilitatem : ad hanc quoque tripliciter, ad fidei confirmationem, ad devotionis accensionem, ad actuum informationem. Fides nostra confirmatur in eo quod origo et exordium processus nostræ redemptionis seriatim et ordinate describitur, et sancti Evangelii testimonio roboratur. Devotio accenditur, cum toti humano generi, mediante beatissima Virgine, perfecta pax et reconciliatio nuntiatur, et humana natura Deo abjecta et Angelis inimica, a Deo prior per Angelum salutatur. In hac annuntiatione actus nostri informantur per id quod beatissima Virgo gessit, quando ad ipsam Angelus venit, et per id quod respondit Angelo, et per id quod post receptionem plenitudinis gratiæ fecit, elegantissime instruimur qualiter audita debemus conservare, qualiter nos debeamus ad recuperandam gratiam præparare, qualiter recuperatam gratiam augmentare, qualiter augmentatam conservare.

Et sic patet ad quæ, et ad quid necessaria fuit ista nuntiatio.

§ III.

Solutio objectorum.

Nunc ergo respondendum est ad objecta.

Ad 1.

Primo, ad id quod dicitur objiciendo, quod missio est distantium, dicendum quod distare secundum quod dicitur per oppositionem ad inhabitandum per gratiam, tunc contingit simul inesse cum inhabitatore respectu diversarum gratiarum, ita quod Deus inhabitat per hanc gratiam, distat tamen quantum ad aliam. Unde licet Deus inhabitaret Virginem per gratiam, distabat tamen per corporalem præsentiam.

Ad 2 et alia.

Ad aliud quod objicit, Missio est per medium, dicendum quod est medium dupliciter accipere in operatione. Uno modo secundum quod medium accipit a primo, et influit ultimo, et habet rationem motivi respectu ultimi, ut dicitur in quinto *Physicorum*, quod medium est in quod primum mutat mutans : et tale medium nobilius est ultimo, sicut sunt intelligentiæ apud Philosophos, aut Angeli apud Theologos. Alio modo est medium per quod tamquam per instrumentum est operatio. Et hoc medium quandoque est agentis ad agendum, et quandoque recipientis ad recipiendum, et hoc medium non est dignius ultimo, sicut securis, aut nuntius. Primo modo Angelus fuit medium quoad illuminationem sensitivam secundum quam Angelus fuit superior beatissima Virgine, et nuntiato Christo homine, sicut intellectivum et sensitivum. Secundo modo Angelus fuit medium quoad illuminationem intellectivam in quantum movebat et irradiabat beatissimam Virginem illuminatione sensitiva, sed ipsam illuminationem intellectivam Deus per se infundit mediante intelligentia.

Ad 8.

Ex his patet solutio usque ad ultimum argumentum, quo objicitur, quod prophetia prædestinationis sine nostro libero arbitrio impletur, quod verum est sine nostro libero arbitrio operante, sed non sine libero arbitrio consentiente.

Quod objicitur de indigentia, solutum est in distinctione.

QUÆSTIO II.

Per quem nuntium conveniebat fieri hanc annuntiationem?

Post hoc quæritur, Per quem nuntium conveniebat fieri hanc annuntiationem?

§ I.

Et videtur quod per hominem.

1. Tribus enim modis notificatur incarnatio. Primo, per prophetiam verbalem, vel realem. Secundo, per annuntiationem. Tertio, per digiti demonstrationem. Extrema fiebant per hominem. Ergo et media: quia media participant naturam extremorum.

2. Item, Angelus non ordinatur medius inter hominem et hominem, cum sit super hominem: ergo si extrema fiebant per hominem: ergo et media.

3. Item, Lex et prophetæ usque ad Joannem durarunt [1], qui fuit Propheta prophetando, et plus quam Propheta in demonstrando: ergo quidquid est citra demonstrationem, erit prophetatio: sed annuntiatio erat citra: ergo debebat fieri per Prophetam: ergo per hominem.

Contra. In oppositum hujus arguitur:

1. Nullus hominum fuit beatissima Virgine superior: sed inferioris est recipere a superiori: ergo ipsa non debuit illuminationem accipere ab aliquo homine.

2. Item, Ista beatitudo quæ annuntiatur immediate beatissimæ Virgini, in ipsa et per ipsam annuntiatur toti generi humano: ergo homo fuit hujus recipiens: ergo non debuit esse homo nuntius.

3. Item, Officium hominum est recipere, et Angelorum nuntiare: ergo, etc.

Ex his patet quod homo non debuit esse nuntius [2].

§ II.

Videtur autem, quod Angelus debuit esse nuntius.

1. Ordinarie enim et regulariter illuminationes descendunt a superioribus ad inferiora: sed humana natura est constituta sub angelica: ergo hæc debuit illuminari ab illa.

2. Item, Dionysius philosophus dicit, quod « anima est substantia intellectualis illuminationum a prima causa descendentium, ultima relatione perceptiva: » ergo illuminatio descendit a Deo ad Angelos, ab Angelis ad homines: ergo ista illuminatio fiebat per Angelum.

3. Item, Angeli sunt qui singulis præsunt hominibus et præferuntur, aut verius præficiunt, et sunt immediate prælati hominum: sed denuntiationes et illuminationes descendunt a prælatis in subditos: ergo videtur, quod per Angelum Virgini deputatum debuit fieri ista annuntiatio.

4. Item, Ecclesiastica hierarchia immediate ordinatur ad cœlestem supra se: ergo supremum in Ecclesiastica, erit ad infimum in cœlesti ordinatum immediate: sed beatissima Virgo est supremum in Ecclesiastica: ergo debuit illuminatio-

[1] Matth. xi, 13.

[2] Pro solutione objectionum vide § XXVII, § XXVIII.

nem recipere ab infimo in cœlesti hierarchia.

5. Item, Per totum Evangelium appellatur Angelus, et ita videtur, quod fuit Angelus.

Contra. In oppositum hujus arguitur :

1. Illuminatores sunt superiores eis quos illuminant, sicut vult Dionysius per totum : sed Angeli non fuerunt superiores beatissima Virgine : ergo Angelus non debuit ipsam illuminare.

2. Item, *Quis est iste qui venit de Edom*[1] ? etc. : ubi dicit Hieronymus, quod hæc quæstio est in persona minorum Angelorum ignorantium mysterium Incarnationis : sed si ignoraverunt, ergo non nuntiaverunt.

3. Item, Alibi, *Volavit ad me unus de Seraphim*[2]. Si ergo de majoribus fuit unus qui Prophetam ad prophetandam incarnationem purgabat, nequaquam de minoribus esse debuit, qui ipsam incarnationem nuntiabat.

§ III.

Videtur insuper, quod fuit Archangelus : quia

1. Nuntius ille fuit Gabriel, qui fuit Archangelus, ut Ecclesia supponit : ergo nuntius iste non fuit Angelus, sed ad minus Archangelus.

2. Item, Joannes nuntiatus fuit per Archangelum[3] : ergo et Dominus ad minus.

3. Item, Archangeli sunt qui majora nuntiant, ut dicit Bernardus : sed illud fuit maximum nuntiatum : ergo debebat fieri per Archangelum.

4. Item, Bernardus : « Putamus his præesse Archangelos, qui sunt conscii divinorum mysteriorum, qui non nisi ob præcipuas et maximas causas mittuntur, ex quibus ille Archangelus magnus Gabriel missus legitur ad Mariam, ob causam qua utique major esse non potest[4]. »

5. Item, Cujuscumque est officium aliquod proprium, illius est in illo officio primum, medium et ultimum : sed Archangelorum officium est revelatio secretorum : ergo et ista revelatio summorum secretorum pertinebat ad illorum officium.

§ IV.

Videtur autem, quod nuntius ille debebat esse de Principatibus.

1. Dicit enim Bernardus, quod Principatus sunt, quorum moderamine et sapientia omnis in terra principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur. Sed hic annutiabant mutationem regni et sacerdotii, et ejectionem principis tenebrarum. Ergo debuit fieri per Principatus.

2. Item, Secundum Dionysium Angeli sunt, qui singulis hominibus præsunt aut præficiuntur : Archangeli, qui Gentibus : Principatus, qui principalibus : ergo cum beatissima Virgo nobilissima fuerit princeps, ei debuit fieri revelatio per Principatus.

3. Item, Videtur per proprietates Principatuum, quas ponit Dionysius dicens : « Manifestat autem ipsa cœlestium Principatuum illud quidem deiformiter principale eductivum cum ordine sacro et principalibus decentissimis virtutibus, et ad super principale principium eas universaliter converti, et alias hierarchice ducere ad illud ipsum, quantum possibile formari, principificum principium[5]. » Sed in hac annuntiatione ducebatur beatissi-

[1] Isa. LXIII, 1.
[2] Isa. VI, 6.
[3] Luc. I, 11.
[4] S. Bernardus, Lib. V de Consideratione, cap. 4.
[5] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 9.

ma Virgo hierarchice ad superprincipale principificum principium, quantum possibile fuit. Ergo debebat fieri per Principatus.

§ V.

Videtur autem, quod adhuc superior debeat esse, scilicet de Potestatibus.

1. « Potestates sunt, ut dicit Bernardus, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur [1]. » Hæc autem potestas principem tenebrarum maxime comprimebat : ergo debebat fieri per Potestates.

2. Item, Glossa dicit super *Missus*, quod ideo Gabriel *fortitudo Dei* dicitur, quia illum nuntiabat, qui ad debellandum diabolum veniebat. Hoc autem est Potestatum. Ergo fieri debuit per Potestates.

§ VI.

Videtur etiam, quod debuit esse de Virtutibus.

1. Dicit enim Bernardus : « Virtutes sunt, quarum nutu vel opere signa et prodigia fiunt [2]. » Istud autem fuit omnium miraculorum miraculosissimum. Ergo debuit fieri per Virtutes.

2. Item, Una proprietas Virtutum est secundum Dionysium largitas ad inferiores. Hic autem annuntiabatur maxima largitas, quia plenitudo gratiæ.

§ VII.

Videtur autem, quod debuit fieri per Dominationes, et hoc per proprietates ipsis assignatas a Dionysio [3], quæ sunt liberalis severitas, minutivæ servitutis superioritas, nullius subjectionis egestas, dissimilitudinis immunitas, dominandi ordinata potestas. Omnia ista exercebantur in opere Incarnationis, ubi nos Deus suæ gratiæ liberalitate, et suæ Passionis severitate, ab indigna servitute diaboli et peccati liberavit, et in libertatem filiorum Dei adoptavit, et ab omni contagione dissimilitudinis culpæ et pœnæ emundavit, et nos sibi in regnum et sacerdotium ordinavit. Ergo ista annuntiatio debebat fieri per Dominationes.

§ VIII.

Videtur etiam, quod per Thronos debuit fieri.

Et patet per proprietates Thronorum a Dionysio positas [4], quæ sunt celsitudo, regni circumdatio, stabilis collocatio, regni susceptio, regni delatio, familiaris apertio. Unde Dionysius dicit : « Ipsa altissimarum et compactarum sedium nominatio docet omni diligente exaltari ab ignominia subjectionis, et ad summum supermundane sursum ferens, et ab omni extremitate ineffabiliter in sublimissimum et circa vere excelsum totis viribus immutabiliter et stabiliter collocatum, et divini superadventus in omni impassibilitate et immortalitate acceptivum et delatorium, et familiariter in divinas susceptiones apertum. » Hæc autem omnia completa sunt in beatissima Virgine, quando celsior omnibus creaturis ipsum Deum uteri sui gremio circumdedit, per quod se et nos in æterni regni solio collocavit, et regem gloriæ quem in se suscepit, per totum mundum communicavit, et tanquam familiarissima

[1] S. Bernardus, Lib. V de Consideratione, cap. 4.
[2] Idem, Ibidem.

[3] S. Dionysius, Lib. de cœlesti Hierarchia, cap. 8.
[4] Idem, Ibidem, cap. 7.

mediatrix totum mundum sibi reconciliavit, et per quam tamquam per conjunctissimum sibi medium omne bonum effluxit, et omne genus hominum per se tamquam per portas cœli ad summam familiaritatem Dei Patris introduxit, et per hoc quod ipsum Deum cum homine familiarissime in unam personam conjunxit. Hæc autem omnia annuntiantur in ista annuntiatione. Ergo propriissime debuit fieri per Thronos.

§ IX.

Videtur autem, quod debebat fieri per Cherubim, ut patet:

1. Per proprietates positas a beato Bernardo, qui dicit: « Putemus Cherubim ex ipso sapientiæ fonte ex ore Altissimi haurientes, et refundentes fluenta scientiæ universis civibus suis[1]. » Cum ergo hic annuntiatur prima repletio fontis, qui crevit in fluvium magnum et maximum, cujus impetus lætificat civitatem Dei, utpote plenus gratia et veritate, de cujus plenitudine nos omnes accepimus[2], imo ipse Filius Dei, qui est virtus et sapientia Dei, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei reconditi. Manifestum est ergo quod hæc annuntiatio pertinet ad Cherubim.

2. Item, Videtur per proprietates a Beato Dionysio positas[3], quæ sunt in circuitu esse reductiva, activa, et exemplativa. In circuitu, quia ad totum quod est intrant: reductiva, ut ad Dominum tendant: activa, ut ad eum incedant: exemplativa, ut secundum suum exemplum hoc faciant. In hac autem annuntiatione Beatissima Virgo ita in circuitu fuit, quod magis conjungi Deo, nisi Deus fieret, non poterat. Reductiva etiam fuit, quæ omnem creaturam, quæ per peccatum cecidit, in pristinum statum ducit et reducit. Et in hoc activa fuit: quia illum genuit, qui omnia regeneravit et reduxit. Item, activa fuit, quia ex ipsa et per ipsam et in ipsa quidquid Deus creavit, recreavit, quoniam omnium bonorum est mater. Est et exemplativa, quæ omnis pulchritudinis et innocentiæ speculum ad primam pulchritudinem dirigit, et omnes aberrantes ut stella maris ad portum reducit. Hæc autem omnia hic annuntiabantur. Ergo videtur, quod ad Cherubim pertinebat.

§ X.

Videtur etiam, quod per Seraphim:

1. Per proprietates positas a beato Bernardo qui dicit: « Putemus Seraphim spiritus totos divino igne succensos succendere universa[4]. » Beata autem Virgo igne Sancti Spiritus ita totaliter fuit succensa, ut flamma ignis omnem etiam fomitem libidinis exstingueret, et ipsum Solem justitiæ intra se continens, totum mundum illuminaret et ad Dei amorem accenderet. Cum ergo ista fuit proprietas Seraphim, videtur quod ista annuntiatio pertineat ad Seraphin.

2. Item, Hoc videtur per proprietates assignatas a beato Dionysio, qui dicit: « Prima igitur cœlestium hierarchiarum ab excellentissimis essentiis sanctificatur, ordinem habens omnibus altiorem, hoc est, circa Deum immediate collocatur: et primo operantes theophaniæ et perfectiones in eam tamquam in proximam principalius deferuntur. Et ita mobile eorum semper circa divina, et incessa-

[1] S. Bernardus, Lib. V de Consideratione, cap. 4.

[2] Joan. I, 14 et 16.

[3] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 7.

[4] S. Bernardus, Lib. V de Consideratione, cap. 4.

bile, et calidum, et acutum, et superfervidum, intentæ et forsan intimæ et inflexibilis semper motionis, et suppositorum reductive et active exemplativum tamquam recalificans illa et resuscitans illa in similem caliditatem et igneum cœlitus, et holocauste purgativum, et incircumvelatum, et inexstinguibile, habentemque se sic semper luciformem et illuminativam proprietatem, omnis tenebrosæ obscurationis persecutricem et manifestatricem [1]. » Illa autem summa perfectio charitatis quæ hic describitur, ad Deum ascendendo, et ad proximum descendendo, completa fuit in beatissima Virgine in hac annuntiatione. Ergo manifestum est, quod debuit fieri per Seraphim.

§ XI.

Item. Videtur quod omnes tres primi ordines debebant mitti.

Primus enim ordo nomen habet a charitate, secundus a cognitione, tertius a potestate : sed hæc omnia hic in summo monstrantur : ergo debebat fieri per omnes tres. Minor patet per Joannem Damascenum, qui dicit : « Magnum circa ipsum patefacit clementiæ pelagus. Nam et ipse opifex, conditor et Dominus, pro suo plasmate plasmationem suscepit, opere præceptor effectus est. Et quia spe divinitatis, inimicus seduxerat hominem, carnis prætextu decipitur. Et demonstratur simul et bonitas et sapientia et justitia et potentia Dei. Bonitas quidem : quoniam non despexit proprii plasmatis facturæque propriæ infirmitatem, sed miseratus cadentem, ei manum porrexit. Justitia : quia homine victo, non alio quam homine, fecit vinci tyrannum. Neque violentia a morte diripuit hominem : sed quem olim per peccatum in servitutem redegerat mors, hunc bonus et justus rursus effecit victorem, et simile simili reparavit, quod opus erat. Sapientia : quia rei admodum dubiæ ac difficilis invenit solutionem quamdecentissimam [2]. » Ergo cum hic annuntietur, in quo omnium istorum trium ordinum demonstratur proprietas, videtur quod omnes tres ordines debebant mitti.

§ XII.

Videtur autem, quod omnes Angeli debebant mitti : quia sicut se habet nuntians ad nuntiantem, et recipiens ad recipientem, et negotium ad negotiationem, ita debet se habere nuntius ad nuntium : sed omnia alia hic fuerunt in summo : ergo et ratio nuntii debuit hic esse in summo. Minor patet : non enim major potuit esse nuntians Deo nuntiante, nec major recipiens illa recipiente, quæ fuit suprema in Ecclesia militante, et negotium non potuit esse majus et magis arduum nec utilitate nec dignitate nec novitate : ergo si omnia alia fuerunt hic in summo, et ratio nuntii debuit hic esse in summo : sed rationem nuntii augmentat pluralitas : solemnius enim est multos mittere et magnos, quam unum quemlibet : quanto ergo plures nuntii sunt magni et solemnes, tanto plus solemnizatur annuntiatio : ergo si totum debet esse in summo, oportebat quod omnes mitterentur.

§ XIII.

Videtur autem, quod adhuc superior nuntius esse debuit, scilicet Spiritus sanctus incarnatus.

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 7.

[2] S. Joannes Damascenus, Lib. III de Fide orthodoxa, cap. 1.

1. Hic enim annuntiatur effectus summæ bonitatis: bonitas autem appropriatur Spiritui sancto : ergo debuit fieri per Spirium sanctum.

2. Item, Ista conceptio quæ hic annuntiatur, attribuitur Spiritui sancto : dicitur enim, *Conceptus de Spiritu sancto*, licet tota Trinitas sit operata istam conceptionem : ergo mitti debuit Spiritus sanctus.

3. Item, Ad repletionem Apostolorum mittebatur Spiritus sanctus : ergo multo dignius ad plenitudinem beatissimæ Virginis.

§ XIV.

Videbatur etiam, quod debuit mitti Filius.

« Filius enim, ut dicit Augustinus [1], qui est sapientia, mittitur, cum cognitio de spiritualibus datur. » Hic autem ipsa sapientia per seipsam totaliter infunditur. Ergo Filius mitti debebatur.

§ XV.

Videtur autem, quod Pater debuit mitti.

1. Patri enim appropriatur summa potentia, quæ hic manifestatur in summo : ergo Pater mitti debuit. Minor patet. Magis enim manifestat potentiam recreatio quam creatio, licet utrumque sit ex nihilo, quia in superiorem et in perfectiorem statum ordinatur recreatio quam creatio.

2. Item, In figura hujus incarnationis legitur, quod dixit Samson patri suo : *Vidi mulierem in Thamnata de filiabus Philistinorum : quam quæso ut mihi accipiatis uxorem* [2]. Et infra, ℣. 10 : *Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium.* Si ergo Pater descendit ad accipiendum Filio suo uxorem, videtur quod Pater sit missus ad annuntiandum Incarnationem.

§ XVI.

Quod autem tota Trinitas mitti debuit, videtur,

1. Per auctoritatem Damasceni supra positam, quod in Incarnatione monstrabatur potentia, sapientia, et bonitas simul : et illa appropriantur tribus personis : ergo tres personæ simul debebant mitti.

2. Item, Videtur per ipsum Evangelium, ubi dicitur : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi* [3], etc. In quibus verbis omnes personæ tanguntur, per virtutem Filius, per Altissimum Pater, Spiritus sanctus ponitur in littera.

3. Item, In annuntiatione Isaac, quæ fuit figura istius annuntiationis, dicitur quod apparuerunt tres viri [4], id est, tres Angeli in specie virorum, per quos datur Trinitas intelligi, quia dicitur, quod tres vidit et unum adoravit. Et ibi commiscuit Sara tria sata, id est, deitatem, animam, et corpus. Ergo Trinitas fuit missa ad annuntiandum Incarnationem.

§ XVII.

Ad hæc solventes dicimus, quod in hac annuntiatione triplex missio fuit, et etiam triplicis missionis ratio, una Filii, secunda Spiritus sancti, tertia Angeli. Filii est duplex, una qua mittebatur in Responsio.

[1] S. Augustinus, Lib. IV de Trinitate, cap. 20.
[2] Judicum, xiv, 2.
[3] Luc. i, 35.
[4] Genes. xviii, 2 et seq.

carnem, et illa est incarnatio. Alia est, qua mittebatur in mentem, et illa est interior mentis illuminatio beatissimæ Virginis ad intelligendum[1], et consentiendum verbis angelicis. Missio Spiritus sancti fuit ibi plenitudinis gratiæ infusio, id est, summa virtutum gratuitarum, prout in pura creatura esse potuit in via, perfectio. Missio Angeli fuit ibi intimationis, quia ipsa debebat esse mater Dei, et ideo congruebat ministerialis et exterior ad sensum delatio. Unde Angelus non fuit illuminator, sed illuminationis interioris exterior delator et revelator. Illius autem intelligentiæ cujus opus est in visione, Deus Trinitas per se fuit inspiratrix et interpretatrix, sicut et nuntiati inventrix.

§ XVIII

Solutio objectorum. His habitis, respondemus ad objecta, concedentes quod Filius mittebatur secundum quod dictum est, et Spiritus sanctus mittebatur secundum quod dictum est. Pater autem non mittebatur quantum ad Incarnationem, licet bene aliquod appropriabile sit Patri in Incarnatione. In conditione namque ad missionem alicujus personæ tria exiguntur. Primum est, quod aliquis effectus sit in creatura a tota Trinitate. Secundum est, quod ille effectus sit appropriabilis illi personæ. Tertium est, quod manifestetur processio illius personæ ab altera. Et sic patet, quod Pater non mittitur, prout mitti est idem secundum Augustinum quod cognosci ab alio esse: Pater autem non est ab alio.

Eadem ratione tota Trinitas mitti non debuit: quia sequitur, si Trinitas mittitur, ergo Pater mittitur.

Concedimus etiam rationes quæ probant, quod homo non debuit esse nuntius. Nec obstat, quod lex et Prophetæ usque ad Joannem durarunt[2]. Ista enim annuntiatio non fuit ad demonstrationem Joannis ordinata tamquam aliquod medium. Hæc enim fuit nobilior illa tamquam finis et complementum omnium revelationum et apparitionum præcedentium propter præsentialem exhibitionem luminis, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et fuit completior in ratione illuminandi: quia etiam intus et extra illuminavit luce suæ deitatis mediante, qua testam nostræ mortalitatis accendit, et omnes tenebras profugavit. Joannis autem demonstratio lumen non accendit, sed semiortis et lippientibus oculis solem digito ostendit: nec jam quasi secretum revelavit, sed manifestum incredulis inculcavit. Plus ergo quam Propheta dicitur[3], non propter nobilitatem revelationis, sed propter præsentiam lucis, quam non futuram prædixit, sed præsentem demonstravit.

Item, Concedimus, quod multi Angeli non debebant mitti, quia multitudo repugnat mysterii arcano. Non enim est arcanum, quod multis est cognitum: nec est familiariter et amicabiliter intimatum quod prius est multitudini revelatum. Consequenter concedimus, quod iste Angelus non fuit de majoribus, sed fuit Archangelus, et hoc in beatissimæ Virginis honorationem, quia si quis de superioribus mitteretur, ab ipso illuminari crederetur. De minoribus ergo mittitur, ut ostendatur quod Angelus tantum est negotii ministerialis intimator et exterior delator. Deus enim per se negotii est inventor, salutationis dictator, intelligentiæ inspirator, et mentis ad consensum inclinator, et modi exsecutionis expositor. Unde Angelus requisitus de modo, ad Spiritum sanctum transmittit, dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus*[4], etc. Nam beatissima Virgo, licet in aliis hoc non sit impossibile, nihil tamen

[1] Alias [illegible]

[2] Cf. Luc. xvi, 16.

[3] Cf. Matth. xi, 9; Luc. vii, 26.

[4] Luc. i, 35.

interioris illuminationis accepit ab Angelo : et ut hoc Evangelista signanter exprimeret, et omnem contra hoc opinionem removeret, ipsum qui revera fuit Archangelus, per totum Evangelium non Archangelum, sed Angelum nominavit[1].

QUÆSTIO III.

In qua specie Angelus apparuit?

Post hoc quæritur, In qua specie Angelus apparuit?

§ I.

Et videtur, quod in specie serpentina.

Dicit enim Beda : « Quia mors intravit per fœminam, apte rediit et vita per fœminam. » Si ergo congruebat similitudinem in aliis esse, scilicet ut fœmina esset principium salvationis, et principium perditionis : Angelus principium deceptionis, et principium illuminationis : ergo si serpens fuit instrumentum deceptionis, debuit esse instrumentum illuminationis : ergo Angelus apparere debuit in specie serpentina.

§ II.

Videtur autem, quod apparere debuit in specie columbina. Nam contraria contrariis curantur : ergo si deceptio fiebat per calliditatem serpentinam, illuminatio fieri debuit per simplicitatem columbinam.

§ III.

Videtur etiam, quod debuit fieri in specie humana.

1. Aliæ enim apparitiones fiebant in specie humana : ergo et ista, cum sit complementum et dignissima omnium aliarum.

2. Item, Inter animalia Evangelica Matthæus habet faciem hominis, et plura scripsit de Incarnatione Dei hominis : ergo species humana convenit ad annuntiationem Incarnationis Christi hominis.

Quod concedimus. Responsio.

§ IV.

Ad objecta autem solventes, dicimus quod in specie serpentina non debuit esse illuminatio : quia cum illa non ordinetur ad illuminationem, sed plus ad de- Solutio objectorum.

[1] Cf. Luc. I, 11, 26, et alibi.

ceptionem, cum in deceptione species serpentina congruerit et persuasioni congruissima esset : quia, ut dicit Magister in *Sententiis* [1], venit ad hominem in serpente, qui forte si permitteretur, in columbæ specie venire maluisset. Et infra : « Non ergo nisi per serpentem tentare permissus fuit diabolus, ut per illud quod foris erat, astutiam tentantis animadvertere fœmina quiret. » Unde Augustinus : « Non est putandum, quod diabolus serpentem per quem tentaret elegerit, sed cum decipere cuperet, non potuit, nisi per quod animal posse permissus est [2]. » Unde accidit, quod serpens fuit instrumentum deceptionis : non ergo esse debuit instrumentum illuminationis.

Item, In specie columbæ venire non debuit. Beatissima enim Virgo sensibiliter ab Angelo illuminari debuit : illuminatio autem sensitiva ad cognitionem fit mediante locutione : ergo medium illuminationis debuit esse locutivum : sed nullum sensitivum est locutivum nisi solus homo : ergo debuit fieri in specie humana, ut sicut nobilissimum intellectivum erat quod illuminabat eam interius, utputa Deus : sic etiam nobilissimum esset sensitivum quod illuminabat eam exterius, puta homo.

QUÆSTIO IV.

In quo sexu Angelus apparuerit ?

Post hoc quæritur, In quo sexu ?

Videtur, quod in fœmineo.

Assumptio enim formæ humanæ hic non erat nisi propter eam quæ illuminabatur : ergo quicumque sexus magis congruebat ei quæ recepit illuminationem, per illum sexum debebat fieri : hic autem sexus est fœmineus, nam congruentius loquitur fœminæ fœmina, virgo virgini, et sine perturbatione minori audit virgo virginem quam virgo virum : ergo in sexu fœmineo debuit fieri appellatio.

Sed contra :

Contra. 1. Super illud : *Quæ cum audisset, turbata est* [3], etc., dicit Glossa : « Proprium est virginum ad viri ingressus pavere. » Ergo fuit vir.

2. Præterea, In omnibus operationibus aliis, quæ fuerunt figuræ istius annuntiationis, Angeli apparuerunt in forma virilis sexus : ergo et hic.

Quod concedimus, dicentes ad objecta, quod sexus fœmineus non est illuminativus, sed magis illuminabilis secundum Apostolum qui dicit : *Mulieres in ecclesiis taceant, sed domi viros suos interrogent* [4] : *caput* enim *mulieris, vir* [5]. Unde cum illuminans in quantum talis dignior sit illuminato, potius illuminatio beatissimæ Virginis debuit fieri in sexu digniori. Respons.

[1] Magister P. Lombardus, Lib. II Sententiarum, dist. 12.

[2] S. Augustinus, Lib. XI super Genesim ad litteram, cap. 3.

[3] Luc. I, 29.

[4] I ad Corinth. XIV, 34 et 35.

[5] Ibid. XI, 3.

QUÆSTIO V.

In cujus ætatis specie apparuit Angelus?

Post hoc quæritur de ætate, In cujus ætatis specie apparuit?

§ I.

Et videtur, quod in ætate puerili : quia de eodem est nuntiatio, de quo processit prophetatio : sed prophetia est de puero : ergo annuntiatio est de puero : sed proprietates nuntii debent secundum proprietates nuntiati taxari, ut dictum est, quod Gabriel ideo appellatus est *fortitudo Dei* : ergo in specie puerili apparere debuit, quia puerum nuntiavit.

Contra. Sed contra :

1. Augustinus dicit : « Nuntiare venit id quod erat supra naturam, et quod erat gratiæ, et non naturæ. » Sed quod fœmina concipit, hoc est secundum naturam : quod autem fœmina circumdat virum in utero, erat supra naturam. Ergo Angelus annuntiabat virum : ergo in speciè virili apparere debuit.

2. Item, Annuntiatio Isaac fiebat in specie virili : ergo et ista.

§ II.

Videtur autem, quod fieri debuit in specie juvenili.

1. Senex enim in quantum hujusmodi dicit defectum, similiter et puer, juvenis autem dicit novitatem cum perfectione : hic autem annuntiatur ille qui fuit novus secundum humanitatem, perfectus quoque secundum divinitatem : ergo in specie juvenili debuit annuntiari.

2. Item, Ad idem dicit Dionysius, quod juvenile significat innovantis et semper vitalis virtutis perfectionem [1]. Innovantis, ecce novitas humanitatis. Semper vitalis virtutis, ecce æternitas deitatis. Ergo juvenile novum complectitur humanitatis et æternum divinitatis : ergo in forma juvenili.

Quod concedimus.

Responsio. Ad contrarium autem respondentes, dicimus quod forma juvenilis congruebat illuminationi, et non puerilis vel senilis. Pueri enim nondum perfecte utuntur discretione virtutum et sensuum. Senes deficiunt secundum sensum. Neutra autem conveniebat illuminationi. Ubi autem necessaria est discretio sensuum et vigor organorum, ibi oportet esse convenientem ætatem. Nec obstat eum puerum appellatum fuisse ab Isaia, cum eum etiam *Patrem* appellat *futuri sæculi* [2].

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 15.

[2] Isa. ix, 6.

QUÆSTIO VI.

In qua veste Angelus apparuerit?

Post hoc quæritur, In qua veste apparuerit, cum alibi Angeli describantur vestiti?

§ I.

Et videtur, quod in veste candida: quia

1. Idem concipitur et nuntiatur, qui et postmodum surrexit: ergo in consimili veste et habitu annuntiari debuit: sed in resurrectione apparuerunt Angeli in vestibus albis: ergo et modo.

2. Item, Dicit Gregorius: « Candor vestis signat jucunditatem futuræ solemnitatis. » Sed hic fuit maximum festum quando divinitas humanitati in unam personam copulata fuit. Ergo illud festum Angelus in candore vestis nuntiare debuit.

3. Item, In transfiguratione *vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*[1], qualia non potest fullo facere super terram. Et dicit Glossa, quod tunc ostendit speciem qualem habuit per naturam. Ergo albam vestem per naturam.

§ II.

Videtur autem, quod sordidam et nigram habere debuit vestem.

1. Zacharias enim vidit Jesum sacerdotem magnum indutum vestibus sordidis[2]: et exponit hoc Glossa de inductione quæ facta fuit in Incarnatione: ergo et Angelus hoc annuntians debuit indutus apparere in vestibus sordidis.

2. Item, Psal. xxix, 12: *Conscidisti saccum meum*, etc. Ergo Dominus in Incarnatione induit saccum nostræ mortalitatis, in quo tulit thesaurum nostræ redemptionis: ergo Angelus hoc annuntians debuit indutus esse sacco.

3. Item, Si in resurrectione apparuerunt Angeli in vestibus albis[3], quia annuntiaverunt Christum a passione absolutum: ergo in veste nigra annuntiare debuerunt incarnatum passurum.

§ III.

Videtur autem, quod in veste bicolorata:

1. Unde in Canticis, v, 10, dicit: *Dilectus meus candidus et rubicundus*, etc.

[1] Matth. xvii, 2.
[2] Zachar. iii, 3.

[3] Cf. Matth. xxviii, 3; Marc. xvi, 5; Luc. xxiv, 4; Joan. xx, 12.

Candor signat innocentiam, rubedo patientiam. Hoc autem proprie est Dominica vestis, ita quod nec angelica, nec humana. Angeli enim innocentiam, sed non patientiam habent: homines autem patientiam, et non innocentiam, omnes enim peccaverunt: ipse autem solus innocentiam habuit qui peccatum non fecit, et patientiam qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum: ergo illa vestis sibi soli est propria: ergo Angelus hunc annuntians, debuit esse indutus veste alba et rubicunda.

2. Item, Homo quem vidit Ezechiel, qui figurabat Christum hominem, erat *quasi species electri* [1]: electrum autem habet argentum quod est album, et aurum quod est rubeum: ergo Angelus hoc nuntians debuit esse indutus veste alba et rubicunda.

3. Item, Quærentibus Angelis: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus* [2]*?* Respondit Dominus: *Ego qui loquor justitiam* [3], etc. Quasi diceret: Ego sum solus, qui habeo innocentiam. Et ipsi replicabant: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum* [4] ? etc. Quasi mirantes super decore albi et rubei, id est, innocentiæ et patientiæ: ergo illa est proprie vestis Domini: ergo et Angeli, etc.

§ IV.

Videtur autem adhuc, quod vestis alba esse debuit: quia legitur in Ezechiele [5], quod vidit *virum indutum lineis*, et alios secum sex. Et exponit Gregorius, quod unus solus indutus fuit lineis, id est, quod unus solus sine peccato conceptus fuit.

§ V.

Ad solutionem horum et similium, notandum quod dicit Dionysius de hac materia loquens: « Est autem quando et in nos divinorum judiciorum sint symbola illa quæ acta sunt a sanctis Angelis organa. Aliis quidem declarantibus corrigentem disciplinam, aut punientem justitiam. Aliis vero ab angustia liberantem, aut disciplinæ finem, aut prioris beneficentiæ præsumptionem, aut apparitionem aliorum donorum parvorum, aut magnorum sensibilium, aut invisibilium. Et omnino forsitan non dubitat perspicax animus pulchre invisibilibus adunare visibilia [6]. » Ex hoc autem colligitur, quod omnia quæ fiunt circa formæ assumptionem, in qua fit apparitio, debent visibiliter declarare illud invisibile quod primo et principaliter venit Angelus nuntiare. Responsio.

Dico ergo, quod Angelus iste venire debuit in veste clara, et propter seipsum nuntiantem, et propter recipientem, et propter nuntiatum. Propter se: quia candor vestis innocentiam designat Angeli. Et propter hoc non congruit Angelo vestis alba et rubea: quia non est aptus natus habere innocentiam cum passione. Item, quantum ad recipientem congruebat vestis clara: quia illa quæ concepit, sine peccato fuit, et sine peccato concepit eum qui peccare non potuit: inde totum album et nihil ibi de nigro fuit. Item, sine libidine concepit, et sine dolore peperit: ergo sine rubeo libidinosæ et dolorosæ passionis ista conceptio et nativitas consummata fuit: ergo cum Angelus iste primo et principaliter et per se non intenderet nuntiare nisi Incarnationem, non debuit habere vestem rubrica-

[1] Ezechiel. I, 4.
[2] Isa. LXIII, 1.
[3] Ibid.
[4] Ibid., ℣. 2.

[5] Ezechiel. IX et X passim.
[6] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 15.

tam vel bicoloratam, sed tantum albam. Item, quantum ad nuntiatum : hic enim annuntiatur ille qui primitias massæ nostræ accepit cum solutione pœnæ et immunitate culpæ : et sic in prima puritate et claritate. Item, modus sumendi et procedendi in hac Incarnatione fuit sine corruptione, sine diminutione, sine commixtione, sicut lux procedit de luce : ergo quoad omnia quæ fuerunt in hac annuntiatione, congruebat Angelum venire in clara veste.

Omnes autem rationes et auctoritates quæ probant Dominum sacco vestiri, vel tunica polimita, vel candido vel rubeo vel vestimento sordidato, loquuntur de corpore Dominico secundum statum passionis, et non secundum proprietatem Incarnationis.

QUÆSTIO VII.

Qua hora temporis facta fuit Annuntiatio?

Post hoc quæritur, Qua hora temporis facta fuit Annuntiatio?

§ I.

Et videtur

1. Primo, quod in ortu diei. Opus enim creationis incepit a luce. Genes. I, 3 : *Fiat lux*, etc. : ergo multo fortius opus recreationis, quod est multo nobilius.

2. Item, In Incarnatione incepit dies gratiæ : omnis autem dies incepit a luce : ergo recreatio incepit a luce.

3. Item, Ponitur in *Sententiis*[1], quod sol factus fuit ex luce, sive nubecula : sed creatio solis de nubecula est figura creationis corporis Dominici de beatissima Virgine : ergo illa debuit fieri existente luce : ergo in die.

§ II.

Quod autem in meridie, videtur per figuram : quia

1. Dicitur in Genesi, quod Abraham *sedebat in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei*[2], quando annuntiatus fuit Isaac. Hæc autem annuntiatio fuit figura istius annuntiationis : ergo ista debuit fieri in meridie.

2. Item, Eodem die passus est et incarnatus : ergo eadem ratione et eadem hora : sed passus fuit in meridie : ergo et incarnatus : sed statim ad annuntiationem sequebatur Incarnatio : sed Incarnatio erat in meridie : ergo et annuntiatio facta fuit in meridie.

3. Item, In meridie sol est in altissimo : sed sol in altissimo signat charitatem in summo : hic autem monstrabatur charitas in summo : ergo in meridie.

[1] Magister, Lib. II Sententiarum, Dist. XIV.

[2] Genes. XVIII, 1.

4. Item, Joannes fuit annuntiatus in meridie, qui gessit officium luciferi: ergo multo fortius Christus qui fuit verus sol.

5. Item, Maria Magdalena venit ad monumentum, *cum adhuc tenebræ essent*[1]. Glossa : « Dicitur Maria venire in tenebris, quia adhuc in infidelitate fuit, cum ad Angelos venit : » ergo per oppositum, Angelus ad illam venire debuit in luce, quia Maria fide et dilectione plena fuit.

§ III.

Videtur autem, quod in vespere fieri debuit ista annuntiatio : quia *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*[2], etc. : ergo ista annuntiatio fiebat in vespere, quando est plenitudo diei.

§ IV.

Contra videtur, quod

1. In media nocte : quia *cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo, a regalibus sedibus venit*[3].

2. Item, Isa. ix, 2 : *Populus qui ambulabat in tenebris*, etc. : ergo nox fuit quando lux ista orta fuit, quia in die non ambulabatur in tenebris.

§ V.

[Res]ponsio. Ad hoc dicimus secundum auctoritatem supra positam Dionysii, quod circumstantiæ annuntiantis debent exprimere proprietates annuntiati. Unde cum Angelus iste non annuntiavit tempus incarnandi, nec statum vel proprietates eorum propter quos fiebat, sed tantum ipsam incarnationem cum suis proprietatibus, illa autem incarnatio cum sit ortus veri solis super terram, quod est initium diei, sine superstitionis[4] supercilio credimus, quod hæc annuntiatio fuit in ortu diei, et non in vespere, quia non annuntiabat tempus incarnandi : nec in nocte, quia non annuntiabat statum eorum propter quos fiebat incarnatio : ergo auctoritas illa : *Cum medium silentium*, etc., tangit statum hominis qui fuit in Incarnatione Verbi.

Ad hoc autem quod objicit de Abraham, quod *sedebat in ostio*, dicimus quod per Abraham et fervorem diei significatur fervor desiderii, quem habebant sancti patres ad Incarnationem.

Quod autem objicitur de hora passionis, plus est ad propositum : quia sicut sole mundi ad occasum vergente, congruebat verum solem relinquere mundum, ita decebat ut sole materiali oriente, oriretur simul et Sol justitiæ.

Ad id quod objicitur, quod hic charitas monstrabatur in summo, et ideo decebat in meridie concipi, dicimus, quod in opere Redemptionis, id est, in passione monstrabatur charitas in summo : sed Incarnatio sine passione non fuit opus Redemptionis. Unde licet in se major esset Incarnatio quam passio, tamen summa charitas monstrabatur in passione, ipso Domino dicente : *Majorem dilectionem nemo habet*[5], etc. Unde non fuit summum augmentum quod recipere potest charitas in Incarnatione, quia augmentum, ut dicit Philosophus, est præexistentis magnitudinis additamentum. Unde magnitudini charitatis quæ ostenditur in Incarnatione, facta est additio

[1] Joan. xx, 1.
[2] Ad Galat. iv, 4.
[3] Sapient. xviii, 14 et 15.

[4] Alias *præsumptionis*.
[5] Joan. xv, 13.

charitatis, quæ est in passione, per quam charitas est ultima in suæ perfectionis ostensione : hoc autem congruebat fieri in meridie. Et sic patet, quod aliud tempus congruebat passioni, aliud annuntiationi.

QUÆSTIO VIII.

Utrum in civitate facta fuerit Annuntiatio?

Post hoc quæritur de loco. Et dicit Evangelium, quod fuit *in civitate*[1].

§ I.

Contra hoc sic objicitur :

1. Dominus extra civitatem passus est[2], natus, et sepultus, et resurrexit : ergo et concipi debuit.

2. Item, Dignior annuntiatio debuit fieri in loco digniori, vel ad minus in æque digno : sed annuntiatio Domini dignior fuit annuntiatione Joannis : illa autem in templo fuit[3] : ergo et ista.

3. Item, Inter operationes locales et loca in quibus fiunt, attenditur proportio, sicut quia oratio dignior est quam negotiatio, sic fit etiam in digniori loco, quia oratio in choro, negotiatio fit in foro. Unde Augustinus et beatus Benedictus : « In oratorio nemo aliquid agat, etc. » Oratorium sic dicitur, quod nemo ibi aliquid aliud tractet, quam quod Dei est : unde Dominus in Evangelio : *Domus mea domus orationis vocabitur*[4]. Sed in ista annuntiatione completa fuit dignissima operatio, quia Dominica Incarnatio. Ergo in dignissimo loco fieri debuit : ergo in templo.

§ II.

Ad hoc dicimus respondendo, quod Respon
Dominus in omnibus factis suis principalibus, quæ in mundo gessit, quare in mundum venerit, ostendit : inter homines peccatores natus fuit, ante bovem et asinum jacuit, inter peccatores conversatus fuit et cum ipsis comedit, inter latrones crucifixus fuit, peccatrici resurgens primo apparuit, in omnibus operibus suis ostendens, quod *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*[5]. Non ergo in mari qui locus est piscium, nec in aere qui locus est avium, nec in campo qui est locus animalium agrestium, sed in civitate quæ est proprius locus hominum, concipi debuit, qui propter nos et nostram salutem descendit de cœlo.

[1] Luc. I, 26 : *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ*, etc.

[2] Cf. ad Hebr. XIII, 12.

[3] Cf. Luc. I, 8 et seq.

[4] Matth. XXI, 13.

[5] I ad Timoth. I, 15.

§ III.

olutio objectorum.

Quod autem objicitur, quod extra civitatem natus est, passus, et sepultus, et resurrexit. Dicimus, quod duplex fuit Christi nativitas, in utero, et ex utero. Prima in secreto, secunda in manifesto. Prima congruit in mysterium, secunda in exemplum. In civitate namque concepi debuit et voluit, ut ostenderet quod pro omnibus venit. In via autem natus est, ut ostenderet quod sua vita nobis ad cœlorum regnum via fuit. Extra portam passus est, ad ostendendum quod per ipsius passionem non liberatur, nisi qui per conversionem a peccato ad ipsum extra portam fuerit egressus.

Quod autem objicitur de templo. Dicitur quod locus non sanctificat hominem, sed homo locum : dignius est ergo templum in quo dignior est operatio, et in quo est dignioris habitatio. Sed in oratorio beatissimæ Virginis fuit dignissima habitatio, in quo dignissima et sanctissima omnium creaturarum habitavit, quam ipse Deus sanctificavit, et quam ipse Sanctus sanctorum numquam reliquit, quam Angelorum multitudo frequentavit. Exercebatur autem ibi nobilissima operatio, videlicet nobilissimæ et sanctissimæ orationis et contemplationis devotissima et humillima oblatio. Dignius ergo fuit hoc oratorium illo templo Judaico, in quo fiebat taurorum et vitulorum mactatio, thuris materialis fumosa accensio. Fiebat ergo ista annuntiatio in loco dignissimo. Similiter et Incarnatio fiebat in templo sanctissimo, quia, sicut dicit beatus Bernardus, non fuit in terris locus dignior beatissimæ Virginis utero, qui, ut dicit beatus Augustinus, fuit thronus Dei, thalamus regis cœli, tabernaculum Christi. Tabernaculum utique illud quo *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum.... introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*[1].

Est et alia ratio, quod Dominus voluit in civitate concipi. Dominus enim quando de cœlo descendit, non sine cœlis, nec sine cœlorum regno fuit, sed cœlos cœlorum, imo et regnum cœlorum secum tulit. Hoc enim Lucifer non fecit, quia sicut fulgur de cœlo cecidit[2] : nam descendit, et totum cœlum ibi reliquit, ignem suum tantummodo secum deferens quocumque vadit. Dominus autem id quod fuit, permansit, et ad matrem veniens, de paternis bonis expulsus non fuit, unde numquam cœlorum regnum deseruit : sed quando in utero matris fuit, ipsa Virgo sibi cœlorum regnum fuit. De hac ergo civitate gloriosa dicta sunt : quia omnia quæ ad perfectionem civitatis ordinantur, in beatissima Virgine excellenter inveniri et de ea prædicari possunt. Fuit enim fundata super humilitatem, murata per castitatem, turrita per charitatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, libera immunitate peccatorum, pacificata victoria tentationum, ornata divino munere perelegantium morum, ædificata in refugium peccatorum, virtutum universitate populosa, omnium aquarum, id est, gratiarum fluminibus irrigua, abundans in multitudine miserationum, in alto sita per excellentiam privilegiorum.

[1] Ad Hebr. IX, 11 et 12.

[2] Cf. Luc. x, 18.

QUÆSTIO IX.

Utrum in Galilæa facta fuerit Annuntiatio?

Post hoc quæritur de regione in qua annuntiatus fuit. Et dicit Evangelium, quod in Galilæa [1].

§ I.

Sed contra :

1. Christus Judæis promissus fuit et exhibitus : ergo in terra eorum concipi debuit.

2. Item, In Judæa natus, passus, et sepultus est : ergo et in Judæa nuntiari debuit.

3. Item, Ipse dicit : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* [2] : si ergo eis tantum missus fuit, inter eos concipi debuit.

4. Item, *Salus ex Judæis* [3], et non ex Gentibus : ergo si dicitur, quod propter hoc Dominus in Galilæa natus est, quia Propheta hoc prædixit : *Populus qui ambulabat in tenebris* [4], etc. : hoc nihil videtur esse, cum non propter hoc impleta sit prophetia, quoniam sic prædixit : sed ideo Propheta prædixit, quoniam sic futurum fuit. Unde ubicumque sic dicitur : *Hoc autem factum est ut impleretur Scriptura*, sensus est : Et sic Scriptura impleta est.

§ II.

Dicimus, quod annuntiatio et conceptio Dominica fieri debuit *in Galilæa*, et propter factum quod fiebat, et propter finem ratione cujus fiebat. Responsio.

1. Dominus enim incarnatus fuit, ut Judæos et Gentiles salvaret. Et propterea in regione quæ ab utrisque inhabitabatur, conceptio et annuntiatio fieri debuit. Quod autem ab utrisque inhabitabatur, patet per Prophetam dicentem : *Trans Jordanem Galilææ Gentium* [5]. Et per Evangelistam dicentem : *Ascendit autem Joseph a Galilæa, de civitate Nazareth, in Judæam* [6]. Et sic in regione communi concipi voluit, qui pro omnibus nasci voluit : non enim Judæorum Deus est tantum, sed etiam Gentium [7].

2. Item, Regio illa suo nomine proprietatem Incarnationis manifestissime expressit. Galilæa enim interpretatur *revelatio*, sive *transmigratio*. In hac autem annuntiatione fiebat suorum secretorum revelatio, quando Verbum quod erat in principio apud Deum, et lucem inhabitat inaccessibilem, quam nemo unquam vidit, Verbum hoc, inquam, caro factum

[1] Luc. i, 26 : *In civitatem Galilææ*.
[2] Matth. xv, 24.
[3] Joan. iv, 22.
[4] Isa. ix, 2.
[5] Ibid., v. 1.
[6] Luc. ii, 4.
[7] Cf. ad Roman. iii, 29.

est, et vidit omnis caro salutare Dei, quod librum Legis et Prophetarum apuerit, et omnia ejus signacula solvit, et omnia quæcumque a Patre audivit, nobis nota fecit. Simili modo fiebat hæc transmigratio maxime de ignorantia in scientiam, de culpa in gratiam, de umbra in veritatem, de servitute in libertatem, de timore in amorem, de gravitate in levitatem, de austeritate in benignitatem, de humanitate in divinitatem, quæ transmigratio maxima fuit, quia in ea principium ad ultimum in unam personam transmigravit.

§ III.

Solutio objectorum.

Quod autem objicitur, quod Judæis solis promissus fuit, dicimus quod hoc falsum est : quoniam et Gentibus, sicut patet per omnes prophetas scribentes de vocatione Gentium. Concedimus tamen, quod solis Judæis promissum fuerit, quod Christus de eorum semine nasceretur, et quod eis solis solutum sit. Et sic originaliter salus ex Judæis venit, sed tamen non propter eos solos venit.

QUÆSTIO X.

In qua civitate Christus annuntiari debuit ?

Post hoc quæritur, In qua civitate Christus annuntiari debuit?

§ I.

Et videtur, quod non debuit esse Nazareth.

1. David enim dictum est : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [1]. Ergo videtur, quod potius in civitate David concipi debuit quam in Nazareth.

2. Item, Hoc videtur per Michæam, qui dicit : *Et tu, Bethlehem Ephrata* [2], etc.

3. Item, Videtur per alium : *O Judæa et Jerusalem*, etc. Ergo videtur, quod ista annuntiatio debuit fieri in Jerusalem.

4. Item, Joannis, I, 46 : *A Nazareth potest aliquid boni esse*? Quasi diceret : Bonum quod exspectamus, non venit a Nazareth, sed de Bethlehem : ergo, etc.

5. Item, Nulla prophetia videtur habere, quod Dominus concipiatur in Nazareth.

Si concedatur. Contra :

1. *Egredietur virga de radice Jesse* [3], etc. Ergo videtur prophetatum esse, quod Dominus in Nazareth concipi debuerit.

2. Item, Postquam dixerat Nathanael : *A Nazareth potest*, etc., Dominus quasi approbando et commendando dictum suum, ait : *Ecce vere Israelita*. Ergo videtur intellexisse, quod esset prophetia de Domino incarnando in Nazareth.

[1] Psal. CXXXI, 11.
[2] Mich. V, 2.
[3] Isa. XI, 1.

§ II.

Responsio. Super id quod dictum est, quare in Galilæa et quare in civitate Nazareth concipi voluerit, dicimus quod etiam hoc nomen, *Nazareth*, congruebat, et quod in Galilæa esse debebat. Sicut enim divina generatio, ita et humana, generationi floris de flore assimilatur. Flos enim pullulat de uno germine in decore et odore, cum spe utilitatis in fructu. Similiter Filius secundum divinam generationem procedit de uno qui est in cœlis sine matre, et secundum humanam generationem de una in terris sine patre. Bene ergo in Nazareth conceptus fuit : quia sicut flos de flore sine virili commixtione de sua matre salvo virginitatis decore et matris utilitate processit. Unde Bernardus : « Semina divinæ generationis esse videntur allocutiones et promissiones factæ ad Patres. Floruit ergo hoc semen in mirabilibus quæ sunt ostensa in exitu Israel de Ægypto. Conceptio autem ista hujus seminis et horum florum fructus est Jesus incarnatus : in Nazareth ergo annuntiatur Christus nasciturus, quia in flore specialiter speratur fructus processurus[1]. » Nomen ergo civitatis in qua concipitur, exprimit et statum temporis et finem operis ad quem venit. Cum enim Christus in Nazareth concipitur, hiems transiit, tempus innovationis advenit, fructus appropinquavit, omnibus semen exhibuit, medicinam confecit, sensum refecit, coronandus[2] pauperibus venit. Hæ ergo sunt proprietates florum, propter quas congruebat Christus in Nazareth concipi.

§ III.

Quod autem objicitur de Bethlehem, dicimus quod est intelligendum de nativitate Christi ex utero, et non in utero. Solutio objectorum

Quod objicitur, quod sedere debuit super sedem David, dicimus quod illæ auctoritates loquuntur de modo obtinendi regnum David spirituale secundum jus et actum, et utrumque actum fuit in Judæa et Jerusalem : quia ibi passus est Dominus. Et sic per jus redemptionis regnum obtinuit et accepit super eos pro quibus passus est pietatem, ibidem et resurrexit, et tunc actualiter in throno gloriæ sedit.

QUÆSTIO XI.

Utrum debuerit Evangelista dicere, Ad Virginem?

Post hoc quæritur de hoc quod dicit : *Ad Virginem*[3].

§ I.

Et videtur, quod potius debuit dicere ad mulierem, hac ratione :

1. Per idem genus debuit esse liberatio, per quod intravit damnatio, ut sicut per hominem mors, ita per hominem vita : et sicut per fœminam perditio, sic per fœminam salvatio : sed Heva licet virgo fuerit, per totum tamen appellatur mulier, ubi agitur de perditione nostra

[1] S. Bernardus, Homilia I super Missus est.
[2] Alias commorantibus.

[3] Luc. i, 27.

ergo beatissima Virgo debuit appellari mulier, ubi agitur de nostra liberatione.

2. Item, Ubicumque figuratur ista conceptio mulieris, et non virginis : ergo cum figura debeat respondere figurato, et e converso, hic ubi annuntiatur ista conceptio, deberet describi sub nomine mulieris. Major et Minor patent diversimode in multis locis. Proverbiorum, xxxi, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet ?* etc. Illa fortis mulier est beatissima Virgo, quæ ultimos fines scilicet deitatem et humanitatem in unam personam conjunxit, gignendo sapientiam, quæ attingit a fine deitatis usque ad finem humanitatis fortiter. Item, Lucæ, x, 38 : *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam*, etc. Constat, quod illa quæ suscepit Dominum, fuit beatissima Virgo. Item, *Benedicta tu inter mulieres*[1], Jahel dicitur in figura Dominæ nostræ. Item, Esther : *Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres*[2]. Item, in Evangelio : Mulier miscuit tria sata[3]. Illa mulier fuit beatissima Virgo quæ miscuit tria sata, id est, deitatem, animam, et corpus, et fermentum fuit Virginis fides, ut dicit beatus Bernardus. Et sic manifestum est omnibus figuris istius conceptionis, quod Domina nostra describitur sub nomine mulieris : ergo et hic mulier debet nominari.

3. Item, Dominus in Evangelio frequenter appellat eam mulierem[4] : et omnis sua actio nostra est instructio : ergo et Evangelista debet eam appellare mulierem.

4. Item, In hac annuntiatione impletur prophetia de Incarnatione Filii Dei : sed illa prophetatur expressissime per Jeremiam. *Fœmina*, inquit, *circumdabit virum*[5]. Si ergo ibi prophetatur sub nomine fœminæ, ergo et hic debuit mulier nominari.

5. Item, Omnes aliæ nativitatum annuntiationes fiebant vel ad viros tantum, ut Zachariæ : vel ad mulieres et viros, ut in Isaac et in Samsone : ergo cum tota rota sic in medio rotæ, id est, Novum Testamentum in Veteri Testamento, nulla annuntiatio fieri debuit ad Virginem.

§ II.

1. Item, Videtur quod annuntiatio hæc fieri debuit ad virum. Unde Apostolus, I ad Corinth. xi, 3 : *Caput mulieris, vir.* Unde a capite descendit sensus et illuminatio ad corpus, et non e converso : ergo videtur, quod a viro qui est caput, debeat descendere revelatio ad mulierem.

2. Item, Dicit Apostolus, I ad Corinth. xiv, 34 et 35 : *Mulieres in Ecclesiis taceant :... domi viros suos interrogent.* Ergo revelatio debet innotescere mulieribus per viros.

3. Item, Post nativitatem Filii Dei sic factum fuit, quando Angelus apparuit Joseph in somnis, dicens : *Accipe puerum et matrem ejus*[6], etc., ubi revelatio fugæ videtur a Joseph ad Dominam pervenire. Si hoc post nativitatem Filii Dei quando ipsa dignissima fuit : ergo potius ante.

4. Item quæritur : cum ista sit virgo singularis inter omnes, et multis privilegiis dotata, quare non addatur nota singularitatis, ut dicatur *ad virginem quamdam.*

§ III.

Ad hoc notandum, quod initium peccati est a muliere in ratione mulieris. Heva enim in quantum virgo non perdidit nos, sed in quantum conjuncta fuit viro cum quo copulata generavit : quia, sicut dicit Augustinus, peccatum originale in quantum tale, nascitur ex concupiscentiæ vulnere, quæ connexa est commixtioni seminum : cui vulneri sub- Responsio

[1] Judicum, v, 24.
[2] Esther, ii, 17.
[3] Matth. xiii, 33.
[4] Cf. Joan. ii, 4, et xix, 26.
[5] Jerem. xxxi, 22.
[6] Matth. ii, 13.

jacere non debuit, quæ ut vulnus curaret, venit.

Præterea, generatio temporalis est imago generationis æternæ. Unde sicut æterna est de uno manente incorrupto et indiviso, ita generatio temporalis debuit esse de una incorrupta, hoc est, de virgine. Et sic patet, quod origini perditionis congruebat ratio mulieris, et origini salvationis ratio virginis.

§ IV.

olutio objectorum.

Quod autem objicitur, quod omnes figuræ fiebant sub ratione et nomine mulieris, et omnes annuntiationes ad viros et mulieres factas, et non ad virginem. Dicendum est, quod figuræ et prophetiæ semiplenam lucem continentes omnes deficiunt ab ipsa luce. Unde nulla figura in facto plene potuit exprimere istam annuntiationem ad Virginem : quia nulla alia virgo conceptura unquam fuit, et usque ad Virginem hanc maledicta et opprobriosa virginitas fuit. Hæc autem Virgo opprobrium virginitatis abstulit, et virginitatem consecravit : unde ipsa initium beatitudinis virginitatis fuit : et sic est Virgo virginum, quæ sine præcepto et sine consilio, sine exemplo gloriosum munus virginitatis Deo obtulit, pro quo per imitationem omnes virgines Deo Virgo generavit : ergo quidquid ante eam utilitatis vel dignitatis feminis attribui potuit, hoc sub ratione mulieris et non virginis fieri debuit, ut benedictio virginitatis benedictissimæ Virgini tanquam virginitatis matri pro privilegio sibi proprio servaretur. Prophetiæ autem quæ de ipsa persona beatissimæ Virginis loquuntur, in excellentissimis prophetiis ipsam appellant modo virginem, modo mulierem. Virginem Isaias : *Ecce virgo concipiet*[1]. Feminam Jeremias : *Femina circumdabit virum*[2]. Ad signandum videlicet, quod mater Dei habitura fuerat et virginitatis integritatem, et mulieris fœcunditatem.

Item, Quia virgo futura fuit quæ mulieris peccatum abolevit, et sic quod ista virgo inter omnes virgines singularis fuit, utpute nec primam habens similem nec sequentem, ideo sub nota singularitatis quandoque figuratur ut quoddam castellum, etc., et quædam mulier, etc. Sed quia ipsa vere sola virginitatem in summo habuit, ut infra patebit, ideo *virgo* sine additione antonomastice nominatur. Fuit enim hæc Virgo causa et principium omnium aliorum Sanctorum summa virginitatis puritate, peccati immunitate, peccandi impossibilitate, virginitatem habens cum fœcunditate, mater sanctissimi hominis, mater Creatoris, mater Dei et corporalis hominis, mater omnium hominum spiritualis, mater machinæ mundialis, mater angelicæ restitutionis.

Quod autem objicitur, quod ista annuntiatio debebat fieri mediante viro, respondemus, quod ad eumdem pertinet annuntiatio, ad quem et generatio : unde illi quorum generatio fuit ex commixtione viri et mulieris, illorum annuntiatio fieri debuit ad viros et ad mulieres. Illius autem annuntiatio debuit esse ad solam Virginem, qui solus natus est de sola Virgine. Nec Joseph caput fuit beatissimæ Virginis, maxime quantum ad istam conceptionem, quæ non ab ipso in ipsam, sed tota a Spiritu sancto venit in ipsam.

Quod autem post nativitatem Filii Angelus Joseph fugam nuntiavit, mysterium est, quod ante nativitatem et conceptionem nihil ad Joseph de illo Filio pertinebat, sed post nativitatem beatissimæ Virgini et pauperi Filio Dei, unius saltem servi opera opus erat. Mittitur ergo Angelus Joseph injuncturus ei servitium quod facturus erat : et quia facilis erat fidei et promptæ obedientiæ, levi

[1] Isai. vii, 14.

[2] Jerem. xxxi, 22.

illuminatione utpote in somnis indiguit, quam ab Angelo accepit, ut sciret quid faceret, non ut faciendum beatissimæ Virgini intimaret, quæ prius quam ipse sciebat quidquid ad ejus beatitudinem vel operandi necessitatem pertinebat. Nec ad hoc aliquo indigebat internuntio vel homine vel Angelo : quia illum habebat in gremio, qui est Doctor et Magister in cœlo.

QUÆSTIO XII.

In quo actu beatissima Virgo fuerit, quando Angelus ei annuntiavit ?

Post hoc quæritur, In quo actu beatissima Virgo fuerit, quando Angelus ei annuntiavit, hoc est, utrum fuerit in actu contemplationis vel operationis ?

§ I.

Et videtur, quod in actu contemplationis.

1. Dicit enim Isaias : *In silentio et spe erit fortitudo vestra*[1]. Sed Domina nostra maxime indigebat fidei fortitudine. Ergo debuit esse in silentio et spe : et hoc est esse in contemplatione : ergo fuit in contemplatione.

2. Item, *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus*[2]. Per hoc tangitur status contemplationis. Ergo illi ad quos fit locutio Domini, debent esse in statu contemplationis.

3. Item, *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se*[3]. Ex hoc sic arguimus : movens non quocumque modo se habens movet, neque mobile quocumque modo se habens movetur : quia oportet utriusque esse approximationem : sed Dominus appropinquavit beatissimæ Virgini descendendo : ergo ipsa obviare debuit ascendendo : ergo debebat sic levare se supra se : et hoc per contemplationem : ergo debuit esse in contemplatione.

4. Item, Philosophus septimo *Physicorum* : « Anima sedendo et quiescendo fit prudens. » Sed beatissima Virgo debebat hic fieri Virgo prudentissima, utpote mater ipsius sapientiæ. Ergo congruebat ei sedere et quiescere, et hoc est esse in contemplatione.

5. Item, Nobilissima operatio congruebat nobilissimo statui : sed hæc fuit nobilissima operatio, scilicet conceptio Filii Dei : ergo fieri debuit in nobilissimo statu : ergo in contemplatione.

6. Item, Si substantia super substantiam, et potentia super potentiam, et actus super actum : sed in hac annuntiatione beatissima Virgo in substantia elevabatur ad summam propinquitatem cum Deo : nisi enim Deus fieret, non poterat altius elevari quam quod esset mater Dei : ergo si substantia elevabatur ad summum, tunc potentia et operatio

[1] Isa. xxx, 15.
[2] Osee, ii, 14.
[3] Thren. iii, 28.

debuerunt elevari in summum : ergo ipsa debuit esse in altissimo statu contemplationis.

7. Item, Dantis et recipientis debet esse ad invicem conversio : anima autem duas facies habet secundum rationem : portionem superiorem, et inferiorem : inferiorem quæ temporalibus pertractandis intendit, superiorem vero quæ æternis consulendis inhæreat : ergo si Dei et beatissimæ Virginis tamquam dantis et recipientis debet esse ad invicem conversio, necesse est ut secundum illam partem operetur secundum quam ad Deum convertitur : ergo fuit in contemplatione.

§ II.

CONTRA :

Sed contra. 1. In Canticis dicitur : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*[1]. Nardus figurat humilitatem : ergo videtur quod humilitas fuerit dispositio præparatoria beatissimæ Virgini ad Deum concipiendum. Hoc etiam dicit Augustinus, quod humilitas nobis Deum genuit. Humilitas autem semper est in descendendo, semper enim recumbit in novissimo loco : descensus autem est in actione, et ascensus in contemplatione : ergo beatissima Virgo esse debuit in actione.

2. Item, *Qui se humiliat, exaltabitur*[2] : hæc proportio est per se : ergo et quando maxima est in actu exaltatio, tunc et maxima debet esset humiliatio in actu : sed in hac annuntiatione beatissima Virgo maxime exaltata fuit in actu : ergo et maxime tunc humiliari debuit actu : humiliatio autem in descendendo est, et contemplatio ascendendo : ergo non fuit in contemplatione, sed in actione.

3. Item, Genes. XVIII, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*. Ergo pulverizatio et incineratio qua se annihilat et humiliat homo Deo, est præparatio ut homo loquatur cum Deo et Deus cum ipso : sed hic Deus familiarissime locutus fuit beatissimæ Virgini : ergo hic maxime debuit incinerari et humiliari.

4. Item, *Abscondisti hæc a prudentibus et sapientibus, et revelasti ea parvulis*[3]. Ergo qui desiderat revelationem, oportet quod se parvulum reputet per humiliationem.

5. Item, *Humilibus dat gratiam*[4], hoc est, per se : ergo magis humili datur major gratia : ergo summa gratia actu datur summe humili actu : sed hic dabatur beatissimæ Virgini summa gratia actu : ergo summe fuit humilis actu : humilitas autem est in descendendo, sed contemplatio in ascendendo : ergo non debuit esse in actu contemplationis qui est in sursum, sed in actu humiliationis qui est deorsum.

SI CONCEDATUR. Contra : *Vidit Jacob in somnis scalam*[5], etc. Glossa dicit : « Illi divina conspiciunt, qui ab appetitu temporalium oculos claudunt. » Sed beatissima Virgo hic deiformissimum adspectum habuit : ergo maxime oculos a temporalibus clausit : ergo contemplationi et non actioni vacabat.

§ III.

Responsio. CONCEDIMUS, quod beatissima Virgo in actu contemplationis fuit, quando ei ista annuntiatio venit.

Quod autem quæritur, per quem actum ad istam gratiam maxime præparabatur,

[1] Cantic. I, 11.
[2] Luc. XIV, 11, et XVIII, 14.
[3] Matth. XI, 25 et Luc. X, 21.
[4] Jacobi, IV, 6 et I Petri, V, 5.
[5] Genes. XXVIII, 12.

Dicimus, quod beata Virgo in hac annuntiatione in summo puræ creaturæ elevabatur causalitate in summam potestatem, quia Deum genuit : in summam dignitatem, per hoc quod totius creaturæ per recreationem mater effecta fuit : in summam charitatem, quia Deo per hoc summe omni propinquitate propinquissima fuit : utpote quæ ipsius filia, mater, et sponsa fuit. Ad potestatem fides elevabat eam, juxta illud : *Omnia possibilia sunt credenti*[1]. Ad dignitatem elevabat humilitas, juxta illud : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*[2]. Ad charitatem elevabat dilectio, juxta illud : *Ego diligentes me diligo*[3]. Item elevabatur ad summam familiaritatem : et illam faciebat castitas, juxta illud : *Incorruptio facit esse proximum Deo*[4].

§ IV.

Solutio objectorum.

Ad objecta respondemus, quod ascensioni per contemplationem non contrariatur descensus per humiliationem : descendere enim ad opera actionis propter Deum, est ascendere per humilitatem ad Deum. Et hæc mutuo se consequuntur, quia quanto magis anima elevatur in cognitione Dei, tanto magis descendit ad humiliationem sui. Unde frequenter legitur in Prophetis, quod quando divina conspiciunt, in terram cadunt, et e converso quanto magis quis descendit ad humiliationem sui, tanto plus ascendit ad cognitionem Dei. Unde in libro Numerorum dicitur : *Homo cujus obturatus est oculus, qui cadens,* scilicet per humiliationem sui, *apertos habet oculos*[5], per Dei cognitionem. Et in Evangelio : *Revelasti ea parvulis*[6], id est, humilibus : quia ubi est humilitas, ibi est sapientia. Et Apostolus : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens*[7]. Et Dionysius : « Tenebræ occultantur a lumine, et magis a multo lumine. » Et sic patet, quod descensus per humiliationem non impedit ascensum per contemplationem. Unde inter virtutes præparantes beatissimam Virginem ad istam conceptionem, fides præparabat rationabilem potentiam, humilitas irascitivam sive ardui appetitivam, charitas affectivam, virginitas autem ex parte corporis præparabat virtutem generativam : et sic tota elevabatur, quæ tota replebatur : tota gratificabatur, et tota glorificabatur.

Si autem quæritur, Utrum istis motibus simul movebatur ? Dicimus, quod non : sed aliæ virtutes præparabant suas potentias elevando habitualiter : sed charitas tamquam forma aliarum et vinculum perfectionis, ex parte beatissimæ Virginis fecit conjunctionem actualiter. Unde sicut charitas fuit complementum ex parte suscipientis, sic et complementum ultimum ex parte dantis et moventis, ad dandum et movendum : ipsa enim, ut dicit Hugo de sancto Victore, Deum captivatum et ligatum de cœlo duxit in hunc mundum.

[1] Marc. IX, 22.
[2] Luc. XIV, 11 et XVIII, 14.
[3] Proverb. VIII, 17.
[4] Sapient. VI, 20.
[5] Numer. XXIV, 15 et 16.
[6] Matth. XI, 25 et Luc. X, 21.
[7] I ad Corinth. III, 18.

QUÆSTIO XIII.

Utrum Evangelista debuit dicere, Desponsatam?

Post hoc quæritur de hoc quod dicit, *Desponsatam*[1].

§ I.

Videtur enim, quod

1. Beatissima Virgo non potuit legitime desponsari : ipsa enim habuit continentiæ votum, quod obligabat eam ad continendum : sponsalia autem obligant ad matrimonium : et matrimonium tempore debito ad solvendum debitum : ergo si obligabat se ad sponsalia, venit contra votum suum : et sic obligata fuisset ad opposita.

2. Item, Aut consensit in carnalem copulam, aut non. Si sic : ergo primam fidem irritam fecit : quia talibus non tantum nubere, sed etiam velle, condemnabile est. Si non consensit : ergo matrimonium nullum fuit.

3. Item, Conditio adjecta quæ est contra substantiam matrimonii, impedit matrimonium. Verbi gratia : Contraho tecum ut procures mihi venenum sterilitatis : hoc non esset matrimonium : quia procuratio sterilitatis est contra substantiam matrimonii, quia interimit bonum prolis : ergo est contra substantiam matrimonii : ergo impedit matrimonium. Ergo similiter, si dicam : Contraham tecum ut me nullo modo cognoscas, non videtur esse matrimonium. Ita nec videtur esse matrimonium, cui conditio continentiæ est adjecta. Ergo videtur, quod ista desponsatio nulla fuit : quia non potuit sequi matrimonium.

Si concedatur. Contra sunt jura con- Sed cont
tinentiæ. Et Augustinus, qui dicit, quod matrimonium non facit copula, sed pactio conjugalis. Et quod sanctiora sunt conjugia pari voto continentium, et multa similia.

§ II.

Item, Videtur quod

1. Si etiam esse potuerit, non tamen congrueret beatissimam Virginem desponsari. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*[2] : ergo in ista summa sancti Spiritus operatione nulla debuit esse fictio : ergo beata Virgo pro nupta se gerere non debuit, quæ Virgo innupta fuit.

2. Item, Matrimonium institutum fuit primo in officium causa prolis, secundo in remedium causa fornicationis vitandæ, ut dicit Apostolus, I ad Corinth. VII, 2 : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*. Sed propter neutram istarum congruebat esse in beata Virgine. Ergo videtur, quod inutilis fuerit illa desponsatio.

[1] Luc. I, 27.

[2] Sapient. I, 5.

§ III.

sponsio.

Ad hoc dicimus, quod ista desponsatio utilis fuit et possibilis. Possibilis: quia licet beatissima Virgo haberet votum continentiæ firmum, tamen poterat consentire in maritalem societatem, facta tamen divinitus inspiratione utrique de altero, quod vellet virgo permanere: et sic consensit in societatem maritalem, et non in copulam carnalem absolute.

§ IV.

lutio objectorum.

Quod tamen videtur dicere Augustinus, quod consensit in carnalem copulam, non est intelligendum absolute, sed sic, si Deus vellet.

Quod autem objicitur, quod jura dicunt de conditione adjecta contra substantiam matrimonii, intelligendum est de conditione inutili, illicita, et inhonesta. Conditio autem utilis, licita, et honesta, non impedit matrimonium. Unde non est simile votum continentiæ, et procuratio sterilitatis, et similia: cum etiam conjuges post copulam carnalem possunt votum continentiæ emittere: et si emiserint, tenentur observare. Et sic ista desponsatio est possibilis et utilis.

Fuit autem utilis ad multa. Primo, ut matrimonium bonum esse ostendatur. Secundo, ut Domina omnium bonorum et mater nullo bono privaretur. Tertio, ut hostis fallatur. Quarto, ut testis castitatis ejus haberetur. Quinto, ut origo Dominæ describatur: quia non consuevit Scriptura fœminas genealogizare. Sexto, ut ab infamia servetur [1]. Septimo, ut pœna caveatur. Octavo, ut persecutio a Christo tollatur. Nono, ut Filius procuretur. Decimo, ut Dominæ serviatur. Undecimo, ut spirituale matrimonium significetur. Duodecimo, ut parentes spirituales ostendantur. Decimo tertio, ut humilitas virginitati conjungeretur. Decimo quarto, ut occasio incuriæ famæ virginibus tollatur. Decimo quinto, ut Filii sui humilitas et charitas ostendatur, qui potius voluit fabri filius reputari, quam matrem infamari. Decimo sexto, ut matris dignitas humilitati societur, ut quanto major fit in omnibus, tanto fiat humilior, ut sit mater Dei et uxor fabri.

Quod autem objicitur de simulatione, dicendum quod duplex est simulatio, scilicet deceptionis, ut in hypocritis: et simulatio humilitatis sive humiliationis, qua quis non solum vult mansuetus, vel etiam humilis reputari, sed etiam vilis prædicari. Primam simulationem effugit Spiritus sanctus, secundam inhabitat. Unde Isaias: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu* [2], etc.

Quod etiam objicitur, quod matrimonium debet esse causa prolis, vel causa vitandæ fornicationis. Dicimus, quod hoc intelligendum est de matrimonio per carnalem copulam consummato. Istius autem matrimonii fuerunt causæ, quæ jam dictæ sunt.

[1] Alias *careat*.

[2] Isa. LXVI, 2.

QUÆSTIO XIV.

In qua ætate beatissima Virgo fuerit, quando contraxit cum Joseph, et quando concepit Dominum?

Post hoc, Quæritur de ætate in qua fuit quando contraxit cum Joseph, et quando concepit Dominum.

§ I.

Videtur primo, quod

1. Ad minus fuerit duodecim annorum : hæc est enim legitima ætas ad matrimonium contrahendum : omnia autem facta sunt rite circa illud matrimonium a Spiritu sancto ordinatum : ergo ætas legitima est servata.

2. Item, Mirabilia sunt quæ Deo immediate operante fiunt, et quanto aliquid mirabilius, tanto laudabilius, aliis paribus : sed vitæ perfectio et virtutum consummatio mirabilior est in juvene quam in sene : et quanto mirabilior, tanto laudabilior : ergo ubi erat laudabilissima, ibi erit mirabilissima : sed perfectio est mirabilior in juvene, quanto persona est junior : ergo beatissima in infima ætate qua hujus gratiæ capax fuit, Deum suscepit.

3. Item, Quanto minus est debitum aliquid, tanto plus est gratum : sed minus debita est perfectio in juvene quam in sene : sed in beatissima Virgine fuit gratissima : ergo fuit in ætate minima qua esse potuit : sed statim potuit cum consentire potuit : consentire autem potuit cum usum rationis habuit : ergo statim cum usum rationis habuit, istam gratiam suscepit.

4. Item, Ejusdem potentiæ et misericordiæ est gratiam dare et datam conservare : ergo quanto prius datur, tanto plus datur, juxta illud : Qui cito dat, bis dat : sed Deus beatissimæ Virgini tantum dedit, quantum puræ creaturæ dare potuit : ergo, etc.

5. Item, Ambrosius : « Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia : » ergo ex parte dantis nulla fuit mora dandi : imo videtur affectare dationem, quia *exsultavit ut gigas ad currendam viam suam*[1] : ergo statim dedit quando susceptivum capax fuit.

§ II.

Contra :

1. Beatissima Virgo illuminabatur actualiter summa illuminatione, cujus creatura pura secundum statum vitæ capax fuit : ergo hoc debuit fieri quando illuminabilis maxime secundum intellectum fuit : hoc autem est in senio : juvenes enim vigent sensu, senes autem intellectu : ergo beatissima Virgo debuit illam illuminationem recipere in senectute.

[1] Psal. xviii, 6.

2. Item, Figura conceptionis hujus supernaturalis in Virgine, fuit conceptus Saræ sterilis in senectute, quando scilicet nonagenaria fuit : ergo si figuratum debet respondere figuræ, et ista conceptio debuit fieri in senectute : ergo et desponsatio quæ præcessit istam conceptionem.

3. Item, Non est congruum matrimonium inter senem et juvenculam, sed inter juvenem et juvenem, senem et senem. Et Ovidius :

Sique velis apte nubere, nube pari.

Illud autem matrimonium fuit congruentissimum : et Joseph fuit senex : ergo et beata Virgo.

4. Item, Contra gravitatem bonorum morum et honestatem est acceleratio matrimoniorum : hic autem nihil fuit contra honestatem morum : ergo exspectatum fuit tempus maturum.

5. Item, A corpore beatissimæ Virginis formabatur corpus perfectissimum secundum naturam : quia ex tali tale, et ex magis tali magis tale : corpus autem perfectissimum non est secundum naturam ante statum viginti quinque annorum : ergo corpus beatissimæ Virginis debuit ad minus esse viginti quinque annorum quando Christum concepit.

6. Item, Consilium juris est si dubitetur de quantitate numeri, æqualiter et jus et judex debent medium numerum determinare. Verbi gratia : Si dubitetur utrum aliquis teneatur alteri viginti, vel tantum decem, judex solvi faciet quindecim : ergo a simili in proposito, si dubitatur quando facta fuit ista conceptio, et desponsatio, determinandum est tempus medium inter primum et ultimum tempus, quo talia consueverunt celebrari. Primum autem tempus est duodecim annorum, ultimum autem ut in pluribus quinquaginta annorum, horum autem medium triginta et unum. Sic ergo videtur, quod circa illam ætatem beatissima Virgo esse debuit quando ista in ea fiebant.

§ III.

Supponendo, quod in beatissima Virgine fuit omnis congruentia, tam ex parte naturæ, quam ex parte gratiæ ad hoc ut mater Dei fieret, credimus concedendo, quod Deum concepit tali ætate, qua perfecta fuit statu corporis et quantitate, et quod circa eamdem quantitatem ætatis desponsata fuit tantum quantum sponsalia solent matrimonium præcedere, videlicet circa duos menses. Responsio.

§ IV.

Quod autem objicitur, quod laudabilior et mirabilior esset in juventute ista perfectio conceptionis. Dicimus, quod cum nihil sit laudabile nisi aliquo modo dependeat ab arbitrii libertate, non statim illud fieri debuit, cum beatissima Virgo libero arbitrio uti potuit : sed intervenire debuit temporis protractio, in quo proveniret meritorum accumulatio, et emundationi quam acceperat in utero, succederet major depuratio et virtutum exercitatio, ut in omnium virtutum apicem sublimata, de congruo et singulari suo merito, mundo subveniret perdito, Salvatorem gignendo. Et sic patet, quod non statim Deus hoc donum dedit, cum ejus beatissima Virgo capax fuit. Sed quia non tantum dedit, sed etiam congruentissimo modo dedit, tunc dedit statim deinde cum susceptivum congruentissimo modo capax fuit, ut non esset tantum datum optimum et donum perfectum, sed etiam modo perfectissimo datum. Nec illa velocitas donum duplicat, quæ temporis congruitatem anticipat, sed a datore modum dandi deformat, et a recipiente gloriam minuit, et dignitatem recipiendi ab ipso excludit. Solutio objectorum.

QUÆSTIO XV.

Utrum beatissima Virgo pulchritudinem corporalem habuerit?

Post hoc quæritur de pulchritudine beatissimæ Virginis, Utrum pulchritudinem corporalem habuerit?

§ I.

Et videtur, quod sic.

1. Figura enim sive signum debet habere similitudinem cum signato: sed omnes mulieres beatissimam Virginem significantes, teste Scriptura, pulcherrimæ fuerunt: ergo et beata Virgo. Minor patet: quia quatuor mulieres inveniuntur beatissimam Virginem expressissime figurantes, Esther conjugata, Judith vidua, Rachel et Rebecca virgines. De Esther scribitur: *Erat enim Esther formosa valde et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur* [1]. Similiter de Judith legitur: *Erat autem eleganti adspectu nimis* [2]. Item, *Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem ejus* [3]. Item, *Non est talis mulier super terram in adspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum* [4]. Simili modo de Rebecca legitur, quod erat *puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro* [5]. Item, de Rachel, quod erat *decora facie, et venusto adspectu* [6]. Et universaliter Scriptura laudat omnes mulieres de pulchritudine beatam Virginem significantes. Ergo et beata Virgo pulchra fuit.

2. Item, Corpus ordinatur ad animam, ut supra dictum est, quod nobiliori animæ debetur nobilius corpus: ergo pulchritudo corporis dependet a pulchritudine animæ: ergo ubi perfectissima pulchritudo animæ, ibi et perfectissima corporis debuit esse pulchritudo.

3. Item, In Ecclesiastico [7] describitur summa pulchritudo spiritualis, et hoc per symbola corporalia: illa autem Scriptura specialiter et antonomastice exponitur de beata Virgine: ergo illa quæ ibi dicuntur, specialiter et antonomastice conveniunt beatissimæ Virgini: ibi autem per pulchritudinem exteriorem ducitur intellectus ad interiorem: ergo in beatissima Virgine debuit esse pulchritudo interior et exterior.

4. Item, Pulchrum et bonum additum pulchro et bono facit magis pulchrum et bonum: ergo pulchritudo et bonitas exterior addita pulchritudini et bonitati interiori, facit magis pulchrum et bonum: sed beatissima Virgo omnibus puris creaturis optima et pulcherrima fuit: ergo habuit pulchritudinem exteriorem et interiorem.

[1] Esther ii, 15.
[2] Judith viii, 7.
[3] Ibid., x, 7. Et infra, v. 14: *Et cum audissent verba ejus, considerabant faciem ejus, et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis.*
[4] Ibid., xi, 19.
[5] Genes. xxiv, 16.
[6] Ibid., xxix, 17.
[7] Cf. præcipue, Eccli. xxiv, 5 et seq.

5. Item, Ecclesia canit in prosa: « Castissima corpore, sanctissima moribus, omniumque pulcherrima Virgo virginum. »

6. Item, Corpus humanum est nobilius omnibus corporibus brutorum propter unionem ad animam rationalem: ergo nobilitas in corporibus intenditur ad nobilitatem animæ ad quam ordinatur: forma enim et materia debent esse proportionabilia: sed anima beatissimæ Virginis fuit nobilissima post animam Filii Dei: ergo et corpus ejus erit nobilissimum et pulcherrimum post corpus Filii Dei.

7. Item, Corpus unitum divinitati, perfectissimum est in pulchritudine, ita etiam, quod Angeli desiderant in ipsum prospicere: ergo corpus immediate ordinatum ad ipsum, erit secundo loco pulcherrimum: hoc autem est corpus matris, unde formabatur illud quod divinitati uniebatur: ergo erit illud secundo loco pulcherrimum.

8. Item, Philosophus diffiniens naturam, dicit quod est vis insita rebus ex similibus similia procreans: nisi ergo natura impediatur vel erret, filius similis erit patri vel matri: ergo qui nascitur de matre et non de patre, et tali operante qui non potest impediri vel errare, ibi necesse est filium similem esse matri, et e converso: sed ipse pulcherrimus: ergo et ipsa pulcherrima.

9. Item, Qui viderunt Veronicam, dicunt quod gratiosissimam et pulcherrimam faciem repræsentat.

10. Item, Ordo inest rebus naturalibus: et in corporibus humanis natura facit aliquod pulchrum, et aliquid pulchrius: ergo et aliquod pulcherrimum debet esse secundum naturam: natura enim aliquem habet terminum ad quem potest, et non ultra illum: ergo aut alicubi contingit, aut nusquam. Si nusquam: ergo deficit respectu suarum operationum: hoc est falsum: quia dicit Philosophus, quod natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessariis: ergo natura alicubi habet suum summum. Corpus autem naturale quandoque formatur a corpore naturali, ipsa natura operante naturaliter immediate et per se, aliquando operante Deo supernaturaliter: ergo alicubi summum est in corpore humano, Deo operante: et alicubi summum, natura operante. Et sicut natura operans est immediate sub Deo operante, ita summum naturale operantis est immediate sub Deo operante. Sicut ergo corpus Christi, quod Deus per seipsum formavit, est perfectissimum et pulcherrimum in natura quod Deus potuit facere secundum statum viæ: ita corpus beatissimæ Virginis ad hoc immediate ordinatum, erit pulcherrimum secundum statum viæ quod natura facere potest se operante.

11. Item, Damascenus dicit, quod ipsa a nullo illustrium superatur: sed aliæ virgines et sancti laudantur de pulchritudine corporali, quando est conjuncta cum spirituali, ut est illud: Pulchra facie, sed pulchrior fide. Et similiter in prædictis mulieribus Veteris Testamenti. Ergo beatissima Virgo omni laude digna, imo dignissima, debuit de utraque pulchritudine laudari.

12. Item, Castitas est laudabilior in pulchris, sicut e converso deformitas et incontinentia vituperabilior in deformibus: sed beatissimæ Virginis castitas fuit laudabilissima: ergo ipsa pulcherrima.

§ II.

Contra:

1. In Proverbiis dicitur: *Fallax gratia, et vana est pulchritudo* [1]: sed in beata Virgine minimum, imo nihil fuit de vanitate: ergo nec pulchritudo.

[1] Proverb. xxxi, 30.

2. Item, Pulchritudo mulieris occasio est magni mali. Unde, Eccli. IX, 5 : *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.* Item, ibidem, ℣. 9 : *Propter speciem mulieris multi perierunt*[1]. Unde, Job, XXXI, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nec cogitarem quidem de virgine.* Sed beatissima Virgo omnibus debuit esse causa salvandi, et nulli causa pereundi. Ergo non debuit esse pulchra corporaliter.

3. Item, Quanto plures sunt causæ humilitatis, tanto fortior et major humilitas : ergo quæ summam habuit humilitatem, omnes causas habere debuit humilitatis : sed fastus inest pulchris, etc., deformitas autem est causa humilitatis : ergo beatissima Virgo debuit esse deformis.

4. Item, Dominus in Incarnatione *semetipsum exinanivit*[2], et sic maximam ostendit humiliationem : sed major humilitas est carnem accipere de deformi quam de pulchra : ergo Dominus nasci de deformi debuit.

§ III

Responsio. Respondendo dicimus, quod sicut Dominus noster Jesus Christus fuit *speciosus forma præ filiis hominum*[3], ita beatissima Virgo pulcherrima et speciosissima fuit inter filias hominum : et quod ipsa habuit summum et perfectissimum gradum in pulchritudine, qui esse potuit in mortali corpore secundum statum viæ, operante natura.

Quod autem Evangelium nihil scribit super eo, plures possunt esse causæ. Una, cum Domina nostra posita sit in speculum et exemplum salvos fiendi, non vult eam laudari a talibus quorum appetitus inordinatus vel abusus multis est causa pereundi. Alia causa est, quod Scripturæ sufficit hoc sub silentio quasi per locum a minori inferre, quod quidquid umquam bonitatis vel pulchritudinis in aliquo sanctorum fuerit, in ipsa credamus minime defuisse. Unde Scriptura magis laudat eam, hoc tacite supponendo, quam verbotenus explicando : tacendo enim pro reverentia regulam nobis tradidit infallibilem, quod quidquid boni vel laudis in aliis fuerit, hoc de ipsa minime oporteat dubitari, nec in quæstionem venire debeat quod nefas est dubitare.

Item, Sicut Angeli supremi a donis nobilioribus laudantur et denominantur, et non ab inferioribus, quæ tamen in ipsis esse nullatenus dubitatur : ita et beatissima Virgo donis spiritualibus plenissima, bonis gratissimis et nobilissimis ita occupat et implet animas laudantium Evangelistarum, quod eorum admiratione quasi obliviscantur bonorum corporalium.

Item, Cum rota sit in medio rotæ, Evangelium magis respicit et tractat spiritualia, vetus lex corporalia : proprium est ergo Evangelii de gratuitis et spiritualibus laudare, proprium Veteris Testamenti carnalia sive corporalia commendare. Ideo Domina nostra in Veteri Testamento de pulchritude commendatur corporali per figuras, in Novo Testamento de spirituali perfectione per Angelos, Apostolos, et Evangelistas : raro enim vel numquam in Novo Testamento invenitur, quod aliquis de pulchritudine corporali commendatur.

§ IV.

Quod autem objicitur de mali occasione. Respondemus, quod pulchritudo Solutio [illegible]

[1] Eccli. IX, 11 : *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt.*

[2] Ad Philipp. II, 7.

[3] Psal. XLIV, 3.

corporalis simpliciter in suo genere bona est. Nihil autem adeo bonum est, in quo non contingat malos scandalizari, qui non tantum in Christo homine scandalizabantur, sicut scriptum est : *Et scandalizabantur in eo* [1] : sed etiam in ipso Deo scandalizabantur, unde super illud, *Quam bonus Israel Deus* [2], etc. Glossa dicit : « Perversis autem perversus esse videtur. » Talis occasio mali sive scandali passivi non est vitium bonam naturam habentis, sed culpa est patientis. Sicut ipsi dæmones in Dei justitia scandalizabantur, sicut scriptum est : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper* [3]. Nec propter hoc debet non esse justitia si dæmones, vel mali scandalizentur in ipsa, maxime cum boni ædificentur inde, unde mali scandalizantur. Congrua ergo fuit pulchritudo beatissimæ Virginis, et ad suiipsius commendationem, ut naturam perficeret, et gratiam augmentaret : quia forma pudicitiæ rara, sed apta comes. Et ad nostram ædificationem et devotionem : pulchra enim est casta generatio cum claritate [4]. Et ad corporis Dominici commendationem : non enim potest arbor bona et nobilis fructum malum et ignobilem facere.

Nec esset perfectior humilitas, quæ ex pluribus tamquam causis causaretur, quarum aliquæ naturales, aliquæ gratuitæ, quam illa quæ est ex solis gratuitis : imo sicut gratia est nobilior natura et perfectior, ita humilitas quæ est simpliciter a gratia, nobilior est, quam illa quæ est partim ex gratia et partim ex natura.

Nec etiam esset major humilitas, quod Deus incarnaretur de deformi potius quam de pulchra : humilitas enim debet esse collativa gratiæ et augmentativa et numquam diminutiva : non esset autem vere humiliatio Filii major, quæ humilitatem matris in sua nobilitate diminueret, et laudem castitatis auferret. Unde neque mirum neque laude dignum opinio judicaret, si Virgo deformis humilis esset, et quasi despecta viris Virgo permaneret : et e converso quanto Virgo beatissima profundior est humilitate, et quanto ab altiori infra seipsam descendit, tanto major est Filii Dei humiliatio, qui se a summo cœlo post ipsam inclinavit.

QUÆSTIO XVI.

Utrum beatissima Virgo habuerit debitam quantitatem?

Dicto de pulchritudine in communi, consequenter est inquirendum de pulchritudine ejus in speciali, quæ in tribus consistit, scilicet in debita corporis quantitate, in eleganti membrorum dispositione et proportione, in colorum venustate.

Primo igitur quæritur de quantitate, quæ convenientior ei sit.

[1] Matth. XIII, 57.
[2] Psal. LXXII, 1.
[3] Psal. LXXIII, 23.
[4] Sapient. IV, 1.

§ I.

Et probari potest a quantitate corporis sui Filii, quod tamquam perfectissimum in omnibus naturalibus debitissimam[1] habuit quantitatem : corpus enim filii formatur a corpore generantis, ita quod de tali tale, et de tanto tantum, nisi error aut impotentia impediat, aut per viam accidentis, aut aliquo modo aliter fiat : sed naturaliter et regulariter magnus magnum generat, et parvus parvum, et tantus tantum : ergo si corpus Domini in summo habuit quantitatem debitam viro congruentem, ergo et mater sua habuit in summo quantitatem feminæ congruentem.

§ II.

Quod concedimus et credimus esse verum, idem de qualitate dicentes : modi enim qualitatis corporis sunt quinque, crassities nimia, carnositas, extenuata macies, synthesis, et æqualitas. Pinguedo causatur ex frigiditate et humiditate, carnositas ex caliditate et humiditate, extenuata macies ex caliditate et siccitate, synthesis ex frigiditate et siccitate, æqualitas ex omnium humorum æquali complexione, cujus æqualitatis credimus corpus beatissimæ Virginis exstitisse. Respon

QUÆSTIO XVII.

Utrum B. Virgo habuerit debitam membrorum dispositionem et proportionem?

Post hoc, Quæritur de membrorum dispositione et proportione.

Et illa similiter probatur ex parte generati : in formatione enim corporis a generante si formatur totum de toto, quod a qualibet parte corporis fit decisio, et in quamlibet partem generati formatio. Unde inter generantem et generatum regulariter et naturaliter singulorum membrorum ad invicem est similatio in forma et in figura, nisi per viam accidentis impediatur : ergo cum in corpore Dominico nullum poterat intercidere impedimentum, et membra illius corporis fuerunt elegantissimæ dispositionis et congruentissimæ proportionis, eadem dispositio et proportio erit in membris matris.

Quod concedimus esse verum.

[1] Alias *decentissimam*.

QUÆSTIO XVIII.

Utrum B. Virgo habuerit debitum colorem cutis?

Post hoc, Quæritur de colore cutis et venustate. Triplex est diversitas coloris in corpore humano, scilicet in cute, in capillis, et in oculis.

Primo ergo de colore cutis quæritur.

Et videtur, quod debuit esse nigra in cute.

1. Color enim est proprium objectum visus: ergo color qui est magis visui congruus, plus attestatur complexionis bonitati et perfectioni: nigredo autem est magis congrua visui: est enim color congregativus visus: ergo nigredo est color perfectissimus ad videndum: ergo debuit esse color perfectissimi corporis secundum quod videri debet.

2. Item, Simplex est nobilius composito: ergo albedo et nigredo quæ sunt colores simplices, sunt nobiliores quam alii colores qui sunt compositi: ergo alter eorum erit in corpore perfectissimo: sed non albedo: ergo nigredo. Quod non albedo, patet: quia albedo est color corporis in quo est abundantia frigiditatis: et etiam visui discongruus, quia disgregativus visus.

3. Item, Color est immutativus visus secundum actum lucidi: ergo illi colores qui sunt magis motivi secundum actum lucidi, in ratione coloris sunt magis perfecti: sed dicit Philosophus, quod extrema sunt magis sensitiva et motiva: ergo albedo et nigredo quæ sunt extremi colores, magis perfecti sunt in ratione colorum: ergo alter eorum erit in corpore perfectissimo: sed dicit Philosophus, quod in corporibus sunt lux et tenebræ, id est albedo et nigredo: sed perfectior est lux tenebris: ergo in perfecto corpore potius erit effectus lucis quam tenebrarum: hic autem est albedo: ergo corpus perfectissimum potius erit album quam nigrum.

5. Videtur potius, quod debuit fuisse rubeum: corpus enim eucraticum est maxime sanguineæ complexionis: sanguini autem attestatur rubedo: ergo corpus optime complexionatum debuit esse rubeum.

5. Videtur autem, quod debuit esse mixtum ex albo et rubeo: quia, sicut Auctores medicinæ dicunt, color in cute ab interioribus accidit duobus modis: aut ex abundantia, aut ex æqualitate humorum. Ille autem est ex æqualitate, qui est rubeus et albus mixtim, cæteri omnes ab inæqualitate procedunt: sed nobilior est color qui ab æqualitate procedit: ergo debet esse in corpore eucratico.

6. Videtur autem, quod in tali corpore debet esse color glaucus: ille enim color signat frigiditatem in corpore dominantem: sed videtur, quod corpus beatissimæ Virginis debuit esse frigidæ complexionis hac ratione: quod a natura est tale, maxime est tale: ergo quod natura castum, magis castum: sed natura frigiditatis magis est ordinata ad castitatem: ergo corpus castissimum debuit esse frigidæ complexionis.

7. Item, Omnis inclinatio quæ causatur a duobus, cæteris paribus, fortior est ea quæ ab uno tantum: ergo inclinatio ad castitatem si causatur a gratia et a natura, fortior ea est quæ a gratia tan-

tum : ergo corpus castissimum debuit causari a gratia et natura : ergo debuit frigidæ complexionis esse.

8. Item, Bonum additum bono naturæ facit magis bonum : ergo bonum gratiæ additum bono naturæ, facit ipsum magis bonum : ergo plena secundum gratiam, debuit esse perfectissima secundum naturam : ergo debuit esse frigidæ complexionis.

9. Item, Magis manifestatur potentia e contrario secundum naturam et contra naturalem inclinationem elicere contrarium, quam de tali tale : sed perfectius et nobilius est, in quo magis manifestatur potentia : ergo perfectior et nobilior est castitas in calidum quam in frigidum : sed castitas beatissimæ Virginis fuit perfectissima : ergo fuit calidæ complexionis.

10. Item, Ubi est magis de contrarietate, ibi est major actio et pugna : sed ubi major pugna, ibi difficilior victoria : ubi autem est difficilior victoria, major gloria : ergo de primo ad ultimum, ubi major pugna, ibi major gloria : ergo gloriosior est castitas in calidum quam in frigidum.

11. Item, Philosophus : Incontinens est, qui patitur et deducitur : continens autem, qui patitur nec deducitur : insensibilis, qui nec patitur nec deducitur : sed medium virtutis est pati nec deduci : ergo virtuosior est castitas, ubi major passio a contrario : hoc autem est in calidis : ergo, etc. [1].

QUÆSTIO XIX.

Quem colorem habuerit in capillis B. Virgo?

Post hoc quæritur de colore capillorum, qui secundum Auctores medicinæ sunt quatuor, scilicet niger, rubeus, glaucus, canities. Cum igitur glaucus constet ex humore melancholico, canities autem ex nimia defectione caloris naturalis et ex abundantia putridi phlegmatis, quod plurimum est in senibus, de illis duobus non fit quæstio, sed tantum de nigro et rubeo.

§ I.

Videtur, quod capilli ejus debebant esse rubei :

1. Rubedo enim attestatur abundantiam choleræ non adustæ : nigredo autem fit ex abundantia cholerici incensi, vel adustione multa sanguinis : quia, ut dicit Galenus, rubedo attestatur sanguini, nigredo cholericæ vel melancholicæ complexioni. Cum igitur nobilior sit complexio sanguinea, quam cholerica, vel melancholica, color attestans sanguini nobilior erit quam attestans choleræ vel melancholiæ : ergo nobilior rubedo quam nigredo : ergo rubedo erit in corpore nobiliori.

2. Item, Galenus quando describit corpus eucraticum in *Techne*, dicit : « Competentis craseos indicia secundum totum

[1] Vide infra solutionem objectorum, quæst. XX, § 2 et 3.

animalis habitudinem hæc sunt, scilicet color ex albo et rubeo mixtus, capilli vero flavi mediocriter et crispi in pluribus [1], etc. » Ergo in corpore eucratico capilli debent esse rubei.

Signa bonæ temperaturæ cerebri.

3. Item, In eodem : « Nam si eucraticum cerebrum existat secundum quatuor qualitates, omnia quæ dicta sunt habebit cum medio, et superfluitates quæcumque per palatum, vel aures, vel oculos vel nares purgantur, hæc habebit moderate, et minime lædetur ab omnibus quæ extrinsecus calefaciunt, vel infrigidant, vel siccant, vel humectant. » Taliter igitur capilli capitis cum adhuc sunt infantes, subfulvi. Ergo in optimo sibi complexionato cerebro capilli debent esse rubei : hoc est autem cerebrum nostræ Dominæ : ergo, etc.

§ II.

Videtur autem, quod debeant esse nigri :

1. Constantinus enim in *Pantechne* tres causas pilorum ponit, dicens : « Capilli caput custodiunt, honestant, et defendunt, quibus si careat homo, maxime est inhonestus, et præcipue in mulieribus. Et juxta hoc natura facit corpori juvamenta atque ornamenta. Item est causa quare masculi et non fœminæ barbescunt : quia fumus qui est pilorum causa, ex natura magis augmentatur, quem quia natura non sufficit expellere et consumere, expellit per duo loca, id est, per caput et barbam. Unde fit, quod calidissimæ fœminæ barbescere videantur. Et e converso in masculis frigidis : unde non barbescunt eunuchi : quia perdiderunt membra calidiora : pili igitur isti facti sunt a natura, ut essent ornamenta et juvamenta. »

Ex hoc patet, quod tres sunt causæ pilorum, expulsio fumosæ superfluitatis, animalis juvativa, defensio a calore et frigore exteriori, et ornatus capitis. Quantum ad primam utilitatem magis videntur convenire eucratico corpori nigri capilli : si enim expulsio superfluitatis nocivæ est juvativa, quæcumque superfluitas magis est nociva, illius expulsio maxime est juvativa : sed cholericum incensum et sanguineum adustum magis est nocivum quam sanguineus humor non adustus : ergo magis est juvativa expulsio illius quam istius : sed ad illius expulsionem sequitur generatio nigrorum capillorum et non rubeorum : ergo quantum ad illud, eucraticum corpus magis debet habere nigros capillos quam rubeos. Similiter quantum ad defensionem : nigri enim capilli fortiores sunt quam rubei. Similiter quantum ad ornamentum : pulchrior est enim et aptior proportio extremi ad extremum, quam medii ad extremum : opposita enim juxta se posita magis elucescunt : ergo supposito colore cutis albo et rubeo, magis venustat in capillis nigredo quam albedo vel rubedo.

Item, Quantum ad sensum visus nigredo est convenientior : quia congregativum visus : rubedo autem vel albedo disgregativum.

Item, Quantum ad signatum. Rubedo enim attestatur mobilitati et infidelitati, nigredo autem firmitati et stabilitati : quia respondet elemento quod est terra.

2. Item, Constantinus in *Pantechne*, ubi describit corpus eucraticum, sic dicit : « In superioribus partibus libri meminimus nos dixisse de intemperata complexione corporis quantum ad complexionem æqualis : oportet igitur nunc dicere de æquali complexione et ejus significatione. Corpus enim æquale neque multum macidum est, neque pingue : color ejus inter rubeum et album medius : pili ejus in infantia rufi, in pueritia et juventute nigri. » Ergo ad eucra-

[1] Galenus, De arte medic.

ticum corpus pertinet nigredo in capillis secundum Constantinum. Et sic etiam videtur controversia inter Constantinum et Galenum : cum hic nigrum capillorum colorem ponat in æquali corpore, ille autem rubeum.

3. Item, Eadem contrarietas invenitur inter illos qui loquuntur de corporis pulchritudine, quorum unus sic dicit : « Fœmineum plene si vis formare decorem, præformet capiti naturæ circinus orbem, crinibus irrutilet nitor et aurum. » Ergo vult, quod capilli debent esse aurei coloris. Alter autem dicit sic : « Spectandum nigris oculis, etc. »

4. Item in Canticis, ubi describitur pulchritudo spiritualis per exteriorem pulchritudinem, dicitur sic : *Comæ ejus sunt sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus*[1]. Ergo videtur, quod ad exteriorem pulchritudinem per quam interior describitur, pertineat nigredo in capillis. Quia, ut dicit Magister Richardus de sancto Victore super illud Genesis, XLIX, 21 : *Nephthali cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis*, pulchre hominem interiorem eisdem verbis reficit, et exteriorem, dum per exteriora visibilia ad invisibilem pulchritudinem intellectum traducit. Ergo ad exteriorem pulchritudinem, per quam hujusmodi intellectus traducitur ad interiorem, pertinet nigredo in capillis.

5. Item, Secundum complexionem innatam soboles solent assimilari parentibus, et e contra : sed videmus, quod genus Judæorum ut in pluribus habet nigros capillos : ergo et Domina nostra cum fuit de progenie Judæorum.

6. Item, Veronica prætendit nigram barbam et nigros fuisse crines in Domino : ergo in Domina nostra, cum maxima fuerit similitudo inter ipsos[2].

QUÆSTIO XX.

Quem colorem B. Virgo habuerit in oculis ?

Post hoc, Quæritur de colore oculorum qui quadruplex est, scilicet niger, subalbidus, varius, et glaucus.

§ 1.

Et videtur primo, quod debeat esse niger : ille enim in pluribus concomitatur nigrum colorem in capillis, ita quod habentes nigros capillos sunt etiam habentes nigros oculos : et etiam videretur congruere maximæ venustati. Unde : « Spectandum nigris oculis, etc. »

In contrarium videtur, quod alius describens pulchritudinem quoad oculos dicit : « Radient utrique gemelli luce smaragdina, vel sideris instar ocelli. » Illi autem colores non sunt nigri. Ergo, etc. Sed contra

[1] Cantic. v, 11.
[2] Vide infra pro solutione objectorum quæst. XX, § 2 et 3.

Item, Nigredo oculorum, ut dicit Joannicius, provenit ex defectu spiritus visibilis, vel perturbatione ipsius, aut ex penuria crystallini humoris, aut quia plurimum recedit interius crystallinus humor, aut ex humore abundanti qui est similis albugini ovi, aut est ex perturbatione ipsius, aut ex abundantia qualitatis uvei humoris. Ergo cum iste color in oculis causetur maxime ex defectu eorum in quibus consistit oculi perfectio ad videndum, ut est spiritus visibilis et humor crystallinus, nullo modo iste color erit eucratici corporis.

De glauco et aliis non fit quæstio : cum attestentur minus nobili complexioni.

§ II.

(Re)sponsio. Ad hoc respondendum est, quod sex sunt colores cutis, ex albedine et rubedine compositus, niger, citrinus, glaucus, albus, et rubeus. Et solus ille qui est ex rubore et albedine compositus, ut dicit Joannicius, est ab æqualitate procedens : alii vero omnes ab inæqualitate. Primus est nobilissimus et corpori eucratico determinatus, et sic a Galeno in temperata complexione positus est, et simili modo a Constantino in *Pantechne*. Hunc igitur concedimus in corpore beatissimæ Virginis exstitisse.

§ III.

(So)lutio objectorum. De cute. Ad objecta in contrarium respondemus, quod licet color niger sit magis visui congruus ad videndum, non tamen est corpori eucratico determinatus ad habendum : color enim corporis principalis ordinatur ad corpus subjectum et proprium venustandum, et ejus complexionem ostendendam, quam per corpus alienum ad videndum.

Item, Cum visus delectetur in pulchro et in luce proportionabili, delectabilior et deliciosior est ad videndum color albus mixtus cum rubeo, quam nigredo. Et non est contrarium, quod extremi colores magis sunt sensitivi et motivi. Illa enim præeminentia sumitur respectu alterius videntis : natura enim, ut dicit Philosophus, superintendit sibi simile, nisi sit ebria. Igitur color corporis debet determinari potius secundum congruentiam sui subjecti quam respectu alieni. Nec etiam obstat, quod simplex nobilius est composito : hoc verum est inter res genere differentes, ut anima dignior est corpore, et non est in his quibus est simplex pars compositi eadem cum altera secundum speciem, cum in his semper totum dignius sit sua parte.

De complexione. Quod autem objicitur, quod debuit esse frigidæ complexionis et habere colorem illi attestantem. Dicimus, quod non : cum enim gratia nobilior sit quam natura, castitas quæ est totaliter a gratia, nobilior est quam ea quæ est partim a gratia et partim a natura : et tanto est major gratia et majorem potentiam demonstrat, quanto fortiorem vincit naturam, quamvis in beata Virgine nulla fuit pugna : quia etiam fomes exstinctus fuit in ea. Unde tanto fortior fuit et tanto nobilior fuit ejus castitas, quanto nec hosti fuit tentandi possibilitas, et nihilominus tanto de hoste triumphus gloriosior, quanto etiam ita caput ejus contrivit sub pedibus, ut nec ad primum motum concupiscentiæ cui generaliter subjacent omnes viatores, se contra ipsam ausus fuit erigere : non enim diminuit rationem victoriæ non posse impugnari, sed velle impugnari et non posse resistere. Illa etiam simul gloriosissima castitas et laudabilissima fuit, quæ in se numquam aliquem saltem motum concupiscentiæ sensit, et se in aliqua subjecta disseminans exemplariter, concupiscen-

tiam a multis cordibus et corporibus profugavit.

De colore capillorum.

Ad illud quod objicitur de colore capillorum, dicimus quod color in capillis immediatam signat dispositionem cerebri. Unde optimus color in capillis, debet determinari secundum optimam cerebri complexionem : optima autem cerebri complexio determinatur secundum duos modos. Uno modo est cerebrum optime complexionatum, quando est optime ordinatum ad actionem naturalis virtutis, ita quod operationes cerebri maxime ordinantur secundum qualitates ad operationes cordis, et hepatis, et stomachi, et aliorum membrorum principalium. Et secundum hoc cerebrum debet esse calidum et humidum. Et hoc modo capilli talis cerebri in infantibus sunt subfulvi, in pueris vero subflavi, in perfectis vero flavi, sicut dicit Galenus in *Techne* auctoritate supra posita : « Nam si eucraticum, etc. » Et secundum hunc modum loquebatur qui dixit : « Crinibus irrutilet, etc. » Et secundum hanc legem procedunt rationes pro illa parte.

Alio modo dicitur *eucraticum* cerebrum, secundum quod est optime dispositum et ordinatum ad actiones virtutis animalis, quæ proprie fiunt in cerebro mediante spiritu animali qui nascitur in cerebro. Et secundum hoc calidum et siccum debet esse cerebrum : quia illæ duæ qualitates maxime subserviunt cognitioni : a caliditate enim est velocitas apprehendendi, a siccitate firmitas retinendi, a calore est motus et mobilitas, a frigore quies et immobilitas. Item, a siccitate firmitas recipiendi : siccitas enim est bene terminabilis proprio termino, male alieno : humiditas autem male terminabilis est termino proprio, bene autem alieno.

Et sic patet, quod magis congruit perfectioni cerebri caliditas quam frigiditas : ut enim Galenus in *Techne* ostendit, frigidioris quam oporteat cerebri indicia sunt, plura in propriis meatibus excrementa, et capilli recti et fulvi, et stabiles, et qui longo post nativitatem tempore nascuntur tenues, atque initio male nutriti, et facile a causis frigidis offenduntur, atque hoc ipso offensionis tempore distillationibus et gravedinibus capiuntur : neque si tetigeris partes ad caput attinentes, admodum calidæ sentiuntur : neque si inspexeris, rubicundæ apparent, et oculorum venæ omnino visum effugiunt, et somnolentiores quodammodo sunt. In calido autem cerebro contraria sunt.

Signa frigidi cerebri.

Et sic patet, quod nobilius est calidum cerebrum quam frigidum.

A simili modo patet, quod siccum nobilius est quam humidum. Galenus enim in *Techne* dicit : « Siccioris cerebri indicia sunt paucæ superfluitates effluentes, et sensuum sinceritas. Sunt autem ad vigilias prompti, et capillos habent robustos, et qui celerrime eis genitis innascuntur. Crispi autem potius quam recti, cito autem calvi fiunt. Humidioris vero cerebri indicia, capilli plani, et nequaquam calvi fiunt. Sensus autem turbulenti, et excrementorum multitudo, somni multi atque profundi, et hæ quidem simplices sunt intemperaturæ. » Et sic patet, quod nobilius est cerebrum quantum ad virtutes animales si fuerit calidum et siccum, quam si fuerit calidum et humidum : nam, ut dicit Galenus in *Techne*, « optima est complexio primum calida et sicca, secundum quam et superfluitatibus carent, et sensibus vigent, et plurimum vigilant, et cito calvi fiunt. Et prima quidem capillorum generatio celerrima est, ac plurimo abundans alimento. Capillos vero habent nigros, et crispos, et tangentibus calidi sentiuntur, et sunt rubicundi usque ad ætatem consistentiæ vigoris. Si vero humiditas adjungatur caliditati, parum utriusque qualitatibus superantibus mediocritatem, color bonus, et caliditas, et quæ in oculis sunt venæ magnæ, et plura excrementa, et mediocriter cocta, et capilli recti, subflavi, et non facile calvi fiunt. Implentur vero atque aggravantur eorum capita a

Signa s[...] cerebri

Humidi [...] rebri i[...] cia.

Signa [...] di sicci cerebri

calidis. » Et infra : « Auster vero semper eis adversatur, atque optime in Aquilone se habent : non tamen diu vigilare possunt, et cum se ad somnum converterint, simul gravi somno tentantur, et vigilant, et somnia habent imaginationibus plena, visus eis turbulenti, neque satis sensibus vigent. » Et sic patet ex conjunctione inæqualitatum, quod optima complexio cerebri quantum ad virtutes animales est calidum et siccum. Et cerebro sic se habenti debentur capilli nigri. Et hoc est quod dicit Constantinus in *Pantechne* in superioribus.

Cum igitur cerebrum eucraticum optime sit ordinatum, uno modo ad actiones virtutis animalis, alio modo respectu operationum virtutis naturalis, et nobilior sit operatio virtutis animalis, quam naturalis virtutis, nobilius erit cerebrum quod est eucraticum ad operationes animales quam ad operationes naturales : ergo perfectissimi et nobilissimi corporis cerebrum debet esse calidum et siccum. Cum igitur corpus Dominæ nostræ fuerit perfectissimum secundum omnia membra, ipsa habuit cerebrum calidum et siccum et capillos nigros. Et sic procedunt rationes et auctoritates ad hoc inductæ.

[...] colore [...]lorum.

Ad hoc quod objicitur de colore oculorum. Dicimus, quod color in oculis cum immediate significet complexionem proprii subjecti, procul dubio cerebro et calido et sicco determinato, determinabitur color oculorum niger.

Quod autem objicitur, quod nigredo oculorum causatur ex defectu visibilis spiritus, et penuria crystallini humoris, et eorum in quibus maxime consistit perfectio oculorum. Dicimus, quod hoc verum est : sed paucitas spiritus visibilis et humoris crystallini causatur a caliditate et siccitate cerebri : spiritus enim naturalis proveniens usque ad cerebrum si cerebrum fuerit calidum, majorem ibi recipit depurationem et subtiliorem substantiam : quanto autem substantia subtilior, tanto plus habet de forma et minus de materia : et quanto plus substantia est subtilis et formalis, tanto magis est activa et fortioris operationis : et sic a tali cerebro transmittitur visibilis spiritus ad oculum paucior et subtilior et fortior. Simili modo nutrimentum paucius et subtilius et nobilius. Paucitas igitur spiritus et nutrimenti quantum scilicet ad materiam causat nigredinem, ut dicit Auctor : sed ipsa subtilitas et paucitas materiæ causa est nobilioris et fortioris operationis : et sic tales oculi erunt nigri propter prædictorum paucitatem : sed clariores ad videndum et nobiliores, propter sensuum subtilitatem et nutrimenti puritatem. Et sic beata Virgo in colore cutis fuit alba et rubea mixtim : in capillis autem et in oculis nigra temperate fuit, sicut et ejus Filium dilectum speciosissimum forma præ filiis hominum credimus fuisse coloratum.

QUÆSTIO XXI.

Utrum Evangelista debuerit addere ipsam desponsatam viro ?

Post hoc quæritur de hoc quod dicit : *Viro* [1].

Quod frustra videtur addi : omnis enim desponsatio virginis fit viro.

[1] Luc. I, 27.

Quod autem nihil frustra debuit poni, videtur : quia dicit beatus Bernardus : « Si enim nec folium de arbore sine causa, nec unus ex passeribus sine Patre cœlesti cadit [1], putem ego de ore sancti Evangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sacra historia Verbi ? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis ac cœlesti singula dulcedine redundantia : si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo [2].» Igitur sine causa non debuit hic poni, *Viro*.

Quod autem hic additur, *Viro*, non fit ad denotandum sexus discretionem, sed ad tangendum sponsi beatissimæ Virginis commendationem, et sponsæ in sponso honorificationem. *Viro* igitur non notat hic sexum, vel ætatem, sed virtutem. Igitur fuit iste Joseph *vir* per constantiam fidelitatis quantum ad justitiam pertinet, per virtutem castitatis quantum ad temperantiam, per excellentiam discretionis quantum ad prudentiam, per strenuitatem operationis quantum ad fortitudinem. Et sic notatur in *viro* excellentia quatuor virtutum cardinalium.

QUÆSTIO XXII.

Utrum debuerit addere, Cui nomen erat Joseph ?

Post hoc quæritur de hoc quod dicit : *Cui nomen erat Joseph* [3].

Videtur enim, quod in hoc nimis diffuse loquatur et superflue : cum potuisset brevius expressisse dicendo, viro Joseph, vel nomine Joseph.

Natura enim, ut dicit Philosophus, nihil facit frustra.

Item, Natura non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis.

Item, Natura in quantum potest paucioribus se expedit.

Item, Proverb. x, 19 : *Qui moderatur labia sua prudentissimus est*. Et, ibidem, xvii, 27 : *Qui moderatur sermones suos doctus et prudens est*.

Item, Matth. xii, 36 : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*.

Ex his omnibus videtur, quod nihil hic poni debet superfluum.

Quod concedimus, dicentes quod dicendo : *Cui nomen erat Joseph*, non tantum voluit nomen exprimere, quod fecisset dicendo Joseph, sed insuper, quod esset notabile ipsum nomen, voluit designare.

Unde et supra ubi dixit : *Cui nomen Nazareth* [4], numerus causarum est secundum numerum litterarum, scilicet ut nihil poni frustra sciatur, ut plenius et ordinatius describatur, ut probabilius credatur, ut totum prælectum monstretur, locus, et persona, ut nomine honoretur, ut doctrina innuatur et Ecclesia excitetur, ut Evangelista familiaris et fidelis comprobetur, ut humilitas sponsæ declaretur, cum ita nominatum et ex-

[1] Matth. x, 29.
[2] S. Bernard., Homilia 2 super Missus est.
[3] Luc. i, 27.
[4] Ibid., v. 26.

presse humilis sponsus describitur, ut justus apud Deum et homines monstretur, cujus nomen tamquam in libro vitæ scriptum in Evangelio tam signanter exprimitur : ut notus Deo et hominibus intelligatur, qui testis beatissimæ Virgini adhibetur : ut nomen ejus digne in memoriam hominum vertatur qui in patrem Dei putativum assumitur.

QUÆSTIO XXIII.

Utrum Evangelista debuerit dicere, Joseph ?

Post hoc quæritur de hoc quod dicit, *Joseph*[1].

§ I.

Videtur enim, quod sponsus beatissimæ Virginis non debuisset appellari *Joseph*.

1. Si enim sicut tota rota est in rota, ita vetus lex in nova, videtur quod illud conjugium beatissimæ Virginis debuit in lege alicui figurari : hoc autem interpretatur Ecclesia fuisse factum in Esther et Assuero. Si igitur illud conjugium repræsentat istud figuraliter, et conjuges illi conjuges istos : ergo nomina debent respondere nominibus : sed conjux Esther fuit Assuerus : ergo et conjux Dominæ nostræ debuit vocari Assuerus.

2. Item, Sara in senectute, et sterilis gignens filium præter naturam in monte immolandum, tenet figuram Dominæ nostræ, quæ genuit Filium contra naturam in cruce immolandum. Si igitur Sara signat Dominam nostram, ergo et sponsus Saræ sponsum Dominæ nostræ : ergo debuit appellari Abraham.

3. Item, Si Domina nostra fuerit figurata per Rebeccam : ergo maritus ejus debuit appellari Isaac.

4. Item, Si Dominus figuratur per Samsonem, et mater ejus per matrem Samsonis, ergo sponsus ejus debuit vocari Manue.

5. Item, Si Joseph appellatur *augmentum* : in isto autem conjugio nullum fuit augmentum per Joseph : ergo non bene appellatur Joseph.

Quæritur igitur, quis fuit figura Joseph in Veteri Testamento ? Non enim videtur, quod ille filius Jacob : cum ille gesserit figuram Domini nostri, utpote filius Rachel natus in senectute patris, et in venditione, et fratrum liberatione, et terræ salvatione, et in multis aliis, ut patet in libro Genesis.

§ II.

Ad hoc dicimus, quod una persona in Veteri Testamento propter plures proprietates plura significavit. Unde Abraham ubi dicitur : *Tolle filium tuum*[2], figurat Deum Patrem, qui *proprio Filio* Responsio.

[1] Luc. I, 27.

[2] Genes. XXII, 2.

suo non pepercit [1], etc. Et ubi dicitur ei : *Egredere de terra tua* [2], etc., figurat Christum qui egressus de terra et de cognatione sua, scilicet de sinu summi Patris quando venit in hunc mundum. Cum autem dicitur de eo, quod sedit *in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei* [3], figurat antiquos patres qui sub umbra legis sederunt, et incarnationem Verbi cum fervore desiderii exspectabant. Simili modo dicimus, quod iste Joseph in venditione, in liberatione, et incarceratione, et Ægypti salvatione, Deum figurabat : sed in fidelitate, et castitate, et in mysteriorum revelatione, et procurationis commissione, et frugum conservatione, et terræ prælatione, istius Joseph figura fuit. Unde Bernardus : « Non vir matris, nec filii pater exstitit, quamvis cætera et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit et putatus. Conjice tamen ex hac appellatione, quæ (licet dispensatoria) meruit honorari adeo, ut pater Dei et dictus et creditus sit : conjice et ex proprio vocabulo (quod *augmentum* non dubitas interpretari) quis et qualis fuerit iste homo Joseph. Simul et memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto [4], et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam. Siquidem ille Joseph fraterna ex invidia venditus et ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit : iste Joseph Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit [5]. Ille Domino suo fidem servans, Dominæ noluit commisceri [6] : iste Dominam suam Domini sui matrem Virginem agnoscens, et ipse continens fideliter custodivit [7]. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum [8] : isti datum est conscium fieri et participem cœlestium sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo : iste panem vivum e cœlo servandum accepit tam sibi quam toti mundo. Non est dubium, quin bonus et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui mater est desponsata Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium : solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidissimum [9]. » Et sic patet quam congrue præfiguratus est iste Joseph. Nec congruebat eum figurari per aliquem qui maritus per carnalem copulam exstiterit, cum ipse sine carnali copula sanctius conjugium per pactionem conjugalem traxit, et conjux virgo conjugem virginem custodivit, et debitum ministerium reddendo et matri et Filio, paterno affectu inseparabiliter conjunctus fuit. Proprietas nominis et significatio quæ *incrementum* sonat, ipsi nihilominus optime congruit, qui per hanc dispensationem quantum ad seipsum, et quantum ad proximum, et quantum ad Deum, quamplurimum sublimatus fuit, virtutum scilicet augmentatione, famæ celebritate, hominum reverentia et dilectione, matris Dei familiaritate, divina, ut putabatur, paternitate.

[1] Ad Roman. viii, 32.
[2] Genes. xii, 1.
[3] Ibid., xviii, 1.
[4] Genes. xxxvii, 1 et seq.
[5] Matth. ii, 13 et seq.
[6] Genes. xxxix, 7 et seq.
[7] Matth. i, 19.
[8] Genes. xl, 1 et seq.
[9] S. Bernardus, Homilia 2 super Missus est.

QUÆSTIO XXIV.

Utrum debuerit dicere : De domo David ?

§ I.

Postea quæritur de domo.

Non enim videtur, quod iste fuerit *de domo David.*

1. Ubicumque enim in Biblia numeratur populus resolvendo a multitudine in unitatem, primo fit divisio in tribus, post hoc tribus in cognationes, cognatio in familias, familia in domos, sicut dicitur in Josue [1], ubi per inquisitionem hujusmodi furtum invenitur apud Achan : sed hoc modo Joseph non fuit de domo David.

2. Item, Ut patet in genealogia scripta in Evangelio, *Liber generationis* [2], Joseph distabat a David viginti et octo generationibus : ergo non erit de domo David.

3. Similiter quæritur de hoc quod dicitur, *David* [3]. Cum enim melior et nobilior cognitio fit per causam immediatam et propinquam, quam per causam remotam, melius notificasset Joseph per patrem immediatum, quam per David. Si autem dicitur, quod hic describitur David, eo quod David promissionem accepit ejus qui hic annuntiatur incarnatus, secundum hoc deberet dici de domo Abrahæ, qui primo accepit promissionem, quod in semine ejus benedicentur omnes gentes [4]. Non dico in seminibus, sed semine tuo qui est Christus.

4. Juxta hoc quæritur, quare in hac annuntiatione in qua mundissima Filii Dei conceptio describitur, David qui quandoque notorius peccator exstitit, quamvis remotus innuatur ?

5. Item, Cum in genealogia Domini peccatores et peccatrices recitentur, quare hic unus peccator, et nulla tangitur peccatricum ?

§ II.

Ad primum dicimus, quod dicitur *de domo David,* non tantum propter generis successionem, sed principalius propter virtutum imitationem : et tales dicuntur esse proprie de una domo, juxta illud : *Qui inhabitare facit unius moris in domo* [5] : ex convictu enim formantur mores. Unde Bernardus : « Huc accedit quod dicitur fuisse *de domo David.* Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione, quem tamquam alterum David Dominus invenit secundum Responsio.

[1] Cf. Josue, VII, 14 et seq.
[2] Matth. I, 1.
[3] Luc. I, 27.
[4] Genes. XVII, 7 et 8.
[5] Psal. LXVII, 7.

cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sanctissimum sui cordis arcanum : cui tamquam alteri David incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit : et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum hujus sæculi cognovit : cui denique datum est quod cum multi reges et prophetæ eum vellent videre, non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, et nutrire, et custodire[1]. » Non tantum autem Joseph, sed et Mariam descendisse credendum est de domo David. Alioquin non fuisset desponsata viro de domo David, si non ipsa esset de domo David. Ambo igitur erant de domo David : sed in altera completa est veritas quam juravit Dominus David, altero tantum conscio et teste adimpletæ promissionis. Recte igitur dicitur sponsus Virginis fuisse de domo David, ut scandalum evitetur, ut eadem tribus esse probetur, ut amor legis in utroque ostendatur, ut humilitas nobilitate regis exaltetur, ut paupertas nobilitati non repugnare doceatur, ut Davidis humilitas evangelizetur, ut humilitatis imitatio in Joseph insinuetur, ut veritatis promissio adimpleatur, ut genealogia Dominæ describeretur, ut paupertas mirabilior demonstretur, ut nobilius exemplum paupertatis et humilitatis detur.

Quod etiam quæritur, quare David hic ponatur, cum peccator fuerit? Respondetur, quod non ponitur ideo quia peccator fuerit, sed quod Joseph ab ipso carnaliter descenderit, et per imitationem in virtutibus illi similis fuit. Nec propter peccati maculam quam pœnitentia delevit, minus in genealogia Domini nominari debuit, sed audacter prædicari : tum propter hoc quia peccatoribus confidentiam generet, et misericordiam Dei augmentet, qui dicit : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*[2]. Quod autem hic nulla peccatrix ponitur, causa esse potest, ut omnis peccati imitatio vel suspicio a beata Virgine excludatur : cum sicut a patre in filios, sic a matribus in filias solet imitatio derivari.

§ III.

Quod autem in genealogia Dominæ nostræ, ubi plene describitur, et boni et mali in serie narrantur, non caret ratione. Quod autem a bonis orta fuit, triplex est ratio. Una, ut antiquitas nobilitatis ipsam nobilitatem extolleret. Alia autem, ut sanctitas ipsam undique circumdaret. Tertia, ut humilitas laudabilior appareret.

Quod autem antiquitas nobilitatem extollat, patet : quia *non potest arbor bona malos fructus facere*[3]. Et iterum : Unaquæque arbor ex fructu cognoscitur. Et quod natura tale, magis tale et magis ad virtutem perficitur : quia ad ipsam ex naturæ origine inclinatur : virtutes enim partim innatæ sunt nobis, perfectæ autem per consuetudinem. Unde, Job, XXXI, 18 : *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* Sicut enim diuturnitas non minuit peccatum, sed auget : et tanto igitur majora sunt peccata, quanto diutius infeliciorem animam detinent alligatam. Et sicut adulterinæ plantationes non dant radices altas sapientiæ : ita e converso, *quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines*[4]. Et sicut *ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes*

[1] S. Bernard., Homilia 2 super Missus est.
[2] Ezechiel. XVIII, 21 et 22.
[3] Matth. VII, 18.
[4] Sapient. IV, 1.

sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua[1] : ita *generatio rectorum benedicetur. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi*[2]. Et sic beatissima Virgo orta est ex bonis et magnis, ut antiquitas nobilitatem extolleret.

Secunda causa fuit, ut sanctitas eam undique circumdaret, retro per nobilitatem, ante per utilitatem, supra per dignitatem, infra per potestatem, a dextris per virtutum summitatem, a sinistris per peccati immunitatem.

Tertia causa fuit, ut humilitas laudabilior appareret. Quia, ut dicit Bernardus, in alto positum non alta sapere, sed humilibus consentire, nihil Deo charius, sed nihil apud homines rarius invenitur.

His igitur tribus de causis nata est de bonis.

Triplici etiam ratione orta fuit a malis. Prima, ut comparatio alterum extremorum extolleret, juxta illud Canticorum, II, 2 : *Sicut lilium inter spinas*, etc. Et illud :

Sicut spina rosam, genuit Judæa Mariam.

Secunda causa, ut sapientia Dei misericordior appareret. Est enim exitus quod de bono bonum, et exitus est quo de malo malum. De primo : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona*[3]. De secundo : *Initium omnis peccati est superbia*[4], etc. Tertius exitus est, ut de bono malum, ut de muliere initium peccati. Quartus exitus est, ut de malo bonum, et hoc solius Dei est proprium, cujus sapientia vincit malitiam, attingens a fine usque in finem.

Tertia causa, ut confidentiam peccatoribus augmentaret, per hoc quod mediatrix eorum eadem propinquitate utramque extremitatem conjungeret, ut sicut mater esset et filia Dei, sic esset mater et soror nostra, et sic a natura inclinaretur ad miserendum peccatori. Propter hoc signatur per arcum positum in nubibus cœli in signum fœderis inter cœlum et terram : non potuit Deus cum peccatoribus efficacius stabilire pacem, quam quod filiam peccatorum suo Filio accepit uxorem sponsam et matrem, nec aliquis fidelius inter Deum et hominem pacem fecit, quam quæ mater utriusque fuit.

Ex prædictis igitur relinquitur, quod Joseph et beatissima Virgo Maria *de domo David* intitulantur[5] esse.

QUÆSTIO XXV.

Utrum matrem Dei congruat nobilem esse secundum carnem?

Ex hoc quæritur de nobilitate Virginis. Quæritur, utrum matrem Dei congruat nobilem esse secundum carnem?

§ I.

Et videtur, quod non.

1. Per illud Apostoli, I ad Corinth.

[1] Sapient. IV, 6.
[2] Psal. CXI, 2 et 3.
[3] Genes I, 31.
[4] Eccli. X, 15.
[5] Alias *intimantur*.

I, 26 : *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, etc. Sed beatissimam Virginem maxime elegit et præelegit. Ergo debuit esse ignobilis.

2. Item, Glossa super illud : « Venit enim humilis Deus quærens humiles, non altos. »

3. Item, Ibidem : « Non elegit reges, vel senatores, vel oratores, sed plebeios, pauperes, indoctos, piscatores. » Ergo cum beatissima Virgo præ omnibus istis sit electa, præ omnibus debuit esse ignobilis, et paupercula, et plebeia.

4. Item, Major videtur humiliatio ex parte Dei de ignobili, quam de nobili incarnari.

Quod si concedatur. Contra :

1. Quanto plus est aliquid elevatum sursum, tanto plus potest deprimi in deorsum : quanto enim mons altior, tanto vallis profundior : ergo quanto aliquid magis elevatum est sursum per nobilitatem et dignitatem, tanto magis potest descendere per humilitatem : sed beatissima Virgo fuit profundissimæ humilitatis : ergo debuit esse supremæ dignitatis et nobilitatis. Unde Augustinus : « Numquam fuisset super omnes choros Angelorum exaltata, nisi fuisset super omnes homines humiliata. »

2. Item, Bernardus : « In alto positus non alta sapere, ut supra. » Sed beatissima Virgo fuit Deo charissima : ideo debuit esse alta, et non sapere alta, sed humilibus consentire.

3. Item, Bernardus : « Quis non feret tolerabilius superbiam in divite quam in paupere ? » Sed humilitas est nobilior in divite quam in paupere : sed humilitas in beatissima Virgine fuit laudabilissima : ergo si humilitas est nobilior in divite quam in paupere : ergo fuit in nobili et divite.

4. Item, Hieronymus dicit quod servitia minus sunt grata, quanto magis sunt debita. Sed servitia magis sunt debita in servis quam in ingenuis. Ergo minus sunt grata in illis quam in istis, et plus in ingenuis. Sed servitia beatissimæ Virginis quæ erant maximæ servitutis, ut census solutio, et professio, et similia, erant Deo gratissima : ergo erant in persona nobilissima.

Ex his videtur, quod congruit, quod beatissima Virgo fuerit nobilissima. Quod autem sic fuerit, manifestum est : Nobilitas rei consistit et consideratur in tribus, in causa, substantia, et efficientia. In causa si a nobili origine principium ducat, in substantia si nobilem substantiam et proprietatem in se possideat, in efficientia si nobiles effectus de se producat. Beatissima igitur Virgo fuit nobilissima, utpote filia principis, in quo sibi Deus populum elegit peculiarem et distinxit ab aliis, Abraham scilicet, à quo ipsa quadragesima et una descendit generatione. In substantia : quia et naturæ perfectionem et gratiæ plenitudinem in se habuit. In efficientia : quia ipsum Deum de se generavit. Ergo beatissima Virgo in omnibus in quibus nobilitas consideratur, in summo nobilis invenitur.

§ II.

Juxta hoc quæritur, In quo consistat nobilitas secundum carnem ? Quia dicitur, quod nobilitas nihil aliud sit nisi inveteratæ divitiæ : ergo videtur, quod in divitiis : secundum hoc autem beatissima Virgo non fuisset nobilis, quia paupercula fuit a pauperibus generata.

Videtur etiam, quod ista nobilitas non sit a rebus. Similiter autem neque a corpore neque a nobilitate complexionis corporis est : inveniuntur enim reges et principes qui nobiles dicuntur, et sunt secundum carnem complexione existentes melancholici et phlegmatici : et e converso rustici sanguinei et cholerici : ergo nobilitas non trahitur a corpore.

Item, Videtur quod nec ab anima. Animæ enim non sunt ex traduce : ergo

anima filii nihil nobilitatis a patre habet vel ab anima patris.

Item, Seneca dicit, quod non facit nobilitatem atrium plenum majorum maginibus: quia quod ante nos est, nostrum non est, non enim vixerunt ad nostram gloriam. Et vult probare, sicut omnes qui loquuntur in hac materia, quod tantum nobilis est ille quem nobilitat sua virtus. Nobilitas sola est animum quæ moribus ornat. Et sic videtur, quod nobilitas secundum carnem nihil est.

§ III.

Responsio. Ad hoc dicimus, quod beata Virgo secundum omnem dignitatis et perfectionis et nobilitatis modum esse debuit et fuit nobilissima et dignissima in summo.

Notandum ergo, quod sicut in opposito tactum est, nobilitas genealogiæ completa consistit in tribus, in conditionis libertate, in officii dignitate, in vitæ sanctitate. Libertas conditionis in tribus consideratur, scilicet in causa, in substantia, in efficientia. Libertate quæ est in causa sive origine, beatissima Virgo fuit liberrima, utpote principis filia, cui dixit Deus: *In Isaac vocabitur tibi semen* [1]. Isaac autem non est filius ancillæ, sed liberæ. Item, ad patrem: *Princeps Dei es apud nos* [2]. Item, ad filiam: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis* [3]! id est, opera tua in sanctorum exemplis, quos imitaris et omnes excellis, et sic fuit liberrima in causa. In substantia quam facit liberam immunitas a peccato et gratiæ plenitudo, fuit etiam liberrima. Unde: *Ave, gratia plena* [4]. *Qui* enim *facit peccatum, servus est peccati* [5]. Ita e converso: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* [6]. Ipsa igitur beata Virgo semen Abrahæ est. Peccato non servivit umquam, implens illud Apostolicum: Sic incipite, sic loquimini sic facite tamquam incipientes judicari per legem perfectæ libertatis [7]. Et sic liberrima fuit in substantia, quæ numquam fecit peccatum, et gratia plena. Fuit etiam liberrima in efficientia passiva et activa: servis enim dicitur: *Si filius vos liberaverit, veri liberi eritis* [8]. Et secundum Glossam *liberavit* ponitur per *libertavit*. Si igitur servus qui est servus filii, libertatur, multo fortius mater filii liberrima fuit. Item, si veritas illos liberat quos illuminat, potius illam liberavit quæ eum generavit. Item, in efficientia activa liberrima fuit. Ipsa est enim per quam omnis creatura a servitute corruptionis liberata est, in libertatem gratiæ filiorum Dei, ubi cessat omnis prælatio, ubi servus liber est a domino suo.

Sicut autem orta est a nobilissimis, sic a dignissimis traducta fuit. Igitur nobilissima fuit in causa, substantia, et efficentia. In causa triplex est dignitas a quibus est originata, regalis, sacerdotalis, prophetalis. Prima, corporalis: secunda, spiritualis: tertia, cœlestis, quia futura prædicere, donum est Dei. Orta est de stirpe regali, ut in David et aliis. Patriarchali, ut in Abraham et aliis. Prophetali, ut in Nathan. Et sic fuit dignissima in causa. Similiter etiam in substantia: ipsa enim habuit istam triplicem dignitatem in substantia sua et persona. Fuit enim regina quæ adstitit a dextris ejus in vestitu deaurato [9]. Fuit et sacerdos justitiæ, qui proprio Filio non pepercit, sed stabat juxta crucem Jesu, ut dicit Ambrosius, non ut scilicet Filii mortem adspiceret, non ut dolorem Filii

[1] Genes. xxi, 12.
[2] Ibid. xxiii, 6.
[3] Cantic. vii, 1.
[4] Luc. i, 28.
[5] Joan. viii, 34.
[6] II ad Corinth. iii, 17.
[7] Cf. Jacobi, i, 25.
[8] Joan. viii, 36.
[9] Cf. Psal. xliv, 10

consideraret, sed ut salutem humani generis exspectaret. Fuit etiam prophetissa sapientiæ. *Accessi*, inquit Isaias [1], *ad prophetissam*, etc. Et sic fuit dignissima in substantia. Fuit etiam dignissima in efficientia: ipsa enim triplicem dignitatem originaliter transmisit in Filium principaliter, specialiter in nos, post hoc generaliter Filium genuit, qui rex et sacerdos et propheta fuit. Rex qui *habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium* [2]. De quo solo sapientes reges quæsierunt dicentes: *Ubi est qui natus est rex Judæorum* [3]? Sacerdos qui est sacerdos justitiæ qui est secundum ordinem Melchisedech, *qui per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa* [4]. Ipse propheta potens fuit in opere et sermone [5]. Istam triplicem dignitatem beata Virgo in nos transmisit, quæ nos Deo fecit regnum et sacerdotium, imo regale sacerdotium et sacerdotale regnum, de quo dicitur, Luc. I, 32: *Regnabit in domo Jacob*, etc. Sic ergo patet, quod nobilissimæ genealogiæ beata Virgo fuit.

§ IV.

Quod autem quæritur, quid fuerit ista nobilitas secundum carnem?

Respondemus, quod nobilitas secundum carnem est traductio carnalis originis a parentibus secundum sæculum, in divitiis, vel potentia, vel dominio constitutis: ex quibus, quantum ex parte naturæ est, causatur in filiis similitudo complexionis, et conformitas morum, et imitatio operationis: homo enim pauper et ignobilis si in divitiis incipit affluere, incipit deliciis magis vacare, cibis delicatioribus se nutrire, et sic complexione nobilitata exercitiis honestioribus se occupare, damna parva minus curare pravis lucris minus inhiare, alienum dominium minus timere, dona minus curare, libertatem magis appetere, majorum consortia contrahere, cum ipsis matrimonium jungere, et opera eorum et mores imitari. Et sic natura primo servilis et ignobilis, victa per consuetudinem in contrarium transmutatur: et quanto hoc a remotiori et diuturniori radice ad ramos transmittitur, tanto magis naturæ inclinatio induratur, et inseparabilior efficitur, ut in filiis quantum est ex parte naturæ ad consilia parentibus inveniatur inclinatio naturalis. Et hoc apponitur nobilitati carnis, quæ quantum est de sui natura, semper ad honesta et decentia plus quam ad vilia inclinatur. Et hoc totum verum est, nisi libertas arbitrii, vel consuetudo, vel alia causa extrinseca contrarium operetur. Et sic patet, quod nobilitas non est tantum ex qualitate complexionis, cum rex vel digna persona melancholicæ complexionis, magis sit audax vel largus rustico, propter consuetudinem consanguineæ complexionis: licet enim anima non sit ex traduce, tamen existens in carne operatur plus, vel fortius, frequentius, secundum quod a carne amplius ad aliquid inclinatur.

§ V.

Quod autem sola nobilitas mentis videtur laudanda.

Respondemus, quod si qualitas operationis contraria agit nobilitati originis, tanto vitiosior et detestabilior est deformitas operationis, quanto magis est contra na-

[1] Isa. VIII, 3.
[2] Apocal. XIX, 16. I ad Timoth. VI, 15.
[3] Matth. II, 2.
[4] Ad Hebr. IX, 12.
[5] Cf. Luc. XXIV, 19.

turalem inclinationem originis : et sic magis est culpabilis vitiosus nobilis quam ignobilis. Ubi autem nobilitas originis perficitur et ornatur nobilitate morum et operationis, utraque præstat alteri munimentum laudis. Deinde virtus originis ostenditur in operatione, non quasi adventitiam et cito mutabilem, sed quasi propriam et innatam et debitam nobilitatem contraxerunt a parente : et dum virtus mentis fundamentum et radicem habet nobilitatem carnis, difficilius a virtute movetur dignitatibus non mutabilibus, sed quasi innatis minus elevatur, et humiliationibus quasi magis indignis altius exaltatur : et dum virtus mentis forsan tepuerit, ipsa carnis nobilitas ipsam ad nobilia excitat. Inde est, quod quando hæ duæ nobilitates conjunguntur, ambæ merito laudantur. Unde fulgebat duplex decus in venerando Gregorio : Senatoria dignitas, voluntaria paupertas, etc. Si autem separentur, nobilitas carnis non laudatur, sed vituperatur : nobilitas enim mentis sine nobilitate carnis tanto amplius laudatur, quanto etiam propriam vincens naturam laudabiliter operatur. Versus :

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles [1].

Item, alius :

Consultor procerum servos contemne bilingues.

Quod etiam objicitur, quod *non multi potentes secundum carnem, et non multi sapientes* [2], etc.

Dicimus, quod intelligendum est de prædicatoribus per quos mundus ad fidem erat convertendus, quos congruebat plebeios esse et indoctos, ne eorum potentiæ vel sapientiæ vel dignitati adscriberetur illud quod Deus per gratiam et eorum ministerium operabatur : et sic crux Christi evacuaretur : unde congruebat, quod non doctis humanæ sapientiæ verbis, nec in potentia dignitatis homines ad fidem deciperentur vel cogerentur, sed simplicibus simplicium verbis exterius cooperantibus, divina virtute interius operante, humilis ad humilem humiliter vocaretur : et sic Deus humilis exaltaretur, et diabolus qui per superbiam vicerat, per humilitatem vinceretur. Unde Glossa ibidem : « Si non fideliter præcederet piscator, non humiliter sequeretur orator. » Aliud autem reformabat per actum in matre, quam decebat modis omnibus quibus potuit exaltare, et sibi nostram naturam uniendam in ipsa de qua eam assumpsit per omnia honorare. Ut sua igitur erga nos gratia tanto major appareret, quanto nostram naturam sibi inseparabilius uniret, et quanto medium illius unionis multiplicius decoraret : ejusque humilitas tanto profundior et majoris gratiæ capacior fieret, quanto eam et gratiæ plenitudo et nobilitas elevaret.

[1] Juvenalis, Sat. 8.

[2] I ad Corinth. i, 26.

QUÆSTIO XXVI.

Quare B. Virgo cum de genealogia nobilissima descendisset, per se non sit, sed per Joseph genealogizata ?

Post hæc quærimus, cum de genealogia nobilissima descendisset Virgo beata, quare per se non sit, sed per Joseph genealogizata ?

Ad quod sic respondit Damascenus : « Oportet scire, quod non fuit consuetudo Hebræis neque divinæ Scripturæ genealogias texere mulierum. Nam lex fuit non desponsare tribum ex tribu alia. Joseph autem ex Davidica descendit stirpe et justus erat : hoc enim de ipso divinum testatur Evangelium. Non igitur præter legem, inquit, sanctam Virginem ad desponsationem duxisset, nisi ex ejus sceptro descendisset. Monstrans igitur viri Joseph descensionem, contentus est [1]. »

QUÆSTIO XXVII.

Quare sacra Scriptura non genealogizet mulieres, et maxime Beatam Virginem ?

Ex hoc autem oritur quæstio, quare sacra Scriptura non genealogizet mulieres, et maxime beatam Virginem ?

§ I.

Etenim si hoc esset propter sexus indignitatem, tunc cum major sit indignitas culpæ quam naturæ, potius mali quam mulieres non deberent genealogizari : hoc autem patet esse falsum, ut in Cain et Esau.

Si autem hic diceretur, quod sit propter generandi principalitatem : quia masculus generat in altero, fœmina ab altero : per hoc dictum non solvitur, quod genealogizandi a maribus et fœminis generantur.

Si autem diceretur, quod hoc sit propter peccati principium quod fuit a muliere, secundum hoc viri non debent ge-

[1] S. J. Damascenus, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 14.

nealogizari : quia per virum transmissum est peccatum originale : quia in Adam omnes peccaverunt : non enim peccatum originale contraxissemus, si Adam non peccasset et per aliam generasset.

Item, Si dicitur quod hoc est propter mysterium : quia filii signant opera virtutum, filiæ opera infirmitatis : hoc etiam sufficere non videretur, cum mali filii directius et expressius opera mala significent, quam filiæ. Et sic nulla videtur causa, quod mulieres non genealogizentur in sacra Scriptura.

Item, Constat quod hoc ipsum quod non genealogizantur, fit in aliquam pœnam mulierum : ergo quidquid fiet de aliis, illa benedicta inter mulieres exempta est ab omni peccato muliebri : quare cessante causa maledicti, debuit genealogizari.

§ II.

Responsio. Ad hoc respondemus, quod non est sacræ Scripturæ mulieres genealogizare, propter causas in opposito tactas simul junctas : quia sexus indignior, natura posterior, culpa prior, ad opera infirmitatis congruentior signanda. Unde Apostolus, I ad Timoth. II, 11 et seq. : *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primo formatus est, deinde Heva : et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.*

§ III.

Solutio objectorum. Quod autem primo objicitur, quod mali genealogizentur, hoc non est in quantum mali sunt, vel quia mali. Nec est de principali intentione Scripturæ in quantum hujusmodi eos genealogizare : sed accidit, quod mali non in quantum mali generentur a bonis, et boni licet ut hujusmodi non descendant ab ipsis. Unde cum alicujus boni activa generatio describitur, et quandoque mali, et quandoque boni ponuntur : qui omnes in quantum boni bonitate naturæ a bono naturaliter oriuntur. Similiter quando alicujus boni generatio passiva describitur, et boni patres et mali numerantur : quia bonus a bonis et a malis propagatur.

Item, Transgressio peccati mulieri principalius imputatur : quia origo peccati Adæ et per consequens omnium prædictorum ipsa fuit.

Item, Filiæ signant convenientius opera mala quam filii mali : mali enim non sunt in quantum mali, sed in quantum boni : et sic minus congrue signatur exitus mali a bono. Filiæ autem ratione sexus sunt infirmiores : et sic opera infirmitatis significant congruentius.

His ergo rationibus mulieres in pœnam earum non genealogizantur, a qua maledictione penitus exempta fuit beata Virgo, cujus genealogia expressissime declaratur, et patentissime evangelizatur, et in hoc quoque commendatur ejus privilegium dignitatis, quod præ omnibus mulieribus genealogizatur, quod notat excellentiam dignitatis.

Quod autem hoc fit per virum sibi desponsatum, declarat eminentiam humilitatis : ut manifestetur mirabilis pulchritudo dignitatis et humilitatis, cum et dignitas excellit humilitatem, et humilitas super omnia præcipue ornat dignitatem. Unde, Bernardus : « Quæ est virtutum æque potens dæmonum debellare superbiam et tyrannidem hominum ? Cæterum cum omni indifferenter personæ hæc sit quædam turris fortitudinis a facie inimici, tamen nescio quo pacto vis ejus major est in majoribus, et in clarioribus clarior comprobatur. Nulla splendidior gemma in omni præcipue ornatu

summi pontificis. Quæ enim celsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior et seipso[1]. » Sic ergo privilegiavit Dominus matrem suam super omnes mulieres in eo quod genealogizatur : et humilitate ornavit secundum quod hæc genealogia ad ipsam per virum descendere denuntiatur.

QUÆSTIO XXVIII.

Cur Evangelista dixerit, Et nomen Virginis in genitivo ?

Post hoc quæritur de hoc quod dicit : *Et nomen Virginis*[2], in genitivo : et superius de Joseph, *Cui nomen*[3], per dativum.

Ad quod respondemus, quod dativum construitur acquisitive, genitivus vero possessive. Et nomen *Joseph* adscribitur per dativum : quia signatio nominis sui sonat augmentum, quod per sponsalia ei de beatissima Virgine est actualiter acquisitum : beata autem Virgo sanctificationem sui nominis non quasi de novo acquisivit, sed etiam in hoc nata fuit : semper enim stella maris fuit, et tam præcedentes se quam sequentes illuminavit : quia nisi per fidem Verbi incarnati vel incarnandi de Virgine numquam aliter salus fuit. Unde ipsa in fide hominum et Dei electione et confirmatione Domina et regina creaturarum super fuit.

QUÆSTIO XXIX.

Quomodo congruit matrem Dei appellatam fuisse Mariam ?

Post hoc quæritur, Quomodo congruit matrem Dei appellatam fuisse *Mariam* ?

§ I.

Videtur, quod

1. Potius appellari debuit Heva, quia in Genesi dicitur : *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva, eo quod mater esset omnium viventium*[4]. Si ergo illa est Heva appellata, quæ erat mater omnium viventium vita naturæ, multo fortius illa beatissima Virgo debuit vocari Heva, quæ est mater omnium viventium vita gratiæ. Heva enim interpretatur *vita*.

[1] S. Bernardus, Lib. II de Consideratione, cap. 6.
[2] Luc. I, 27.
[3] Ibid.
[4] Genes. III, 20.

2. Item, Numquam invenitur in Veteri Testamento per aliquam mulierem hujusmodi nominis significata : ergo videtur, quod potius debuit vocari Rachel, vel Rebecca, vel Judith, vel Esther, per quas fuit beatissima Virgo figurata.

3. Item, Cum ista Virgo fuit singularis inter omnes, quæ nec primam similem visa est nec habere sequentem in re : ergo nec similem habere debuit in nomine : ergo cum multæ ante et post fuerint Mariæ, Domina nostra non debuit illud nomen habere.

4. Item, Sicut se habet res ad rem, ita nomen ad nomen : sed beata Virgo post Filium Dominum nostrum Jesum Christum ei simillima fuit in re : ergo et nomine : ergo videtur, quod a Christo Christiana debuit vocari, vel a recreatione recreatrix appellari, vel aliud dignissimum nomen cogitari.

5. Item, Cantat Ecclesia :

Sumens illud ave,
Mutans Hevæ nomen.

Ergo videtur, quod beatissima Virgo deberet *Ave* appellari.

§ II.

Responsio. Ad hoc respondemus, quod nomen Maria in hoc loco beatissimæ Virgini congruentissime adaptatur, et propter rei perfectionem quæ in nomine denotatur, et ad exprimendam proprietatem conceptionis quæ hic annuntiatur, et ad statum designandum mediationis beatissimæ Virginis, qua mediante genus humanum per mare hujus sæculi ad portum cœli exemplo, suffragio, et merito revocatur. Unde, Bernardus : « Loquamur pauca et super hoc nomine quod interpretatur *maris stella*, et matri Virgini congruenter aptatur. Ipsa namque aptissime sideri comparatur : quia sicut sine sui corruptione sidus emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturivit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis stella ex Jacob orta [1], cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor et præfulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclàra et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare : ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum : respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis : respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, judicii terrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, et desperationis abysso : cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde : et ut impetres ejus orationis suffragium, non differas conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias : ipsam rogans non desperas : ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis : et sic in temetipso experiris quam merito dictum sit : *Et nomen Virginis Maria* [2]. » Maria enim interpretatur Domina, stella maris, illuminata, illuminatrix, amarum mare.

[1] Cf. Numer. xxiv, 17.

[2] S. Bernardus, Homilia 2 super Missus est.

Ipsa enim omnium quorum Deus dominus est, domina est. In quo notatur singularis excellentia veri solis, sine corruptione, vel diminutione, vel sui degeneratione : in quo exprimuntur proprietates conceptionis. Ipsa enim est divinarum illuminationum immediate susceptiva, ipsa omnium bonitatum universaliter distributiva. Inde dicitur *stella maris* : quia omnibus præsentis vitæ gratiis semper plenissima. Inde dicitur *Maria* : quia sicut in mari est congregatio omnium aquarum, ita in ipsa est aggregatio omnium gratiarum. Unde, Genes. I, 10 : *Congregationes aquarum vocavit Maria*. Locus autem gratiarum omnium vocatur Maria. Ipsa enim in suiipsius conversatione per totum amara, in Filii passione amarissima, omnibus de amaritudine exeuntibus, ipsa exemplum fuit et causa. His autem rationibus beatissima Virgo Maria hic appellatur *Maria*.

§ III.

Solutio objectorum. Non autem hic Heva debuit appellari, eo quod sit mater omnium viventium per generationem spiritualem, cum de illa per se hic non agatur, sed de carnali ejus generatione, qua ex castissimis carnibus et sanguinibus genuit Filium Dei unigenitum et omnium redemptorem. Hæc igitur in Filii conceptione sine dolore antequam parturiret, peperit masculum Filium suum primogenitum Jesum Christum. Postea vero tempore passionis parturivit terra in die una, et parturiebatur gens simul, quia parturivit et filios suos peperit. Hæc autem quia non parit nisi Filium suum primogenitum sine dolore, sine corruptione, sine diminutione, congruenter designatur nomine *stellæ*. Et sicut sidus radium parit, Virgo Filium pari forma : neque sidus radio, neque Virgo Filio est corrupta. Tempore vero passionis ubi mater misericordiæ, Patri misericordiarum in operatione summæ misericordiæ affuit, et dolorem passionis secum sustinuit, nam ipsius animam pertransivit gladius, et consors passionis, adjutrix facta est redemptionis, et mater regenerationis : unde ibi propter fœcunditatem spiritualem qua totius generis humani mater spiritualis effecta est, non sine parturitione doloris omnes nos in vitam æternam in Filio et per Filium vocavit et regeneravit, *mulier* merito dicta fuit. Nomine autem Hevæ vocari non debuit, cum in re et effectu contraria ei fuit per omnia : illa enim damnavit, ista salvavit : unde et ipsa nomen Hevæ mutavit non voce quidem, sed re : illa quidem omnes generavit in mundum, ista in cœlos : illa mater carnalis, ista mater misericordiæ : illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis : illa gratiam perdidit, ista gratiam invenit : illa transivit et nos transire fecit de gratia in culpam, ista surrexit et nos surgere fecit secum de culpa in gratiam : illa de latere viri dormientis facta est, ista de corde Dei vigilantis : illa viro suo occasio perditionis, hæc viro adjutorium redemptionis : illa desponsatur mater et origo corruptarum, hæc desponsatur mansura mater et Virgo virginum : illa prima virginitatem perdidit, ista prima virginitatem Deo consecravit : illa a diabolo decepta, hæc ab Angelo edocta : illam diabolus vicit per superbiam, ista vicit diabolum per humilitatem.

Et sic patet qualiter mutavit nomen Hevæ.

Quod autem objicitur, quod per nullum hominis nomen figuratur. Dicimus, quod hoc congrua dispensatione agitur, ut dum nulla ipsam figurans simile habeat nomen, ipsa significantium omnium debet transcendere rationem, utpote quæ nec primam similem visa est nec habere sequentem.

Quod autem hujusmodi nominis ante et post feminæ inveniuntur, intelligi datur nobis, quod licet nulla fœminarum

ei similetur per æquiparantiam, nulla tamen ab ejus participatione excluditur. In signum igitur quod res sui nominis omnibus communicare desiderat per effectum, et nihil sibi retinere cupiens private proprium, communicat aliis etiam suum nomen.

Item, Non debuit ei esse aliquod nomen a creatore vel a Christo : quia in ista annuntiatione non agitur qualiter ipsa a Christo, sed qualiter Christus ab ea procedit : Christiani nomen non erat ei specialiter imponendum quod erat ad omnes generaliter derivandum. Et si aliquod nomen ei aptari potuerit excellentioris dignitatis, tamen nullum a majori negotii de quo agitur proprietate, ut patet per supra dicta verba beati Bernardi.

Ex quibus colligitur, quod tribus de causis per hoc nomen in hoc loco beatissima Virgo congruentissime nominatur, scilicet propter personæ suæ dignitatem, actionis suæ utilitatem, conceptionis divinæ proprietatem. Dignitas personæ exprimitur per naturam lucis, quæ intelligitur per stellam maris. Nihil enim dignius luce vel nobilius. Cujus ratio, quia primo et principaliter divinæ naturæ, posterius naturæ angelicæ, ultimo corporeæ naturæ comparatur. Et nihil est nobilius in corporibus luce corporali, in spiritualibus luce spirituali, in summo autem nobilis lux divinæ naturæ : *Deus* enim *lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* [1]. Unde lux ad illam lucem immediatissima, secundo loco erat nobilissima : hæc autem erat beata Virgo, quæ non solum ab hac luce sicut luna a sole illuminata fuit, sed sicut aurora de se solem produxit, quæ omnia illuminabilia illuminavit, et sic per naturam lucis exprimitur dignitatis excellentia beatissimæ Virginis.

Per hoc quod additur dicendo, *stella maris*, tangitur utilitas operationis, in hoc quod omnes naufragos deducit ad portum maris salutis æternæ. Nihilominus per hoc quod dicitur *stella maris*, tangitur proprietas conceptionis : quia sicut sidus radium, etc., videlicet sine corruptione, sine diminutione, sine pollutione concepit Filium.

QUÆSTIO XXX.

Cur Evangelista dixerit : Ingressus, et an januis clausis, vel apertis sit ingressus ?

Consequenter quæritur de hoc quod dicit, *Ingressus* [2], utrum januis clausis vel apertis sit ingressus ?

§ I.

Et videtur, quod januis apertis : quia

1. Beata Virgo vidit eum oculis non glorificatis sine miraculo : ergo et Angelus habuit corpus assumptum non glorificatum : ergo non potuit intrare januis clausis.

2. Item, Scriptura hoc non dicit : sed si factum esset, diceret, sicut de Domino dixit, quando ad discipulos januis clausis intravit [3].

Contra : Augustinus dicit, quod Angeli

[1] I Joannis, I, 5.
[2] Luc. I, 28.
[3] Joan. XX, 26.

assumunt sibi corpora, in quibus apparent, de purissimis elementis. Ergo potuit januis clausis intrare.

Item quæritur, Quare hic dicat repetendo hoc nomine, *Angelus* [1], et non Gabriel, cum in proprio nomine intelligatur nomen commune, et non e converso.

Item Quæritur de hoc quod dicit, *Ad eam* [2], scilicet qualiter secundum situm se habuerit sive positionem? Diversa est enim positio corporis in vacantibus orationi, scilicet prostratio, genu curvatio, sessio, statio, inclinatio, in qua istarum fuit, quando ei Angelus istam plenitudinem nuntiavit?

Videtur, quod debuit sedere: hoc enim est proprium contemplationis, juxta illud: *Maria sedens secus pedes Domini* [3], etc. Et etiam Philosophus dicit: Anima sedendo et quiescendo fit prudens.

Quod autem prostrata debuerit esse, videtur: quia illa maxime pertinet ad humilitatem. Unde in Apocalypsi, I, 17: *Cecidi ad pedes*, scilicet Angeli.

Item, Quod stare debuerit, videtur: quia exterior honoris status signum est status interioris: sed secundum hominem interiorem maxime tunc fuit erecta: ergo secundum exteriorem hominem stare debuit erecta.

Item, Si sedit, utrum Angelo veniente surrexit?

Et videtur, quod sic: quia hoc ad honestatem pertinebat: unde Rachel excusavit se, quia patri assurgere non potuit [4].

Item, In altari Dominum suscipimus stando: ergo ille est reverendissimus modus Dominum suscipiendi.

§ II.

Ad primum respondemus per beatum Respon
Bernardum, qui dicit: « Quo ingressus ad eam? Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli adstare orantibus, et delectari in his quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerunt in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam, tam reverenter salutavit. Nec fuit difficile Angelo per clausum ostium penetrare abdita Virginis, qui utique ex subtilitate substantiæ suæ hoc habet in natura, ut nec seris ferreis ejus arceatur ingressus, quocumque suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æque corpora quantumlibet solida vel spissa, penetrabilia sunt eis ac pervia. Suspicandum igitur non est, quod apertum invenerit Angelus ostiolum Virginis, cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia, ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentiæ castitas tentaretur. Clauserat itaque etiam illa hora suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis. Proinde etsi ad eam potuit intrare Angelus: sed nulli hominum facilis patebat accessus [5]. » Ex his colligendo credimus Angelum clausis januis intrasse, et hoc potuisse propter naturæ suæ subtilitatem, et assumpti ætherei corporis qualitate, beatissimam autem Virginem in adventu ejus inclinatis genibus, et elevatis puris manibus, erectis

[1] Luc. I, 28.

[2] Ibid.

[3] Luc. X, 39.

[4] Genes. XXXI, 35.

[5] S. Bernardus, Homilia I super Missus est.

in cœlum oculis ad Patrem misericordiarum pro incarnatione Filii sui devotissimas preces cum lacrymis fudisse, et Angelo veniente reverenter assurrexisse, et percepta ejus annuntiatione credendo in eam consensisse, et quanto citius potuit impleri, flexis genibus rursus in terram, et elevatis in cœlum oculis ac manibus, ex intimo corde erumpentibus præ gaudio lacrymis devotissime flagitasse, et sic Deum pariter et hominem concepisse. Et iste quidem modus positionis et situs est eorum qui de manu Angeli, id est, sacerdotis suscipiunt corpus Dominicum de altari.

Quod autem hic repetitur nomen commune Angeli cum dicitur : *Ingressus Angelus*[1], per hoc quidem datur intelligi, quod omnino in ratione nuntii venit, scilicet quod sua auctoritate non venit, quod istud negotium non invenit, non nisi missus intravit, non sua verba sed divina protulit, salutationem non dictavit, sed detulit, quo omnium novorum novissimum nuntiavit.

QUÆSTIO XXXI.

Utrum Evangelica salutatio congrue incipit ab Ave ?

§ I.

Jam nunc quæramus de salutatione, quæ non congrue videtur incipi ab *ave*[2].

1. Cum in salutationibus soleant propria nomina et dignitatum præmitti, et post hoc personæ recipienti salus optari, vel gratia, vel servitium, vel dilectio demandari : quæ omnia in hac salutatione non videntur observari.

2. Item, Iste modus salutandi per secundam personam, est modus salutandi a seipso et personaliter et non ab alio : ergo videtur, quod Angelus salutavit eam ab ipso et non a Deo.

3. Item, *Ave* dicit remotionem pœnæ, *salve* præsentiam boni, et permanentiam salutis : ergo major perfectio significatur per *salve* quam per *ave* : ergo ista perfectissima salutatio debuit potius incipere a *salve* quam ab *ave*.

4. Item, *Ave* pertinet ad incipientes, et *salve* ad proficientes, *gaude* ad perfectos : ergo cum beatissima Virgo fuerit perfectissima, per *gaude* fuit salutanda : quod etiam videtur per locum a minori : Angelus enim salutavit Tobiam : *Gaudium tibi sit semper*[3].

5. Item, Consuetudo et modus salutandi quem ipse Deus tenuit et docuit, fuit : *Pax vobis*[4]. Hunc etiam tenuit dicens : *Pax huic domui*[5]. Ergo iste modus salutandi est nobilissimus : igitur debuit in salutatione nobilissima observari.

6. Item, Non bene, neque vere videtur ei Angelus dicere *ave*. Aut enim hoc dixit optando, aut prædicendo de futuro, aut

[1] Luc. I, 28.
[2] Luc. I, 28.
[3] Tob. V, 11.
[4] Luc. XXIV, 36 ; Joan. XX, 19 et 21.
[5] I Regum, XXV, 6 ; Matth. X, 12 ; Luc. X, 5.

narrando de præsenti. Si narrando de præsenti, falsum dixit: quia adhuc sine væ non fuit. Si optavit, ergo voluntatem suam voluntati divinæ non conformavit: quia eam multa pati voluit. Si autem futura prædixit, non salutavit, sed prophetavit, quod præmium est commune omnium salvandorum, quia quandoque erunt sine væ.

§ II.

In contrarium objicitur et probatur, quod beatissima Virgo fuit sine *væ*. Seneca probat, quod sapiens non turbatur, hoc modo: « Validius est quod lædit eo quod læditur: fortior non est virtute nequitia, sed infirmior: sed non læditur quis nisi a malis: igitur non læditur[1] » Item dicit: « Quidquid in sapientem fit petulanter, proterve, superbe, frustra tentatur. » Item, Idem in eodem: « Divinitati non nocetur: sed omnis sapiens in participatione Deus est: igitur sapienti non nocetur. » Item, « Omnis injuria est alicujus rei quæ perdi potest: sapiens nihil perdere potest: omnia in se reposuit, nihil credidit fortunæ, bona sua habuit in solido: nihil eripit fortuna, nisi quod dedit: virtutem autem non eripit, quia non dedit[2]. » Ex istis autem concludit, quod nulla turbatio cadit in sapientem: sed citra Deum in statu viæ beatissima Virgo fuit omni sapiente sapientior: ergo debuit esse sine omni væ.

Quod si concludatur, contrarium tamen videtur esse: cum adhuc sit sub *væ* subjectionis, quod est ex peccato secutum, juxta illud: *Sub viri potestate eris*[3]. Item sub *væ* afflictionis, juxta illud: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*[4]. Item sub *væ* damni, id est, sub maledicto legis: quia sterilis adhuc fuit.

§ III.

Ad prædicta respondemus, quod cum duplex sit modus salutandi, scilicet tam per seipsum quam per alium, amicabilior et nobilior est ille qui per seipsum, quam qui per alium. Hæc igitur salutatio perfectissima et amicabilissima non fit tamquam per absentem et per alium, sed tamquam præsentis ad præsentem et per seipsum. Recte igitur modo præsenti taliter Angelus salutationem ab *ave* inchoavit salutatio illa in qua Deus Trinitas præsens præsentem Virginem in Angelo salutavit. Verbum etiam deprecativum, et salutativum, et nuntiativum fuit: quia beatitudinem quam Angelus beatissimæ Virgini nuntiavit, illam ei exhiberi et impleri ardentissime concupivit, et devotissime optavit. Aliud etiam verbum salutandi poni non debuit, in quo salutis status vel profectus vel perfectio notaretur: quia cum ista salutatio sit totius salutis inchoatio, quæ primo et principaliter et per se beatissimæ Virgini nuntiatur, et in ea et per eam toti generi humano destinatur, recte incipit ab *ave*: initium enim beatitudinis remotio est miseriæ. Responsio.

Alia autem beatitudinem perficientia exprimuntur per alia verba in salutatione sequentia, ut patebit.

§ IV.

Concludimus etiam, quod beatissima Virgo fuit diversimode sine diversis *væ*. Fuit enim sine *væ* communi omnibus hominibus, sine *væ* speciali mulieribus, sine *væ* proprio matribus. Ex parte enim corporis omnis homo incurrit triplex *væ*

[1] Seneca, ad Serenum, cap. 7.
[2] Idem, ibid., cap. 8.
[3] Genes. III, 16.
[4] Luc. II, 35.

per peccatum, scilicet ipsius corporis discrasiam sive distemperationem, et naturalium appetituum inordinationem. Item, ipsius ante mortem corporis ad animam repugnantiam secundum quod caro concupiscit adversus spiritum. Item post mortem corporis incinerationem. De isto triplici *væ* legitur, Genes. III, 17 et seq. : *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* In maledictione operum notatur inordinatio appetituum naturalium, in spinis et tribulis concupiscentia contra spiritum, in labore et sudore distemperatio corporis, per reversionem in pulverem incineratio. Sine isto triplici *væ* fuit ista beatissima Virgo in corpore, quæ et corpus habuit eucraticum, cum spiritu per omnia pacificum, et numquam in cineres resolvendum.

Similiter ex parte animæ omnis homo incidit triplex *væ* : errorem, pudorem, et dolorem. Errorem in rationali, dolorem in concupiscibili, pudorem in irascibili. Error triplex est, in eligendo, discernendo, et exsequendo. Dolor triplex, in præsenti, in præterito, in futuro, hoc est, mœror, dolor, timor. Pudor triplex, pudor de essendo, de agendo, de patiendo, hoc est, quod turpis est, quod turpia fecit, quod turpia sustinuit. De *væ* erroris dicit Augustinus : « Error non est hominis instituti a natura, sed pœna damnati. » De *væ* doloris, Genes. II, 17 : *In quocumque die comederis ex eo*, scilicet peccaveris, *morte morieris.* De *væ* pudoris ante peccatum, Genes. II, 25, dicitur : *Erat uterque nudus*, Adam scilicet et uxor ejus : *et non erubescebant.* Post peccatum autem dicitur, Genes. III, 11 : *Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti ?* Et sic *væ* pudoris ex peccato consecutum est. Ab illo triplici *væ* immunis fuit beatissima Virgo : quia nec in discretione, nec in electione, nec in exsecutione umquam erravit, utpote quæ Virgo prudentissima fuit : propter quod etiam libros Sapientiæ de ipsa exponunt Sancti, quæ sine consilio Spiritus sancti nihil fecit. Et sic fuit sine *væ* erroris. Dolorem quoque suæ rationi dominantem, ut probant auctoritates Senecæ, numquam habuit, quæ in omnibus et secundum omnes potentias ordinatissima fuit, in qua ratio semper superior et imperans fuit : unde quidquid doloris sustinuit, ei in materiam amoris et gaudii semper totum cessit, et sic in ea dolor gaudio rationis numquam contrarius fuit. Et sic fuit sine *væ* doloris. Item, nihil turpitudinis fecit umquam, nec habuit, nec sustinuit. Et sic ab omni *væ* pudoris immunis fuit.

Item, Ex peccato secutum fuit triplex *væ* in conjuncto, væ pœnæ, væ ignorantiæ, væ culpæ. Item, triplex væ culpæ, originalis, actualis, ac venialis. Culpa actualis mortalis triplex habet væ, scilicet væ avaritiæ in opere, væ luxuriæ in corpore, et væ superbiæ in corde. De isto triplici væ dicitur in Apocalypsi, VIII, 13 : *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Item, væ pœnæ triplex est, scilicet væ pœnæ gehennæ, væ pœnæ purgatorii, et væ pœnitentiæ. Item, væ ignorantiæ triplex fuit, ignorantia credendi, ignorantia operandi, ignorantia salvandi, hoc est, quod homo in statu viæ ignorat quid credendum, utrum amore vel odio dignus sit ad salvandum. Sine omni triplici *væ* fuit beatissima Virgo Maria, sed tripliciter, sine væ culpæ actualiter, sine væ pœnæ causaliter, sine væ ignorantiæ habitualiter : ignorantiæ autem dico eorum quæ pertinent ad salutem vel mysterii incarnationis revelationem. De his enim omnibus plenarie edocta fuit per eum, cujus unctio docet de omnibus.

Item, Est triplex *væ* mulieribus specialiter, in virginibus væ sterilitatis, in conjugatis væ subjectionis, in viduis væ desolationis, quibus ultimis duobus an-

nexum est væ corruptionis. Ab isto triplici væ immunis fuit beatissima Virgo. Fuit enim virgo sine sterilitate, conjugata sine corruptione et subjectione, vidua cum virginitate et sine desolatione, ut infra manifestius explicabitur supra, *Benedicta tu in mulieribus*.

Item, Tria væ sunt in matribus, væ damni, væ indigentiæ, et væ culpæ et pœnæ simul. Et quodlibet istorum væ triplex fuit. Omnis enim alia mater in conceptu perdidit virginitatem, et post conceptum corporis venustatem vel sanitatem, in partu hominum societatem. Ab isto triplici *væ* immunis fuit beatissima Virgo, quæ ex conceptu non perdidit virginitatem, sed acquisivit eam qua sub Deo major nequit intelligi puritatem : nec post conceptum perdidit pulchritudinem, imo tanta pulchritudine radiavit, quod eam Joseph inspicere non potuit. Unde super illud, *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*[1], Glossa dicit : Mariam facie Joseph non cognovit, id est, videre non poterat, quam Spiritus sanctus a conceptione penitus impleverat : et ideo non cognoscebat facie ad faciem quam desponsaverat, donec uterus evacuaretur. Et sic constat, quod post conceptionem non perdidit pulchritudinem. Item, nec in partu perdidit hominum societatem, imo tunc mediatrix Dei et hominum constituitur, in puerperio a pastoribus et regibus visitatur.

Item, Væ indigentiæ triplex est. Matres enim futuræ in conceptu indigent pari, post conceptum quiete, in partu obstetricatione. Hæc autem beatissima Virgo in conceptu non habuit parem : quia concepit Spiritu sancto cooperante. Et neque post conceptum indiguit quiete, imo et abiit in montana Judææ salutare Elisabeth et ipsi ministrare. Item, in partu non indiguit obstetricatione, sed gaudebat Dei genitrix, quam circumstabant obstetricum vice concinentes Angeli gloriam Deo.

Item, Væ culpæ et pœnæ simul in matribus est triplex. Est enim in eis libido in concipiendo, gravitas in portando, dolor in pariendo. A quibus omnibus immunis fuit beata Virgo, quæ concepit sine libidine, gravida fuit sine gravamine, peperit sine dolore. Unde, Isaiæ, LXVI, 7 : *Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit filium*[2].

Et sic concedimus universaliter, quod beatissima Virgo fuit sine omni *væ*, vel causaliter, vel actualiter, vel habitualiter.

QUÆSTIO XXXII.

Quare Ecclesia in generali consuetudine apponat Mariæ in salutando, dicendo : Ave Maria ?

§ 1.

Post hoc quærimus, quare Ecclesia in generali consuetudine apponat Maria in salutando dicendo : *Ave Maria*

1. Cum olim nihil licebat apponi ad Evangelium, juxta illud Apocalypsis, XXII, 18 et 19 : *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus,*

[1] Matth. I, 25.

[2] Vulgata habet *masculum*.

auferet Deus partem ejus de libro vitæ. Et simile habetur in Deuteronomio[1].

2. Item, Damascenus : « Omnia quæ tradita sunt per legem, Prophetas, Apostolos et Evangelistas, suscipimus et veneramur et cognoscimus, nihil ultra hoc inquirentes. » Ergo cum Evangelista non apposuerit *Maria*, nos non debemus apponere.

3. Item, Angelus dimisit vel propter causam, vel sine causa. Si sine causa : ergo male fecit dimittendo. Si autem propter causam omisit : ergo nos male facimus apponendo. Videtur autem, quod Angelus male omisit : quia propria nomina in salutationibus apponere est consuetudo.

4. Item, In collatione magnarum dignitatum solet fieri mutatio nominum, ut patet in Papa. Unde Dominus ad Petrum : *Tu es Simon, filius Joan : tu vocaberis Cephas*[2]. Videtur igitur, quod in ista collatione summæ dignitatis collatæ beatissimæ Virgini, nomen ejus digne debuit mutari.

§ II.

ponsio. Ad hoc dicimus, quod ad Evangelium apponere, est falsa veris componere vel commiscere, vel contraria his quæ in Evangelio sunt prædicare : unde Apostolus, ad Galat. I, 8 : *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Et sic intelliguntur aliæ auctoritates consimiles.

Concedimus igitur, quod Angelus non erravit non apponendo nomen *Maria*, nec Ecclesia apponendo errat. Angelus enim salutandam dignissime novo nomine dignitatis salutavit, ut per mutationem nominis permutatio status significaretur, et eminentia dignitatis : unde ei pro proprio nomine, scilicet *Maria*, nomen novum imposuit, scilicet *gratia plena*, juxta illud : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit*[3]. Hoc autem quod dico *gratia plena*, circumlocutio tantum est proprii nominis beatæ Virginis et personæ ipsius. Quod nulli alii proprie convenit, neque Deo, neque creaturæ, secundum quod plenitudo gratiæ intelligitur susceptive : Deus enim nihil habet susceptive gratiæ. Nulla alia creatura plena est gratiæ susceptive præter beatam Virginem, quæ sola tantum accepit, quod pura creatura recipere plus non potuit. Unde ei hoc ita proprium fuit, quod ei Angelus illud pro proprio nomine, hoc est, *gratia plena*, imposuerit. Ecclesia vero nomen *Mariæ* apposuit in salutione ad *gratia plena*, ut per *gratia plena* recolat beatissimæ Virginis dignitatem, per *Maria* inclinet eam ad nostram necessitatem : ipsa enim gratia plena per influentiam divinæ bonitatis, data est nobis stella maris Maria, ut ejus plenitudo gratiæ suppleat in nobis defectum culpæ, et ipsa stella in firmamento gloriæ fixa, nos naufragos de statu miseriæ traducat ad portum salutis æternæ.

Hæc igitur de causa in salutatione ista, hoc felix nomen *Maria* ab Ecclesia est appositum.

[1] Cf. Deuter. XXXII, 46 et 47.
[2] Joan. I, 42.
[3] Isa. LXII, 2.

QUÆSTIO XXXIII.

Utrum B. Virgo convenienter dicatur gratia plena?

Consequenter quæritur de gratiæ plenitudine quæ fuit in beata Virgine.

Et primo quæritur de ratione nominum, postea de diversitate et significatione rerum signatarum.

§ I.

Videtur igitur, quod melius gloria quam gratia plena esse dicatur, cum

1. Gloria sit perfectior et gratia et perfectione gratiæ, secundum quod dicit Isaias, xxxi, 9 : *Dominus cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.* Et illud : *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo* [1], scilicet Joanne Baptista. Igitur in perfectissima salutatione debuit poni quod perfectionem maximam demonstraret.

2. Item, Gratia commune est ad gratiam gratum facientem et gratiam gratis datam : et neutrum quantum est de se determinat : sed hoc quod dico, Spiritus sanctus, semper dicit gratiam gratum facientem, et illam in nobilissimo esse, scilicet quod est in Spiritu sancto, et a Spiritu sancto : ergo potius debebat dicere : Ave, plena Spiritu sancto, quam *gratia plena.*

§ II.

Ad hoc dicitur, quod hic annuntiatur beatæ Virgini plenitudo gratiæ, quæ est origo et medium omnis gratiæ, et etiam causa in humanum genus transferendæ, et secundum statum viæ et patriæ. Unde, Eccli. xxiv, 24 et seq. : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis : in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me, omnes qui concupiscitis me,* etc. Item, quoniam omnium bonorum mater est, etc. Initium igitur beatitudinis significatur per gratiam, consummatio per gloriam. Cum igitur annuntiatur initium beatitudinis, potius ponitur gratia quam gloria.

Item, Spiritus sanctus proprie nominat gratiam spiritualem : gratia est quoddam commune ad gratiam corporalem et spiritualem. Unde cum ista plenitudo, sicut patebit inferius, contineat gratias spirituales et corporales, plus dicitur per *gratia plena,* quam per *Spiritu sancto plena.*

[1] Matth. xi, 11.

QUÆSTIO XXXIV.

Per quam differentiam ad Christum Maria dicatur gratia plena?

Post hoc quæritur de differentia plenitudinis istius ad alias plenitudines in Scriptura inventas, ubi ab omnibus istis plenitudinibus propriam istam plenitudinem separavit.

§ I.

Quæritur igitur, in quo differat a plenitudine Christi, de quo legitur, Joan. i, 14 : *Plenum gratiæ et veritatis.* Si enim gratia respicit perfectionem affectus, et veritas perfectionem intellectus, istæ duæ perfectiones æqualiter currunt in statu viæ et in statu patriæ : quanto enim plus credit, tanto plus diligit in statu viæ, et e contra quantum plus cognoscit, tantum plus diligit in patria : quia, ut dicitur in Apocalypsi, latera civitatis sunt æqualia [1]. Igitur quicumque est plenus gratia et veritate, etc. Igitur cum beatissima Virgo plena sit gratia, plena erit veritate : ergo beatæ Virginis plenitudo eadem erit cum plenitudine Redemptoris.

Quod si concedatur. Contra hoc : quia Christus accepit Spiritum sanctum non ad mensuram. Joan. iii, 34 et 35 : *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* Beatissimæ autem Virginis est gratia mensurata, cum sit creata : Deus enim omnia creavit in mensura, et numero, et pondere [2].

§ II.

Post hoc quæritur de plenitudine de qua legitur in Actibus Apostolorum : *Stephanus plenus gratia et fortitudine* [3]. Item, *Repleti sunt omnes Spiritu sancto* [4].

Objicitur ergo in hunc modum : Quidquid plenum est duobus sic se habentibus, quod quantitas unius non expellit præsentiam alterius, perfectiori et nobiliori modo est plenum, quam id quod est plenum altero tantum illorum bonorum : sed gratia et fortitudo est duplex bonum, vel duo bona sic se habentia, quod præsentia unius non expellit præsentiam alterius, et quantitas unius non diminuit quantitatem alterius : ergo nobiliori et perfectiori modo est plenum, quod est gratia et fortitudine plenum, quam quod est gratia plenum tantum : et ita videtur nobilior sancti Stephani plenitudo, quam illa

[1] Cf. Apocal. xxi, 16.
[2] Sapient. xi, 21.
[3] Act. vi, 8.
[4] Ibid., ii, 4 et iv, 31.

quæ beatissimæ Virgini appropriatur.

Contra hoc objicitr in hunc modum : Nihil melius vel nobilius gratia poterit excogitari : ergo quidquid a gratia diversum est, minus nobile est quam illa. Aut ergo fortitudo vel similia adjecta gratiæ, dicit aliquid diversum a gratia, vel non. Si non : ergo superflue adjicitur. Si sic : sed omne diversum a gratia, non est gratia : et omnis non gratia minus est nobilis quam gratia : ergo omne plenum gratia, illud est plenum gratia et non gratia : sed in quantum est plenum non gratia, in tantum est vacuum gratia : ergo perfectius est plenum quod est plenum gratia, quam plenum gratia et non gratia. Exemplum hujus patet in vase quod meliori repletione plenum est, si est auro plenum, quam si fuerit auro et argento plenum. Et sic patet, quod nobilior est plenitudo quæ hic signatur, cum dicitur : *Ave, gratia plena*, quam illa de qua dicitur : *Plenus gratia et fortitudine.*

§ III.

Responsio. Ad hoc dicitur, quod *plenitudo* dicitur dupliciter. Est enim plenitudo gratiæ dativa tantum et effluxiva, et non receptiva. Alia est primo receptiva, et post illud effluxiva. Prima est plenitudo æterna, et soli Deo convenit, et illa sub figura describitur, Esther, xv, 16 : *Vidi te, domine, quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum.*

Secunda plenitudo convenit creaturis, et participatur ex tempore. Postquam venit plenitudo temporis, venit et tempus plenitudinis, et triplicem nobis plenitudinem adduxit. Quarum prima proprie est beatissimæ Virginis. Lucæ, i, 28 : *Ave, gratia plena.* Secunda, Christi. Joan. i, 14 : *Plenum gratiæ et veritatis.* Et hoc proprie est Christi hominis. Tertia, communis omnibus sanctis : et de ea legitur in diversis locis in Actibus Apostolorum, Act. vi, 8 : *Stephanus plenus gratia et fortitudine.* Item, Act. ix, 36 : *Tabita, plena bonis operibus, et eleemosynis quas faciebat.* Et similia. Prima istarum plenitudinum est plena gratiæ, secunda plena gratia et veritate, tertia fidei plena et dilectionis operantis. Prima gratia replet ventrem et mentem, secunda affectum et intellectum, tertia replet interius mentem, et effluitex terius per operationem. Beatissima Virgo fuit plenissima ventre et mente : quia plenitudinem gratiæ habuit in mente : sed certe ipsum Dominum omnium virtutum in ventre habuit, unde plena fuit gratia quantum ad affectum : sed non veritate quantum ad intellectum, quia in via non habuit cognitionem omnium, nec plenam divinitatis cognitionem per speciem. Christus autem plenus fuit gratia et veritate : quia ille homo habuit omnia per gratiam, quæ Deus habuit per naturam : sed præterea nulla gratia in ipso fuit diminuta, vel otiosa, vel aliquid habuit contrarium : sed hæc fuit gratia unionis. Vel plenus fuit veritate quantum ad cognitionem. Unde Isidorus : « Trinitas sibi soli nota est et homini assumpto. » Plenus ergo gratia secundum humanitatem, quæ prius nihil abhuit meriti : plenus veritate secundum divinitatem, in qua nihil fuit vani vel falsi : in ipso erant omnes *thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*[1] : et hæc est plenitudo veritatis. Et in illo *inhabitabat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*[2]. Et hæc est gratiæ plenitudo propria Christi hominis.

§ IV.

Plenitudo sanctorum est fidei et operum. Sic enim exponit Glossa super il-

[1] Ad Coloss. ii, 3.

[2] Ibid., ỳ. 9.

lud, *Stephanus plenus gratia et fortitudine*[1], id est, fide et operibus. Alias enim mala esset copulatio inter fortitudinem et gratiam, et inter bona opera et eleemosynam, nisi hoc quod est operibus bonis, supponeret pro omnibus bonis interioribus per charitatem, eleemosyna pro exterioribus bonis per fidem operantem per dilectionem. Sic igitur differunt istæ plenitudines substantialiter et originaliter. Est enim prima istarum plenitudinum quasi fontis plenitudo, secunda quasi plenitudo fluminis, tertia quasi plenitudo rivi a flumine descendentis. De prima, Ether, xi, 10: *Fons parvus crevit in fluvium maximum.* Beatissima igitur Virgo Maria dicitur *fons* propter gratiarum abundantiam, *parvus* propter humilitatis excellentiam, et propter hoc *crevit in fluvium maximum* quando genuit Dominum nostrum Jesum Christum, qui dicit in Ecclesiastico, xxiv, 41: *Sicut aquæductus exivi de paradiso*, scilicet Dei: Et ab isto flumine descendit plenitudo sanctorum quasi quidam rivus, quia de *plenitudine ejus nos omnes accepimus*[2]. Prima istarum plenitudinum omnium privat vacuitatem, secunda negat particularitatem, tertia importat redundantiam. Plenitudo beatissimæ Virginis privat vacuitatem : quamdiu enim vas potest recipere aliquid, tamdiu habet aliquid de vacuitate. Unde omnis creatura alia habet aliquid vacuitatis : quia majorem gratiam potest recipere. Ipsa autem sola gratia plena, quia majorem gratiam non potuit habere : nisi enim ipsa divinitati uniretur, major gratia non potuit intelligi, quam quod de ipsa acciperetur quod uniretur : hoc enim est, nisi ipsa est Deus, non posset major gratia intelligi, quam quod ipsa esset Dei mater. Unde Bernardus : « Legimus in Actibus Apostolorum, et Stephanum plenum gratia et fortitudine, et Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto, sed longe dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria habitavit : ecce illi conceperunt de Spiritu sancto quo modo Maria[3]. » Et sic plenitudo beatissimæ Virginis privat vacuitatem, plenitudo Christi privat particularitatem : non enim ad mensuram dedit Deus Spiritum sanctum. Glossa : « Non particulariter, neque per subdivisiones, sed generaliter et universaliter. »

Plenitudo sanctorum quæ est communis, importat redundantiam : replet enim animam interius et effluit per operationem exterius. Et hæc effluxio est duplex. Quidam enim de minori perfectione fluunt ad exteriorem operationem, ad suiipsius salvationem, et aliorum per exempla ædificationem : et hæc est communis sanctis omnibus habentibus tempus operandi : et hæc plenitudo sufficientiæ appellatur, ad quam tenentur omnes. Alii autem effluunt non tantum per bonam operationem in sui et aliorum salvationem, sed etiam in doctrinam salutarem et in Ecclesiæ totius ædificationem. De prima istarum effluxionum : Tabita plena bonis operibus et eleemosynis fuit. De secunda : Repleti sunt Apostoli Spiritu sancto. Et hæc ultima est duplex. Quidam enim effluunt per bonam operationem et instructionem, quidam super hoc et sanguinis effusionem per animæ pro fide positionem. Prima communis est omnibus Doctoribus, secunda Doctoribus et Martyribus. Et ad istam duplicem ex officio tantum Prælati tenentur. Et potest hæc appellari plenitudo excellentiæ, in qua prælati suos subditos excellere debent. Et de ultima istarum dicitur : *Stephanus plenus gratia et fortitudine.* Plenus, inquam, gratia ad peccatores convertendos, fortitudine ad passiones sustinen-

[1] Act. vi, 8.
[2] Joan. i, 16.
[3] S. Bernardus, Homilia 3 super Missus est.

das. De omnibus plenitudinibus istis dicitur in Ecclesiaste, I, 7: *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant,* etc. Locus istarum plenitudinum est abyssus deitatis, unde exeunt flumina omnia per gratiarum effluxionem, et redeunt per gratiarum actionem, ut iterum fluant per gratiarum multiplicationem.

Ex his patet solutio ad objecta.

QUÆSTIO XXXV.

Quid intelligitur per plenitudinem gratiæ in Maria?

Post hoc quæritur specialiter de gratiæ plenitudine quæ fuit in beatissima Virgine, quid intelligitur per hanc plenitudinem. Aut enim universaliter dicitur *gratia plena*, vel quia major gratia non fuit, vel quia summam gratiam habuit, vel omnem. Constat, quod nec summam nec omnem gratiam habuit: quia gratiam unionis non habuit, quæ in numero gratiarum summa fuit. Proinde patet, quod major gratia fuit

Videtur autem, quod *plena gratia* dicitur: quia majoris gratiæ capax non fuit. Sed hoc quoque videtur falsum: quia in sua glorificatione majorem gratiam accepit.

Quæritur autem, Utrum hoc quod est gratia plena, tantum supponat pro omni gratia cujus pura creatura capax fuit?

Et videtur, quod non: quia cum terminus indefinite sumitur, ex indefinita universalis non infertur.

Quod si concedatur.

Contra: Eccli. XXIV, 25: *In me omnis gratia viæ et veritatis.* Hoc interpretatur Ecclesia de beata Virgine. Ergo fuit omni gratia plena. Præterea, indefinita est in arte logica universaliter intelligenda. Item, beneficia principum largissime sunt interpretanda. Igitur cum Dominus in privilegio suo per Angelum transmissum appellet eam, *gratia plena*, nullam gratiam specificando, erit pro omnibus universaliter interpretandum.

Præterea, Deus influit suam bonitatem unicuique secundum suam bonitatem et virtutem et capacitatem, ut patet in Evangelio: *Et tradidit illis bona sua* [1], etc. Igitur quæcumque creatura est capax omnis gratiæ, cujus pura creatura est capax, illa creatura est plena omni gratia, cujus capax est pura creatura: talis autem creatura fuit beata Virgo: ergo ipsa erit plena omni gratia, cujus particeps potest esse pura creatura.

[1] Matth. XXV, 14.

QUÆSTIO XXXVI.

Utrum in hac plenitudine contineantur sacramenta?

Quæramus igitur per ordinem de universitate gratiarum in hac plenitudine contentarum.

Primo igitur quæritur de gratiis sacramentalibus, Utrum in hac plenitudine continentur sacramenta?

Et primo de prima, scilicet de gratia baptismali.

§ I.

Primo quæritur, Utrum beata Virgo fuerit baptizata?

Et videtur, quod sic.

1. Quidquid habet omne conferens gratiam, plenius est gratia quam id quod habet aliquid conferens gratiam, et aliquid non : sed beatissima Virgo fuit plena gratia : ergo habuit omne conferens gratiam : ergo habuit baptismum.

2. Item, Præceptum de baptismo post sui promulgationem obligat omnes ad sui susceptionem : ergo et beatam Virginem.

3. Item, Dominus baptizatus fuit, quamvis non indiguit vel indigeret : ergo beata Virgo debuit baptizari. Joan. III, 5 : *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit*, etc. Sed beata Virgo regnum intravit. Ergo baptizata fuit.

4. Item, Si non baptizaretur, ignarum suæ sanctificationis scandalizaret : sed non scandalizat : ergo, etc.

5. Item, Legalia servavit, sicut purificationes mulieris : ergo et Evangelica servavit.

6. Item, Dominus dixit Joanni : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam* [1] : Glossa, id est, perfectam humilitatem. Ergo propter eamdem causam debuit baptizari beata Virgo.

7. Item, De Apostolis supponitur, quod fuerunt baptizati per illud Joannis, XIII, 10 : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Ergo multo fortius debuit illud supponi de beata Virgine, quæ fuit perfectissima observatrix consiliorum et præceptorum Dei.

8. Item, Si non esset baptizata, non haberet characterem per quem distingueretur a Judæis et gentilibus.

Juxta hoc quæritur, Utrum baptizata fuit baptismo Joannis?

Et videtur, quod sic. Cum enim humillima fuit, nullum gradum humilitatis prætermisit.

§ II.

Si concedatur, objicitur in hunc modum per contrarium :

1. Sapientis est nihil frustra facere : sed frustra accipit medicinam, qui non indiget : sed baptismus est medicina

[1] Matth. III, 15.

contra originale peccatum instituta, a quo fuit beatissima Virgo in utero sanctificata[1] : ergo baptizari non indiguit : ergo baptizari non debuit : ergo baptizata non fuit.

2. Item, Ficti sunt, ut dicit Augustinus[2], qui sacramentum et non rem sacramenti accipiunt : sed si beatissima Virgo baptizaretur, non susciperet rem sacramenti, id est, gratiam qua prius esset plena : ergo esset ficta : hoc autem est falsum : *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*[3].

3. Item, De Domino legitur, quod fuit baptizatus[4] : ergo de beata Virgine, si fuisset baptizata, legeretur.

4. Item, Quia fuit purificata, agitur festum purificationis ejus. Similiter si baptizata fuisset, ageretur ejus festum baptismatis.

5. Item, Divina operatio non procedit in imperfectum de perfecto, sed e contra : sed major est perfectio sanctificatorum in utero, quam baptizatorum : ergo sanctificati in utero non debent baptizari.

6. Item, Si nihil accepit de baptismo Dominus, contulit tamen vim regenerativam aquis contactu suæ carnis : sed beatissima Virgo si nihil reciperet a baptismo, nec aliquid conferret baptismo, frustra susciperet baptismum.

Quæritur ergo, si fuerit baptizata, quare non fuit scriptum, cum tam solemne factum multum ordinaretur ad ædificationem fidelium[5] ?

QUÆSTIO XXXVII.

Utrum B. Virgo fuerit confirmata ?

Post hoc quæritur de confirmatione, utrum fuerit confirmata ?

Videtur autem, quod potius debuit confirmari quam baptizari : quia

1. Sacramentum confirmationis est majori reverentia tenendum. Unde Melchiades : « Scitote utrumque esse magnum sacramentum, sed unum majori veneratione tenendum, sicut a majoribus datur[6]. »

2. Item, Beata Virgo fuit plene Christiana : sed hoc fit per sacramentum confirmationis : ergo, etc. Media patet per Urbanum Papam, qui dicit : « Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post baptismum debent accipere Spiritum sanctum, ut pleni Christiani inveniantur. »

Si concedatur. Contra :

1. Dominus non legitur confirmatus : ergo beata Virgo non debuit confirmari, cum in omnibus fuerit illius imitatrix.

3. Item, Dominus qui solus potuisset ei legem dedisse, non invenitur hoc sacramentum instituisse : ergo nec tenebatur ipsa hoc sacramentum accipere.

4. Item, Rabanus : « A summo sacerdote per manus impositionem Paraclitus

[1] Vel melius immaculata in conceptione.

[2] S. Augustinus, Lib. I de Baptismo contra Donatistas, cap. 12.

[3] Sapient. I, 5.

[4] Cf. Matth. III, 13 ; Marc. I, 9.

[5] Pro solutione objectorum, vide infra Quæst. XLIII, § 1 et seq.

[6] De consecr. Dist. V, cap. De his vero.

traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum, si necesse fuerit, aliis, quod ipse est consecutus in baptismo [1]. » Sed beata Virgo ad nullius manus impositionem Paraclitum recepit, nec robore Spiritus indiguit, quia plenitudinem habuit : et etiam prædicare non debuit. Ergo confirmata non fuit [2].

QUÆSTIO XXXVIII.

Utrum B. Virgo sub sacramento altaris dominicum corpus acceperit? Similiter et gratiam quæ per illud sacramentum confertur?

Similiter de sacramento altaris quæritur, Utrum beata Virgo sub sacramento illo Dominicum corpus acceperit ? Similiter et gratiam quæ per illud confertur sacramentum ?

Et videtur, quod sic : nam

1. Dominus in Joanne, vi, 54, dicit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc. Ergo omnes fideles in Ecclesia, tempore determinato, tenentur communicare : ergo beatissima Virgo si non communicaret, scandalizaret : sed non scandalizavit : ergo communicavit.

2. Item, Hoc est sacramentum amoris. Ergo ipsum maxime debuit suscipere, quæ fuit summa in amore.

Quod si concedatur. Contra :

Hoc sacramentum propter tria est institutum, scilicet propter charitatis augmentum in remissionem venialium, et in cautelam mortalium peccatorum, et ut signum passionis rememoretur : sed propter istorum nullum communicare debuit beata Virgo : nam augmento charitatis non indiguit : quia charitate plena fuit. Remissione non indiguit, vel cautela : quia numquam peccavit, vel peccare potuit. Signo sensibili rememorativo non indiguit, quæ Christiformis secundum sensum, et Deiformis secundum intellectum fuit.

Item, Dici non poterit, quod propter humiliationem illud sacramentum susceperit, cum non sit humiliatio Dominum in cibum recipere, sed magis dignatio sua immensa, quod ipse dignatur nos seipso cibare. Et ita videtur, quod beata Virgo neque ratione humilitatis nec utilitatis debuit accipere eucharistiam [3].

[1] De Conse. Dist. V, cap. Novissime.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra, Quæst. XLIII, § 1 et seq.

[3] Pro solutione objectorum, vide infra, Quæst. XLIII, § 1 et seq.

QUÆSTIO XXXIX.

Utrum B. Virgo receperit aliquam gratiam per sacramentum Pœnitentiæ?

Consequenter quæritur de sacramento pœnitentiæ, Utrum per illud aliquam gratiam recepit beata Virgo?

Et videtur, quod non: quia

1. Pœnitentia est secunda tabula post naufragium: quia si quis vestem innocentiæ in baptismo perceptam corrumperet, per pœnitentiam reparare poterit: sed beata Virgo numquam naufragavit per peccatum actuale: ergo numquam fuit confessa, aut contrita: sed sine contritione non est gratia per sacramentum pœnitentiæ: ergo beata Virgo non suscepit gratiam per sacramentum pœnitentiæ.

2. Item, Confessio est ficta sine contritione: hic autem non fuit contritio: ergo nec confessio.

3. Item, Utrumque est de peccato: hic autem nullum peccatum: ergo nec confessio, nec contritio, nec pœnitentia fuit.

Sed contra:

1. Confessio fuit in lege nova et veteri: ergo omnes tenentur confiteri.

2. Item, Beatissima Virgo fecit confessionem operis servando purificationem et offerendo oblationem statutam pro purificandis: ergo debuit confessionem facere oris.

3. Item, *Pœnitentiam agite*[1]. Glossa: « Prima virtus per pœnitentiam veterem hominem perimere ». Item alia Glossa: « Pœnitentia est prima virtus ». Sed beatissima Virgo habuit omnes virtutes: ergo et pœnitentiam.

4. Item, Non obstat, quod non habuit peccatum: quia dicit Gregorius: « Bonarum mentium est culpas agnoscere, ubi culpa non est: » ergo poterat confiteri[2].

QUÆSTIO XL.

Quis fuit confessor B. Virginis, si fuerit confessa?

Quæritur igitur, si fuerit confessa, quis fuit confessor ejus?

Et videtur, quod beatus Petrus: quia ordo est inter confitentes confessores:

[1] Matth. III, 2 et IV, 17; Act. II, 38.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra, Quæst. XLIII, § 1 et seq.

ergo cum suprema confitens fuerit beata Virgo, debuit confiteri supremo confessori et dignissimo : hic autem est Papa : ergo debuit confiteri beato Petro, qui fuit Papa.

SED CONTRA :

Superior prælatus non debuit se intromittere de administratione sui inferioris, utpote Metropolitanus sui suffraganei, nisi in determinatis casibus : ergo cum beata Virgo esset specialiter beato Joanni commissa, ab ipso debuit recipere sacramenta [1].

QUÆSTIO XLI.

Utrum B. Virginis plenitudo compleat illam gratiam quæ confertur sub Ordinis sacramento ?

Post hoc quæritur de sacramento Ordinum, Utrum ista beatissimæ Virginis plenitudo comprehendat et illam gratiam quæ confertur sub ordinum sacramento ?

Et videtur, quod sic.

1. Ordo enim est ad multiplicationem fidelium spiritualem : sed multiplicatio spiritualis pertinet ad matrem spiritualem : beata autem Virgo est spiritualis mater omnium fidelium : ergo ipsa debuit habere Ordinis sacramentum.

2. Item, Penes Ordines distinguuntur in Ecclesia dignitates, ut patet in Papa, Archiepiscopis, etc.: sed beatissima Virgo in Ecclesia continet summam dignitatem : ergo et supremum habuit ordinem.

3. Item, Ecclesiastica hierarchia est ad exemplar cœlestis hierarchiæ formata : sed in cœlesti hierarchia, ut dicit Dyonisius, omnes superiores habent proprietates inferiorum et excellentius : ergo in Ecclesiastica hierarchia sic erit : sed beata Virgo in Ecclesiastica hierarchia fuit suprema et dignissima persona : ergo habebit dignitates et proprietates inferiorum : et sic habebit omnes ordines.

4. Item, Character ordinum est character excellentiæ : ergo potissime inerit ei quæ omnes creaturas excellit dignitate.

5. Item, Apostolus : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* [2]. Sed beata Virgo nulli potestati humanæ subdita tenebatur esse. Ergo fuit suprema ordine et dignitate.

6. Item, Cui inest majus, et minus poterit inesse : sed magis est quod per alicujus consensum et verbum de carne propria formetur corpus Dominicum, quam quod per ejus ministerium panis transformetur in ipsum corpus : primum enim facit esse matrem Dei, secundum autem ministerium Christi. Sed primum in beatissima Virgine factum fuit. Ergo et secundum fieri potuit.

7. Item, Si mulieribus pro maledicto impositum fuit, quod non sint susceptivæ sacrorum ordinum, ab hoc maledicto immunis debuit esse, quæ ab aliis mulieribus excepta fuit : eo quod sola

[1] Pro solutione objectorum, vide infra, quæst. XLIII, § 1 et seq.

[2] Ad Roman. XIII, 1.

inter mulieres benedicta fuit: ergo si mulieres non debent ordinari, quia mulier initium peccati fuit, ergo per oppositum illa ordinari debuit, quæ omnibus principium vitæ fuit.

8. Item, Quæcumque causa in aliis mulieribus generalis fuit, beatam Virginem non includit, quæ non de numero omnium fuit sed super omnes fuit, juxta illud Esther, xv, 12: *Quid habes, Esther, ego sum frater tuus.* Et infra, ỳ. 13: *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Quasi diceret: Tu non es de omnibus, sed super omnes [1].

QUÆSTIO XLII.

Quare mulieres ad sacros ordines non promoveantur?

Juxta hoc quæritur, Quare mulieres ad sacros ordines non promoveantur?

Si dicitur, quod hoc est propter originem culpæ per Hevam transmissæ, non videtur, quod hoc stare possit: quia pro illa culpa beata Virgo satisfecit: ergo non consurget duplex tribulatio, et Deus bis in idipsum non judicabit.

Si autem dicitur, quod hoc fit propter sexus indignitatem et naturæ, hoc non potest dici: quia major est indignitas culpæ quam naturæ: et tamen peccatum mortale non impedit, quin possit vir, licet non debeat, in peccato mortali promoveri. Item, Si hoc esset propter sexus inferioritatem, propter hoc etiam non deberent mulieres communicare, cum majus sit hoc sacramentum percipere quam dare alii.

Item quæritur, Cum Dominus nusquam videatur prohibere mulieres a sacramento ordinum, qualiter hoc Ecclesia per se ausa fuerit invenire?

Quod autem beatissima Virgo non debuit aliquos ordines habere, probatur hoc modo:

1. Quando Dominus in cœna discipulis corpus suum tradidit, et potestatem conficiendi contulit, non exprimitur quod aliquibus nisi discipulis dederit; sed in talibus quod uni concessum invenitur, aliis est prohibitum: ergo tantum est collata potestas conficiendi discipulis et eorum successoribus.

2. Item, Quando Dominus dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum* [2], Petrus pro omnibus respondit: et Dominus Petro respondens, potestatem ligandi atque solvendi contulit: ergo potestas ordinis tantum est in Apostolis et eorum successoribus.

3. Item, Ambrosius dicit: « Quod mulieres non recipiunt ordines, est ex impedimento sexus et constitutione Ecclesiæ. »

4. Item, Beata Virgo modo est super omnes ordines Angelorum in Ecclesia triumphante: ergo hic erat super omnes in Ecclesia militante.

[1] Pro solutione objectorum, vide infra, Quæst. XLIII, § 1 et seq.

[2] Matth. xvi, 19.

5. Item, Omnes ordines Ecclesiæ sunt in ministerium : unde etiam pastores nominantur, quibus per Prophetam dicitur : *Constitui te hodie super gentes et regna*[1]. Beata autem Virgo non est assumpta in ministerium a Domino, sed in consortium et adjutorium, juxta illud : *Faciamus ei adjutorium simile sibi*[2]. Sed si hoc est, non debuit aliquem habere ordinem : summus enim in ordine Ecclesiæ Papa est, qui est vicarius Jesu Christi. Beata autem Virgo non est vicaria, sed coadjutrix et socia, particeps in regno quæ fuit particeps passionum pro genere humano, quando omnibus ministris fugientibus et discipulis, sola sub cruce perstitit, et vulnera quæ Christus corpore, ipsa corde suscepit : unde et gladius tunc ipsius animam pertransivit[3].

QUÆSTIO XLIII.

Utrum in hac plenitudine contineatur gratia extremæ unctionis sacramenti ?

Ultimo quæritur de extrema unctione, utrum in hac plenitudine contineatur ipsius gratia ?

Et videtur, quod sic :

1. Jacobi, II, 10 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno factus est omnium reus.* Ergo qui tenetur ad legem, ad totam legem tenetur : sed extrema unctio fuit de lege a Domino instituta et ab Ecclesia : unde in Matthæo, XIX, 35 et X, 1, legitur, quod Apostoli circuibant castella oleo curantes infirmos. Ergo beata Virgo tenebatur ad extremam unctionem.

2. Item, Scandalizasset, si non accepisset Ecclesiæ sacramenta.

3. Item, Si aliqua propter humilitatem suscepit, et illud suscipere debuit.

Sed contra :

1. Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Ergo medicina curativa perditur, quæ sanis confertur : ergo et Apostoli animarum medici si medicinam suam Dominæ nostræ contulerunt, eam perdiderunt.

2. Item, Secundum generalem consuetudinem parvuli non inunguntur : ergo multo minus beata Virgo quæ sanctior et sanior est omni puero.

3. Item, Jacobi, V, 14 : *Infirmatur quis in vobis,* etc. Ergo istud sacramentum non confertur nisi infirmantibus : sed beatissima Virgo per infirmitatem non fuit mortua : ergo non fuit inungenda. Quod autem sine dolore mortua fuerit, patet : quia legitur de Joanne Evangelista, quod descendit in fossam sepulturæ suæ, et facta oratione positus est ad patres suos, tam extraneus a dolore mortis, quam fuerat a corruptione carnis alienus. Si hoc collatum est Joanni ratione virginitatis, multo fortius beatissimæ Virgini, cum ipsa, ut dicit Damascenus, a nullo illustrium superetur.

[1] Jerem. I, 10.
[2] Genes. II, 18.
[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XLIII, § 1 et seq.

4. Item, Beatissima Virgo peccasset, si ore cum intentione dixisset : Peccavi : quia falsum dixisset, sed plus est dicere opere quam ore : sed si extremam unctionem accepisset, dixisset opere : Peccavi : ergo falsum dixisset : ergo extremam unctionem non accepit [1].

SOLUTIO AD PRÆDICTA

A Quæstione XXXVI ad XLIII.

§ I.

Solvere quod objicitur de ratione plenitudinis, donec omnia hanc plenitudinem intrantia persequamur, differimus.

Ad aliud quod objectum est de gratiis sacramentalibus, respondemus, quod beatissima Virgo tunc Ecclesiæ omnia sacramenta suscepit, quæ tempore suo omnibus hominibus fuerunt generaliter instituta et promulgata omnibus observanda : et hoc multiplici de causa. Primo, ad suiipsius humiliationem. Secundo, propter scandali evitationem. Tertio, propter præcepti impletionem. Quarto, propter meritorum ejus supererogationem. Quinto, propter hæresum confutationem, illarum scilicet quæ ipsam non hominem sed Angelum asserebant. Sexto, ad perfectorum instructionem, ut qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Septimo, ad peccatorum redargutionem.

Possunt et istæ septem causæ reduci ad tres causas, propter quas sacramenta dicuntur in libro IV *Sententiarum* instituta, videlicet ad humiliationem, ad eruditionem, ad exercitationem.

Quare autem de ista sacramentorum susceptione a beata Virgine nihil invenitur expressum, hoc sine causa non credimus esse factum.

Prima causa potest esse, ut per hoc fidelium devotio excitetur, juxta illud : *Qui edunt me adhuc esurient :... et qui elucidant me vitam æternam habebunt* [2].

Secunda causa, ut nostra vana operatio reprimatur, nostra bona opera pro magno reputando, cum excellentissimi meriti opera plura a beata Virgine facta, imo ab ipso Domino usque ad annum tricesimum impleta credimus, quæ Scriptura quasi non æstimans prætericrit subticendo : quasi tacendo dicat nobis Scriptura : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus* [3]. Et, *Noli tuba canere ante te* [4], quia *non poterit ei respondere unum pro mille* [5].

Tertia causa est, quia Dominus noster et Domina suas secretas habitudines per se notas noluerunt manifestare, juxta illud Proverbiorum, XXVII, 2 : *Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua.* Unde quæ in præsentia populorum vel discipulorum fecerunt, scripta sunt ad nostram ædificationem, ut nos similiter faciamus, scilicet ut luceat lux nostra coram hominibus, et videant opera nostra, et glorificemus Patrem nostrum qui in cœlis est [6]. Ea autem quæ Apostolis vel aliis ignorantibus gesta sunt, tacuerunt : et hoc ad nostram doctrinam, ut nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua : quia, ut dicit beatus Gegorius : « Studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. Unde deprædari desiderat, qui thesaurum publice in via portat [7]. » Unde Bernardus : « Increpat Christi nativitas se laudantes et se ostentare cupientes [8]. » Unde, ibidem : « Nocte voluit Christus nasci

[1] Vide infra pro solutione objectorum.
[2] Eccli. XXIV, 29 et 31.
[3] Luc. XVII, 10.
[4] Matth. VI, 2.
[5] Job, IX, 3.
[6] Cf. Matth. V, 16.
[7] S. Gregorius M., Homilia 11 in Evang.
[8] S. Bernardus, Sermo 3 in Nativ. Domini.

ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Denique tacet Christus, nuntiat eum Angelus, laudat multitudo cœlestis exercitus. *Laudet te alienus, et non os tuum.* »

Quarta causa potest esse, quod Dominus certa quædam nos dubitare permisit in via, ut mentes nostras alliciat ad concupiscendam perfectam cognitionem in patria. Unde, Exod. XII, 10 : *Nec remanebit quidquam ex eo usque mane : si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Glossa Gregorii : « Quod ex agno remanet, igne conburimus : quia quod de mysterio incarnationis ejus penetrare vel intelligere non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reservamus : ut non superbe quis audeat vel contemnere vel denuntiare quæ non intelligit, sed igni tradat, id est, Spiritui sancto relinquat, videlicet donec omnia in futuro quolibet in quo cognitus sit et cognoscat[1]. » Nec tamen interim nostra devotio sine exercitatione torpescat, secundum illud quod præcedit, ibidem, ℣. 9 et 10 : *Caput cum pedibus et intestinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane.* Glossa Gregorii : « Caput agni vorare, est divinitatem illius fide percipere : pedes vorare, est vestigia humanitatis ejus amando et imitando sequi vel intelligere : intestina, id est, occulta verborum Christi et mystica mandata perquirere : quæ voramus cum avide sumimus. In quo vorationis verbo pigritia nostra reprehenditur : quia verba ejus atque mysteria nec per nosipsos requirimus, et dicta ab aliis inviti audimus. *Non remanebit quidquam ex eo usque mane* : quia ejus dicta magna sunt excutienda sollicitudine, ut antequam veniat dies resurrectionis, in nocte præsentis vitæ omnis mandata ejus intelligendo penetremus[2]. »

Quinta causa potest esse, sicut beatus Augustinus de beata Virgine unam ponit regulam : Ubicumque agitur de peccatis, de ea nolit fieri quæstionem : et ita pro regula et pro principio per se noto de ipsa supponatur in bono : quidquid boni aliqua creatura pura fecerit vel receperit, de hoc expers esse non liceat dubitari : cum, sicut Damascenus ait, a nullo illustrium superetur.

Sexta causa est, quod sicut nihil diminutum, ita nihil superfluum in sacra Scriptura ponitur : quia, ut dicit Philosophus, qui unum dicit, quodammodo plura dicit. Unde dico et pro constanti teneo, quod si Apostoli et alii sancti receperunt gratias sacramentales, superfluum erat addere hoc idem de illa quæ gratia plena fuit. Unde Bernardus : « Si enim nec folium de arbore sine causa, nec unus de passeribus sine Patre cœlesti cadit, putem ego de ore sancti Evangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sancta historia Verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, et cœlesti singula dulcedine redundantia : si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo[3]. »

His autem rationibus beatissima Virgo sacramentorum humilem susceptionem et in se habere voluit et tacere, ut dum se magis in omnibus humiliaret, et ipsam sui humilitatem quantum in se erat omnibus modis occultaret, sicut humilitate perfectam, ita omni gratia plenam eam etiam tacendo tota Scriptura proclamaret.

§ II.

Ad objecta etiam de singulis sacramentis per ordinem respondentes concedimus eam omnium sacramentorum gratias vel in seipsis vel in æquipollenti suscepisse excellenter.

Suscepit igitur baptismum, et per

[1] S. Gregorius M., Lib. XX Moral., cap. 9.
[2] Idem, Homil. 22 in Evang.
[3] S. Bernardus, Homil. 2 super Missus est.

baptismum characteris impressionem, virtutum exercitationem, meritorum augmentationem. Quare autem non agatur festum ejus baptismi, sicut purificationis, una ratio esse potest : quia baptismus ejus celebratus fuit in secreto, oblatio autem post purificationem in manifesto. Alia est ratio quare baptismi festum non celebratur : quia baptismus per se et principaliter datus est in medicinam peccatorum. Nec obstat, quod Ecclesia baptismum Domini solemnizet : quia sua baptizatio nostri baptismi fuit consecratio, nostra autem ad gratiam et gloriam regeneratio : beatissima autem Virgo ad baptismum accedens ficta non fuit : quia eo quod habere debuit, non caruit, sed abundavit peccati detestatione et fidei perfectione, quæ requiruntur in accedente. Alia de baptisimo objecta, soluta sunt per prædicta.

Similiter eodem modo dicendum est de sacramento confirmationis, in quo recepit alterius characteris impressionem, ampliorem meritorum augmentationem, perfectiorem virtutum exercitationem et declarationem.

De sacramento altaris recepit Dominicæ passionis rememorationem, devotionis actualis exercitationem, contra corporalem Filii absentiam consolationem.

De sacramento vero pœnitentiæ recepit gratiam in excellentia æquipollenti. Pro contritione innocentiæ conversationem, pro confessione gratiarum actionem, pro satisfactione supererogationem.

Item, Triplex est confessio, scilicet accusatio peccatorum, recognitio incongruitatis vel ingratitudinis beneficiorum, et confessio insufficientiæ meritorum, et hæc fuit propria confessio beatissimæ Virginis qua confitebatur Deo, quod tantam gratiam suscepit, quod nunquam de condigno meruit, vel quam omnis creatura mereri potuit, licet ipsa de congruo meruerit. Hæc et similia confessa fuit beata Virgo beato Joanni Evangelistæ suo proprio confessori.

Item, In extrema unctione recepit completæ victoriæ præteritæ et plenæ gloriæ futuræ significationem, et loco remissionis venialium, totius doloris mortis remissionem, pro infirmitatis alleviatione, totius corporis glorificationem. Et licet hoc sacramentum potuisset non recipere beata Virgo exempta per privilegium, quod confert Dominus his quos sine infirmitate et mortis dolore dignatus fuerit evocare : qui, ut videtur, non tenentur ad extremam unctionem cum oleo ad infirmos introducto pro infirmitatibus institutam, videtur tamen verisimile esse, quod beatissima Virgo isti privilegio pro se introducto propter humilitatem abrenuntiaverit, sicut et alia sua privilegia dum viveret occultavit : et quod sacramentum illud pro peccatoribus institutum humiliter suscepit, ut humilitatem quam per totam vitam tenuerat, egressura consummaret : et dum in extremo vitæ articulo ad conformitatem peccatorum descenderet, Domino illam exaltante, choros omnes transcenderet Angelorum.

In sacramento matrimonii triplex habuit bonum beata Virgo. Unde Augustinus : « Omne nuptiarum bonum impletum est in parentibus Christi, fides, proles, sacramentum[1]. » Prolem cognoscimus, ipsum Dominum : fidem, quia nullum adulterium : sacramentum, quia nullum divortium. Habuit autem excellentius istam gratiam beatissima Virgo : quia conjugia sunt sanctiora pari voto continentium. Unde Augustinus : « Imo vero tanto sanctius conjuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis[2]. »

Solum sacramentum Ordinis beatissima Virgo non recepit[1] : hoc autem secundum exteriorem hominum reputationem quamdam profert dignitatem, interius autem secundum veritatem humilem per-

[1] S. Augustinus, Lib. de Nuptiis et concupiscentia, cap. 11.

[1] Cf. Opp. B. Alberti, [illegible], q. [illegible] inter quæs.
[2] S. Augustinus, Ad Julianum.

tinet ad servitutem. Unde per oppositum statui beatissimæ Virginis opponebatur, quæ interius summam coram Deo habuit dignitatem, exterius summam coram hominibus habuit humilitatem. Et ita hoc sacramentum non recepit beata Virgo. Primo, ut dictum est, propter status sui contrarietatem. Secundo, propter humilem aliarum mulierum conformitatem, quæ ab hoc sacramento excluduntur, videlicet propter sexus indignitatem, majorem peccandi fragilitatem, et propter eam, quæ ex his sequitur, regiminis incongruitatem. Tertio, ad significandum status sui elevationem : omnes enim Ecclesiæ dignitates sunt introductæ ad servitium in salutem fidelium animarum : unde Dominus in Evangelio : *Principes gentium dominantur eorum... Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri*[1], etc. Unde et omnes *pastores* nominantur. Unde Bernardus : « Non est quod blandiatur celsitudo, ubi sollicitudo major : illa discrimen intendit, hæc amicum probat[2]. » Et infra : « Ad quid omnimodis attendendum : non enim ad dominandum opinor : nam et Propheta cum similiter levaretur, audivit: *Ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes*[3]. Quid horum fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur ut multum sentiamus de nobis, vel nobis impositum senserimus ministerium, non dominium datum[4]. » Infra : « Disce exemplo prophetico præsidere non tam ad imperitandum quam ad factitandum quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed exstirpaturus. Antecessores tui Apostoli audierunt, quia messis quidem multa, operarii vero pauci. Paternam tibi vindicato hæreditatem. Nam si filius, et hæres. Ut probes hæredem, evigila ad curam, et non otio torpeas, ne et tibi dicatur : Quid hic stas tota die otiosus[5]? Multo minus inveniri oportet, aut deliciis resolutum, aut resupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ testatoris assignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus sis, curam potius hæreditabis et operam, quam gloriam et divitias. Blanditur cathedra? Specula est. Inde denique superintendis, sonans tibi Episcopi nomine non dominium, sed officium. Quidni loceris in eminenti, unde prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? Enimvero prospectus iste procinctum parit, non otium. Quando libet gloriari, ubi otiari non licet? Nec locus est otio, ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do*[6]. Quid illud? Unum scio, non est aurum neque argentum, cum ipse dicat : *Argentum et aurum non est mihi.* » Et infra : « Neque ille tibi dare quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias. Nunquid dominationem? Audi ipsum : *Non dominantes*, ait, *in cleris, sed forma facti gregis*[7]. » Ex his et similibus patet, quod dignitates Ecclesiæ introductæ sunt in servitium et ministerium. Beatissima autem Virgo assumpta est in salutis auxilium, et in regni consortium : ipsa enim sola ministris fugientibus compassa fuit. Unde et sola regni consortium obtinuit, quæ laboris adjutrix fuit, juxta illud : *Faciamus ei adjutorium simile sibi*[8]. Licet autem beatissima Virgo sacramentum ordinis non recepit, quidquid tamen dignitatis vel gratiæ in ipsis confertur, de hoc

[1] Matth. xx, 25 et 26.
[2] S. Bernardus, Lib. II de Consideratione, cap. 5.
[3] Jerem. i, 10.
[4] S. Bernardus, Lib. II de Consideratione, cap. 6.
[5] Cf. Matth. xx, 6.
[6] Act. iii, 6.
[7] I Petri, v, 3.
[8] Genes. ii, 18.

plena fuit. In ipsis autem confertur septiformis gratia : hæc autem omnifaria gratia plena fuit.

Item, Sunt in sacramento ordinis potestas spiritualis, dignitas ministerialis, et administratio exsecutionis. Hæc autem tria beatissima Virgo habuit in se æquipollenter et excellenter. Ministri Ecclesiæ habent dignitatem beneficialem per characterem excellentiæ, beatissima autem Virgo habuit coronam regni triumphantis et militantis Ecclesiæ : unde summus ministrorum Papa appellatur et est servorum Dei servus, hæc est Regina et Domina Angelorum : ille servus servorum Dei, ista Imperatrix totius mundi.

Item, In ministris est potestas spiritualis et temporalis a Deo, vel subdelegata, vel vicaria : in ipsa est plenitudo potestatis cœlestis perpetua ex auctoritate ordinaria.

Item, In ministris est exsecutio ligandi ac solvendi per usum clavium : in ipsa est legitima dominandi potestas ad ligandum et solvendum per imperium. Et sic quidquid est dignitatis et gratiæ in ordinibus, constat beatæ Virgini minime defuisse.

Sed ne videatur virtutes sive dignitates generales tantum habuisse et specialibus caruisse, dicimus ipsam singulorum ordinum dignitates et gratias per æquipollentiam et cum excellentia possedisse.

Habuit autem cum exorcistis dæmonum expulsionem. Unde, Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.* Et Judith Holofernem interfecit, et Esther vicit Aman.

Cum ostiariis habuit introductionem mundorum et exclusionem immundorum. Unde, Ezechiel. XLIV, 2 et 3 : *Porta hæc clausa erit, non aperietur... eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea.* Quasi diceret : Porta hæc principem et imitatores ejus introducet, et indignis erit clausa.

Habet etiam cum acolythis illuminationem. Unde, Cantic. III, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit,* etc. ? Et illud Numerorum, XXIV, 17 : *Orietur stella ex Jacob.*

Item, Cum lectoribus omnium Prophetarum expositionem ad litteram in seipsa. Unde, Isa. VII, 14 : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Et Angelus ad seipsam : *Ecce concipies* [1], etc. Doctrix est enim disciplinæ Dei.

Habet cum subdiaconis doctrinæ Apostolicæ ostensionem. Unde significatur per arcam, in qua fuit manna et virga Aaron [2], id est, divina sapientia.

Habet autem cum diaconis Verbi Domini conservationem, aliis ad describendum narrationem, consiliorum Dei perfectam impletionem. Unde, Luc. II, 19 : *Maria conservabat omnia verba,* etc.

Habet cum sacerdotibus Dominici corporis per seipsam formationem, tractationem, communicationem, hoc est, quod corpus Domini mediante ejus verbo et ejus carnibus et sanguinibus formatum fuit, et ipsum familiarissime, et diutissime tractavit, et in cibum et potum nobis communicavit, et per hoc nos omnes ad jugum suum suave et onus suum leve charitate ligavit, et ab omnibus culpis et pœnis non solum solutos ostendit, sed etiam absolvit, juxta illud : *Qui manducat meam carnem* [3], etc.

Item, Habet cum Episcopis clericorum ordinationem, præbendarum collationem, templorum consecrationem, sacrarum virginum velationem. Ordinat enim Episcopus sacerdotes per sacramenti collationem : beatissima autem Virgo per continentiæ obligationem, juxta illud : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* [4]. Confert etiam Episcopus præbendas instituendo : beatissima autem Virgo præbendas faciendo. Consecrat etiam Episcopus templa corporalia dedicando : beatissima autem Virgo templa spiritualia, castimoniam inspirando, et illam sibi

[1] Luc. I, 31.
[2] Numer. XVII, 10 ; ad Hebr. IX, 3.
[3] Joan. VI, 55.
[4] Isa. LII, 11.

specialiter vindicando. Consecrat etiam Episcopus virgines exterius benedicendo : consecrat autem beatissima Virgo virgines interius virtutibus adornando, et eas Filio suo desponsando, et non tantum virgines, sed et virginitatem consecrando, et opprobrium sterilitatis eis auferendo, et eas sibi specialiter in filias adoptando, et statum dignissimum exaltando, juxta illud : *Incorruptio facit esse proximum Deo*[1].

Habet convenientiam cum Papa beatissima Virgo, omnium Ecclesiarum sollicitudinem, potestatis spiritualis plenitudinem, privilegiatorum actuum universalitatem. Ecclesiarum sollicitudinem : quia Papa est pater patrum : ipsa autem est mater omnium Christianorum, imo omnium bonorum, juxta illud : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa... Et ignorabam quoniam horum omnium mater est*[2]. Potestatis plenitudinem : habet enim Dominus Papa potestatis plenitudinem in vita ista, sed non in cœlo, nec in purgatorio, nec in inferno : totam autem habet beatissima Virgo potestatem in cœlo, et in purgatorio, et in inferno.

Habet etiam privilegiatorum actuum universalitatem, ut patebit inferius, cum de privilegiis ejus inquiremus.

Et nota, quod cum beatissima Virgo sacramenta peccatoribus instituta humiliter susceperit, non propter hoc se mentiens peccatricem opere, falsum dixit, sed ultra debitum in bonis se peccatoribus conformans, se vere opere esse humilem demonstrans, per omnia verum dixit.

Sic manifestum est, quidquid est dignitatis, vel gratiæ in sacramentis Ecclesiæ, plenitudini gratiæ quæ fuit in beata Virgine, omnino nihil deesse, sed eam hoc totum, vel in gratiis sacramentalibus, vel in earum æquipollentibus, vel excellentibus plenarie possedisse.

QUÆSTIO XLIV.

Utrum B. Virgo habuerit fidem?

Post hoc quæritur, Utrum secundum quod gratia est in virtutibus contenta, in plenitudine beatæ Virginis sit comprehensa?

Et quæritur primo de gratiis fidei, Utrum beatissima Virgo habuit fidem?

Et videtur, quod non :

1. Latera enim civitatis sunt æqualia[3] : et unusquisque quantam habet fidem, tantam habet dilectionem, et e contra : et hoc semper est ubique. Sed beatissima Virgo tantam habuit dilectionem in via, quantam umquam aliqua creatura. Ergo et tantam cognitionem habuit, quantam umquam habuit aliqua creatura : ergo cognitio beatæ Virginis fuit excellentior cognitione raptus, quæ est creaturæ existentis in via : sed cognitio raptus excedit fidem, et non est secundum modum fidei : ergo non habuit fidem.

2. Item, I ad Corinth. xii, 2 : *Scio hominem... raptum usque ad tertium*

[1] Sapient. vi, 20.
[2] Sapient. vii, 11 et 12.
[3] Cf. Apocal. xxi, 16.

cælum. Super hoc dicit Glossa, quod Paulus vidit in raptu sicut qui sunt in tertia hierarchia. Ergo similiter beatissima Virgo vidit et excellentius : sed illi de tertia hierarchia non viderunt per fidem : ergo nec beatissima Virgo habuit fidem.

3. Item, Munditia cordis est ad videndum Deum dispositio, juxta illud : *Beati mundo corde*[1], etc. Ergo ubi major munditia, ibi major visio : sed nulla umquam creatura habuit tantam munditiam, quantam illa quæ ea puritate nitebat qua sub Deo nulla major nequit intelligi : ergo numquam aliqua creatura habuit tam altam cognitionem : ergo ejus cognitio fuit supra raptum : ergo supra fidem. Quod enim superius est superiore, superius est inferiore.

4. Item, Entis ad non ens infinita est distantia : ergo peccator et non peccatrix habent distantiam in infinitum : sed tantum diviserunt peccata nostra inter nos et Deum : ergo ubi plus de peccato, ibi major divisio : et ubi minus de peccato, ibi minor divisio et major conjunctio : ergo ubi nihil omnino de peccato, proxima est conjunctio : et ubi aliquid de peccato, ibi non omnimoda conjunctio. Sed nulla pura creatura est vel fuit sine peccato in via, juxta illud Joannis : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*[2], etc., excepta beata Virgine, de qua dicit Augustinus : « Cum de peccatis agitur, nullam volo de ipsa fieri mentionem. » Ergo numquam aliqua pura creatura ita conjuncta fuit Deo sicut beatissima Virgo : sed illa conjunctio est per cognitionem et dilectionem : ergo numquam aliqua creatura pura habuit tam altam cognitionem et dilectionem : ergo supra raptum : ergo supra fidem.

5. Item, Tres sunt actus hierarchiæ, scilicet purgari, illuminari, perfici secundum Dionysium : et sunt illi tres actus ad invicem ordinati, ita quod ad majorem purgationem sequitur major illuminatio, et ad majorem illuminationem sequitur major profectio : sed beatissima Virgo inter puras creaturas purgata fuit in summo : ergo ejus cognitio fuit super omnem cognitionem omnis creaturæ in via.

6. Item, Per cognitionem elevatur anima ad Deum : et in illo motu est natura quæ elevatur, Deus est motor qui elevat, et ubi ad quod natura elevatur : gratia autem est dispositio media per quam fit elevatio : natura autem est in omnibus æqualiter ad hoc quod sit Dei capax per cognitionem et dilectionem : similiter Deus in se eodem modo se habet respectu omnium : ergo si aliquis magis elevatur ad cognoscendum quam alter, hoc erit per medium elevans quod est gratia : sed gratia beatæ Virginis fuit major omni gratia puræ creaturæ : ergo altius elevatur ad cognoscendum Deum quam aliqua creatura : ergo cognitio ejus fuit supra raptum et supra fidem.

7. Item, Gratia et gloria habent se ad invicem proportionabiliter, ita quod habens majorem gratiam, habet majorem gloriam, juxta illud Zachariæ : *Exæquabit gratiam gloriæ*[3] : sed inter comprehensores numquam aliqua pura creatura habuit tam altam cognitionem quantam habuit beata Virgo in patria : ergo inter majores numquam habuit aliqua creatura pura tam altam cognitionem in via : ergo supra raptum et fidem : ergo cognitio ejus fuit supra fidem et raptum.

8. Item, Quidquid continet vacuum, hoc simpliciter non est plenum : quia contentum contenti est contentum continentis : ergo si contentum in se potest plus recipere : ergo et continens. Exemplum in domo plena doliis vacuis. Ergo si beatissima Virgo habuit fidei vacuitatem, habuit in aliquo vacuitatem respectu gratiæ : ergo non fuit gratia plena, quod est falsum.

[1] Matth. v, 8.
[2] I Joannis, I, 8.

[3] Vulgata habet, Zachar. iv, 7 : *Exæquabit gratiam gratiæ ejus.*

9. Item, Quod beatissima Virgo fuit sapientior omni creatura, signatur per hoc quod liber qui intitulatur de *Sapientia*, de beatissima Virgine specialiter exponitur : et quæ de sapientia Domini dicuntur, quasi de ipsa dicantur, Ecclesia interpretatur, ut patet in epistolis quæ de ipsa leguntur : in sapientia autem nihil est de stultitia vel ignorantia : ergo beatissima Virgo plena fuit sapientia : sed in fide non est plena sapientia, sed ex parte, juxta illud : *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus* [1] : ergo beatissima Virgo non habuit fidem, sed plenam cognitionem.

10. Item, Gregorius : « A quibusdam in hac carne corruptibili viventibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine potest æterna Dei claritas videri : si tamen huic vitæ funditus fuerunt mortui [2]. » Sed nulla creatura pura huic vitæ fuit mortua sicut beata Virgo. Ergo nulla creatura in hac vita tam puram vidit claritatem Dei sicut beata Virgo. Ergo ejus cognitio fuit supra fidem et raptum.

11. Item, Quod cognitio beatissimæ Virginis fuit supra fidem et excellentior cognitionibus aliorum, videtur per beatum Bernardum qui dicit : « Quis enim, excepta fortassis illa quæ hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit, et illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis cui se animate contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fuerit? Et propter hoc maxime dictum est : *Obumbrabit tibi* [3], quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in sola et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui solum datum est experiri. Dicatur ergo : *Spiritus sanctus superveniet*, etc., qui utique sua potentia fœcundabit te. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus et sapientia Christus, sic in suo sacratissimo consilio obumbrando conteget et occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur et tibi. Ac si Angelus respondeat ad Virginem : Quid a me requiris quod in te mox experieris? Sciens scies et feliciter scies, sed illo doctore, quo et auctore. Ego autem missus sum nuntiare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri nisi a donante, nec potest addisci nisi a suscipiente [4]. » Ex hac auctoritate colligitur, quod beatissima Virgo de incarnatione et de Dei Filio incarnato habuerit cognitionem quæ fuerit supra fidem, quod tantum notus esset sibi qui notus erat Patri. Quod non potest intelligi de cognitione fidei secundum quam notus erat et multis.

Ex his autem concluditur, quod cognitio beatæ Virginis fuit supra fidem, et supra omnem cognitionem puræ creaturæ existentis in via [5].

[1] I ad Corinth. XII, 9.

[2] S. GREGORIUS M., Lib. XVIII Moralium, cap. 38.

[3] Luc. I, 35.

[4] S. BERNARDUS, Homil. 4 super Missus est.

[5] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXI.

QUÆSTIO XLV.

Utrum B. Virgo habuerit spem?

Consequenter quæritur de spe, Utrum beata Virgo habuerit spem?

Et potest videri, quod non, per eadem quæ de fide posita sunt argumenta.

1. Primo si spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis ex meritis et gratia proveniens, sequitur spes ad fidem, et certitudo spei ad fidei cognitionem : ergo sicut cognitio ad cognitionem, et certitudo ad certitudinem : ergo si cognitio beatæ Virginis fuit supra omnem cognitionem viæ transcendens fidem, ergo certitudo ejus supra omnem viæ certitudinem et transcendens spem.

2. Item, Certitudo spei vel est fallibilis, vel conditionalis : si enim certus quis absolute est de æterna beatitudine, falli potest, quia cadere potest : si sperat sub conditione, scilicet si permanserit in charitate, tunc sua certitudo est conditionalis : et ita omnis certitudo spei est fallax, vel conditionalis. Sed beatæ Virginis certitudo de æterna beatitudine fuit absoluta et infallibilis : ergo major omni certitudine spei : ergo non fuit per modum spei : ergo non habuit spem.

3. Item, Cui inest unum oppositorum, alterum inesse non potest : sed timor separationis et spes opponuntur : et beatissima Virgo habuit timorem separationis : ergo non spem.

4. Item, Inter gratiam amissibilem et gloriam inamissibilem medium est gratia inamissibilis : ergo beata Virgo quæ habet statum medium et certitudinem inter statum gloriæ et statum viæ, habuit et certitudinem patriæ et certitudinem viæ : sed certitudo spei pertinet simpliciter ad statum viæ : ergo inferior fuit illa certitudine quæ fuit in beata Virgine : et ita beatissima Virgo non habuit spem, sed majorem certitudinem : ergo, etc. [1].

QUÆSTIO XLVI.

Utrum in B. Virgine fuerit charitas?

Consequenter quæritur de charitate, Utrum in beatissima Virgine fuerit?

Et videtur, quod habuit excellentem charitatem omnis puræ creaturæ.

1. Luc. vii, 41 et seq., legitur, quod præmissa quæstione de duobus debitori-

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXI.

bus, quorum unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta, et non habentibus unde redderent, donavit utrisque. Et quærente Domino, quis plus dilexerit? respondetur: *Æstimo quia is cui plus donavit.* Ex hoc colligitur, quod ille tenetur plus diligere cui plus donatur: sed beatissimæ Virgini super omnes creaturas plus est donatum: ergo super omnes creaturas plus diligere tenebatur et quantum tenebatur, tantum dilexit: ergo ipsum plusquam aliqua creatura dilexit: et ita videtur, quod majorem charitatem habuit Angelis.

2. Item, Gratia gratis data ordinatur ad gratiam gratum facientem: sed beatissima Virgo habuit gratiam gratis datam super omnem creaturam in via vel in patria existentem, in hoc quod meruit esse beatissima mater Dei: ergo et gratiam gratum facientem habuit, gratiam omnis creaturæ excellentem.

3. Item, I ad Timoth. I, 5: *Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*: ergo ubi est major puritas, ibi major charitas: sed beatissima Virgo habuit puritatem in summo, qua sub Deo major nequit intelligi: ergo habebat charitatem in summo, cui in creaturis æqualis nequit intelligi.

4. Item, Nullus tantum tenetur diligere sicut pater et mater: sed inter creaturas sola beata Virgo fuit mater Dei: ergo nulla creatura tantum tenebatur diligere Deum: sed quantum tenebatur diligere, tantum dilexit: ergo beatissima Virgo plusquam aliqua creatura Deum dilexit.

5. Item, Proverb. VIII, 17: *Ego diligentes me diligo.* Ergo plus diligentes plus diligo: ergo quemcumque Deus maxime diligit, ille Deum maxime diligit: sed Dominus Deus maxime super omnem creaturam diligit beatam Virginem: ergo ipsa ad ipsum majorem super omnem creaturam habuit dilectionem. Hujus autem signum, quod de ipsa Cantica Canticorum quæ amoris continent perfectionem, specialiter exponuntur: et ibi amica et charissima per excellentiam nominatur.

6. Item, Gregorius: « Exhibitio operis est probatio dilectionis: » sed Deus numquam alicui creaturæ tantum beneficium exhibuit in opere: ergo ipsa plus Deum quam aliqua alia creatura dilexit.

7. Item, Deus dat omnibus abundanter et illuminat omnem hominem: non tamen omnes recipiunt æqualiter, nec omnes æqualiter illuminantur: cujus diversitatis causa duplex esse videtur. Una ex parte recipientis: quia unum est magis capax ad recipiendum quam alterum, et propter hoc magis recipit altero, juxta illud Evangelii: *Tradidit illis bona sua,... unicuique secundum propriam virtutem*[1]. Glossa: « Capacitatem. » Hanc autem capacitatem operatur humilitas, juxta illud: *Humilibus dat gratiam*[2]: ergo ubi major humilitas, major est capacitas: sed in beatissima Virgine inter omnes creaturas maxima fuit humilitas: ergo maxima capacitas: ergo maximam gratiam recipere potest: sed quantum recipere potuit, tantum recepit: ergo gratiam in summo creaturæ habuit.

8. Item, Ex parte dantis venit diversitas doni: quia cum dans dat secundum rationem, et ratio respiciat finem, majus donum dat quod dat ad majorem finem, ut imperator magis dat cui daret donum ad essendum senatorem, quam cui daret ad essendum simplicem servientem. Sed beatissimæ Virgini dabatur donum ad essendum matrem Dei, omnibus aliis dabatur gratia ad essendum servos Dei. Sicut igitur improportionabiliter majus est esse matrem Dei, quam servum Dei: ita improportionabiliter est majus donum quod est ad essendum matrem Dei, quam quod est ad essendum servum Dei: sed donum in quo omnia alia donantur, est charitas: ergo beatissimæ Virginis charitas est improportionabiliter major charitate

[1] Matth. XXV, 14.

[2] Jacobi, IV, 5; I Petri, V, 5.

omnis creaturæ. Unde Augustinus : « Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ sit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere et parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum [1]. » Et iterum : « Illa autem Virgo singulari gratia præventa est et repleta, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit universitas Deum. »

9. Item, Eadem numero est charitas quam habet beatissima Virgo modo in patria, et quam habuit in via in substantia : sed quæcumque sunt eadem numero secundum substantiam, eadem sunt per substantiam : ergo si nunc habet charitatem majorem charitate omnis Angeli, et tunc habuit.

10. Item, Arguitur per effectum : Quicumque effectus sequitur aliquam formam secundum substantiam, si permanet idem effectus, non augmentatur secundum substantiam : ergo et charitas eadem erit semper secundum substantiam : sed facere dignum vita æterna est effectus qui sequitur formam quæ est charitas secundum substantiam : et ille effectus qui exstat in via et in patria, non augmentatur secundum substantiam : ergo et charitas eadem est in via et patria non augmentata secundum substantiam : ergo cum beatissima Virgo habuerit charitatem majorem omni Angelo in patria, habuit majorem omni Angelo in via.

11. Item, Sublato a beatissima Virgine omnino fomite, et post pœnalitate, et tandem corporis animalitate, habuit majorem charitatem omni Angelo in via : sed ista ablatio non est aliqua adjectio charitatis quantum ad substantiam, sed quantum ad actus elevationem, extensionem, et expeditionem : ergo charitas ejus fuit major in substantia charitate Angeli, licet minor fuit quantum ad actum, et hoc propter conditionem et statum subjecti in quo erat.

12. Item, Dicit Augustinus quod hoc præceptum : *Diliges Dominum Deum tuum* [2], etc., non potest impleri in via : et constat, quod hoc est propter conditiones viæ, quæ sunt unio ad corpus corruptibile, pœnale, et animale, et visio per speculum in ænigmate : et constat, quod his omnibus sublatis plene adimpletur : et ita videtur, quod perfectio charitatis viæ in charitate patriæ non fiat per aliquam adjectionem quantum ad substantiam, sed per extensionem et elevationem quantum ad actum, eadem substantia permanere : ergo beatissima Virgo habuit majorem charitatem quantum ad substantiam omni Angelo nunc in patria : ergo etiam habuit in via [3].

QUÆSTIO XLVII.

Utrum charitas B. Virginis Mariæ in via fuerit in statu quod potuerit augmentari ?

Juxta hoc quæritur, Utrum charitas beatissimæ Virginis Mariæ in via fuerit in statu tali, quod potuerit augmentari ?

Et videtur, quod sic.

1. Omne enim quod est circa summum, melioris conditionis est si potest augmentari in bono quam si non potest : sed constat quod charitas beatissimæ

[1] S. Augustinus, Lib. de Natura et Gratia, cap. 36.

[2] Deuter. vi, 5; Matth. xxii, 37; Marc. xii, 30; Luc. x, 27.

[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXI.

Virginis fuit citra summum, et in optimo statu : ergo potuit augmentari.

2. Item, Augustinus ad Hieronymum : « Charitas est virtus qua illud quod diligendum est, diligitur. Hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est, plenissima vero quæ jam non possit augeri quamdiu hic homo vivit, invenitur in nemine[1] : » quamdiu ergo hic est vivens, augeri potest.

Quod si concedatur. Contra :

1. Charitas beatissimæ Virginis fuit perfectissima secundum statum : sed perfectius est quod in termino, quam id quod est citra terminum : sed quod augmentabile est, citra terminum est : sed charitas beatæ Virginis fuit in termino et non citra terminum : ergo charitas beatæ Virginis non est augmentabilis, sed in summo complemento secundum statum viæ.

2. Item, Sicut nec in corporalibus, ita nec in spiritualibus quidquam est vacuum secundum actum : sed inter charitatem inaugmentabilem patriæ, et charitatem augmentabilem viæ, medium est charitas viæ inaugmentabilis : ergo cum extrema exstent, aut medium erit, aut aliquod vacuum est : illud autem medium non congruit nisi beatissimæ Virgini, quæ fuit in statu viæ summa et propinquissima statui patriæ : ergo habebat charitatem inaugmentabilem in summo.

3. Item, Inter charitatem inaugmentabilem quantum ad substantiam et quantum ad actum, et charitatem augmentabilem quantum ad substantiam et quantum ad actum, est media charitas inaugmentabilis quantum ad actum, et inaugmentabilis quantum ad substantiam : quarta enim differentia est impossibilis, scilicet quod sit augmentabilis secundum substantiam, et non secundum actum : sed medio perfectibili debetur media perfectio : ergo cum beatissima Virgo habuerit medium statum in via inter perfectibilia, mediam habebit perfectionem : ergo habebit inaugmentabilem charitatem secundum substantiam et augmentabilem secundum actum.

4. Item, Omne creatum certo termino et quantitate est mensuratum : Deus enim *omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit*[2]. Ergo nullius creati potentia est infinita in via : ergo augmentatio charitatis non est infinita in via : ergo alicubi erit in summo suo : sed summum perfectibile perfectionis viæ fuit beatissima Virgo : ergo habuit charitatem viæ in summo[3].

QUÆSTIO XLVIII.

Utrum B. Virgo fruebatur in via per modum patriæ ?

Juxta hoc quæritur, Utrum beata Virgo frueretur in via per modum patriæ ?

Et videtur, quod sic.

1. Augustinus in libro I de *Doctrina Christiana* : « Frui est amore inhærere alicui rei propter se[4] : » sed beatissima

[1] S. Augustinus, Epist. 29 ad Hieronymum.

[2] Sapient. xi, 21.

[3] Pro solutione objectorum hujus quæstionis, vide infra post Quæst. LXI.

[4] S. Augustinus, Lib. I de Doctrina christiana, cap. 4.

Virgo inhærebat summo amore propter se et inseparabiliter : ergo fruebatur.

2. Item, Inter tantum comprehensorem et tantum viatorem triplex est medium : comprehensor simpliciter et viator simpliciter simul, sicut Dominus Jesus : et comprehensor simpliciter et viator secundum quid, sicut Angeli custodiis et ministeriis hominum deputati, secundum quid sunt viatores usque in diem judicii. Tertium medium est viator simpliciter et comprehendens et fruens secundum quid. Ergo cum inveniatur aliquis comprehensor tantum, ut homines sancti in patria : et aliquis viator tantum, ut homines in via : et aliquis comprehensor et viator simul, ut homo Deus, et aliquis secundum quid viator et simpliciter comprehensor, ut Angeli : invenietur quarta differentia, vel aliquid erit vacuum : et ita erit aliqua persona viatrix simpliciter, et comprehendens et fruens secundum quid, et erit in statu viæ summa et propinquissima statui patriæ : hæc autem est beatissima Virgo : ergo ipsa erit viatrix simpliciter, et comprehendens et fruens secundum quid. Ex his autem omnibus videtur, quod beatissima Virgo non habuit gratiam virtutum theologicarum secundum modum viæ, sed perfectiori modo et excellentiori omni modo perfectionis puræ creaturæ.

Quod si concedatur. Contra :

1. Quia perfectio addita perfectioni, non destruit ipsam, sed auget.

2. Item, Status viæ inferior est statui patriæ : ergo summum viæ, inferius erit intimo patriæ.

3. Item, Dominus in Matthæo, xi, 11 : *Qui minor est in regno cælorum, major est illo*, scilicet Joanne Baptista. Glossa dicit : « Omnis sanctus qui est cum Deo, major est eo qui est jam in mundo. »

4. Item, Super illud, *Ecce mitto Angelum meum*[1], etc., dicit Glossa : « Novissimus Angelus cœli, major est quovis homine[2]. »

QUÆSTIO XLIX.

Utrum B. Virgo habuerit charitatem ad proximum in summo creaturæ ?

Post hoc quæritur de charitate beatæ Virginis quam habuit ad proximum, Utrum illam habuerit in summo creaturæ ?

Et videtur, quod non : quia

1. *Majorem hac dilectionem nemo habet*[1], etc. Sed ipsa animam suam non posuit pro amicis suis : ergo non habuit charitatem majorem aliis qui animam suam pro amicis suis posuerunt.

Contra :

1. Propter quod unumquodque tale et illud magis, ut propter quod amamus, ipsum magis diligimus. Ita dicit Philo-

[1] Malach. iii, 1; Marc. i, 2; Luc. vii, 27.
[2] Post salutationem Apostolorum, vide infra post Quæst. LXI.

[1] Joan. xv, 13.

sophus. Sed proximum amamus propter Deum. Ergo qui plus amat Deum, plus amat proximum.

2. Item, Eadem charitas est qua diligitur Deus et proximus : ergo qui habet summam charitatem ad Deum, summam habet et ad proximum : sed beata Virgo summam charitatem habet ad Deum : ergo ad proximum[1].

QUÆSTIO L.

In quo statu B. Virgo habuerit justitiam respectu viatorum?

Consequenter quæritur de virtutibus cardinalibus.

Et primo de justitia, In quo statu eam habuerit beata Virgo respectu viatorum?

1. Justitia enim et misericordia opponuntur in effectibus : ergo qui habet de justitia magis, minus habet de misericordia : et e converso : sed beatissima Virgo, utpote mater misericordiæ, fuit misericordissima : ergo minimum habet de justitia.

2. Item, Isa. XXXII, 17 : *Opus justitiæ pax*, etc. Item, ibidem, XXVI, 9 : *Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis*. Item, in Proverbiis, XVIII, 17 : *Justus prior est accusator sui*. Ex his omnibus colligitur, quod actus justitiæ in via est justificare mala, et punire, et vitia castigare : quæ omnia non fuerunt in beata Virgine : ergo non habuit actum justitiæ in via : ergo nec respectu viatorum, et per consequens super viatores.

Contra : Duæ sunt partes justitiæ, scilicet declinare a malo, et facere bonum : sed utrumque istorum habuit beata Virgo super omnes puros viatores : ergo justitiam habuit super viatores. Quod autem beatissima Virgo declinationem a malo habuit excellentius omnibus viatoribus, patet ex hoc quod sola ipsa viatrix fuit, quæ numquam peccavit. Unde Augustinus : « Excepta hac Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam volo habere quæstionem[2]. » Sed si omnes sancti et sanctæ convenirent et dicerent, quod peccatum non habemus, quid responderemus eis nisi quod dicit sanctus Joannes : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*[3]. Excellit etiam omnes in operatione boni : in eo enim quod Deum genuit, qui omnia regeneravit, tantum effectum protulit boni de se, quod nullius puræ creaturæ effectus illi in dignitate vel in utilitate poterit coæquari.

Item, Opera misericordiæ quæ fiunt ex compassione et relevatione miseriæ, et propter hoc dicuntur *misericordiæ opera* : sed eadem sunt opera justitiæ, ad quæ omnes tenentur, ut patet in discussione ultima : *Esurivi, et non dedistis*

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXI.

[2] S. Augustinus, Lib. de Natura et Gratia, cap. 36.

[3] I Joannis, I, 8.

mihi[1], etc., ubi fit disceptatio et adjudicatio damnatorum pro hujusmodi operum omissione. Illa etiam opera exercuit beata Virgo in summo super omnes viatores : operum enim misericordiæ alterum est altero magis bonum, vel quod fit ex majori charitate, vel quod fit magis indigenti, vel quod magis digno indigenti, vel quod fit cum majori effectu impenso, vel quod fit ex magis necessario et minus superfluo. Hæc omnia fuerunt in beatissima Virgine in summo. Charitas ex qua opera misericordiæ fecit, omnem creaturam excellit, ut infra patebit. Maxime indigenti tribuit : quia nemo inter viatores pauperior Jesu Christo fuit. Dignissimo pauperi tribuit : quia nemo dignior mendicus quam mendicus Deus fuit. Magnum enim esset opus misericordiæ quod fieret pauperi laico, majus quod fieret pauperi clerico, majus quod fieret religioso, adhuc majus quod fieret pauperi Episcopo, sed summum quod fieret mendico Papæ : ergo improportionabiliter summum opus misericordiæ fuit quod fiebat Deo mendico et pauperrimo. Maximum etiam effectum misericordiæ nobis impendit : quia nobis miseris et captivis et mendicis Deum Filium suum ipsum dedit captivis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, et cum ipso nobis dedit regnum cœlorum et omne bonum : qui enim proprio Filio suo non pepercit, quomodo cum illo nobis omnia non donavit ?

Item, Beatissima Virgo de nullo sibi superfluo, sed omnino necessario, opus misericordiæ fecit Filio suo pauperrimo et peregrino, de propriis suis purissimis carnibus et sanguinibus tunicam polymitam fecit, in uteri sui gremio hospitavit, de proprio corpore cibavit et lactavit.

Sic ergo patet, quod beatissima Virgo justitiam quoad partes et effectus suos habuit in summo[2].

QUÆSTIO LI.

Qualiter latria, dulia et obedientia fuerunt in B. Virgine?

Post hoc videndum est de speciebus justitiæ quæ sunt latria, dulia, obedientia, qualiter et hæ fuerunt in beatissima Virgine ?

Et primo de latria. Est enim latria soli Deo debitus et exhibitus honor. Et intenditur honor iste per tria. Primum est dignitas personæ exhibentis. Secundum est minus debitum exhibitionis. Tertium est excellentia impensæ servitutis.

Dignitas personæ exhibentis respectu omnium viatorum in summo fuit in beatissima Virgine : ipsa enim mater Dei, alii omnes servi : et improportionabiliter magis est esse matrem Dei, quam esse servum Dei : ergo improportionabiliter major est latria matris Dei, quam servorum Dei.

[1] Matth. xxv, 42.

[2] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. LXI.

Item, Minus debitum exhibitionis fuit in beatissima Virgine respectu aliorum sanctorum : quanto enim quis plus est inferior, tanto magis tenetur ex debito necessitatis ad servitium : sed beatissima Virgo fuit suprema omnium sanctorum : ergo exhibitio servitutis ejus fuit ex minimo debito necessitatis, et ex maximo debito charitatis : ergo iterum quantum ad hoc fuit ejus latria in summo.

Item, Impensa servitus latriæ consistit in tribus, in actu cordis qui est cognitio et dilectio, in actu oris qui est laus et oratio, in actu operis, ut genuflectio, adoratio, immolatio, et hujusmodi. Omnia hæc in beatissima Virgine fuerunt in summo : in virtutibus enim interioribus omnem creaturam excellit, ut infra patebit : habent enim Angeli virtutes inamissibiles, sed non meritorias præmii substantialis : habent et homines virtutes meritorias, sed amissibiles : habuit autem beata Virgo virtutes inamissibiles cum Angelis, et meritorias cum hominibus, et ita utrisque excellentius, et ita habuit excellentissimam latriam in actu cordis.

Item, Actus latriæ ab ore, ut est laus et oratio, excellentissime fuit in beata Virgine : oratio enim aliorum sanctorum non innititur alicui juri ex parte sui, sed tantum misericordiæ ex parte Dei : oratio autem beatissimæ Virginis innititur gratiæ Dei, et juri naturali, et justitiæ Evangelii vel decalogi : quia filius non tenetur tantum exaudire, sed obedire matri, juxta illud : *Honora patrem tuum et matrem tuam* [1]. Et Apostolus : *Filii, obedite parentibus vestris* [2]. Quod et ipsa videtur innuere in modo orandi, non utens oratione simplici, sed insinuatione, dicens : *Vinum non habent* [3], etc. Dicit magister Hugo de sancto Victore, quod nobilissima species orationis est insinuatio, exemplificans in eodem verbo, scilicet, *vinum non habent*. Et sic latria ejus oris fuit in summo : tum quia erat nobilissimus modus orandi : tum quia ejus oratio habebat rationem jussionis et imperii : tum quia erat impossibile eam non exaudiri, juxta illud : *Pete, mater mea : neque enim fas est ut avertam faciem tuam* [4]. Item, *Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua*, scilicet, pro qua re postulas? *Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi* [5].

Item, Actus latriæ in opere exteriori principalis est in oblatione, et excellentior in templorum constructione et consecratione : hoc autem totum fuit in beatissima Virgine in summo, quæ de corde et corpore templum sancto Spiritui construxit, in quo Filius Dei corporaliter habitavit, in quo seipsam et in seipsa summam castitatem cordis et corporis Deo omni sacrificio acceptabilius obtulit, imo ipsum filium suum et Filium Dei, non prout panis et vinum in corpus ipsius transferebatur, et sibi speciebus alienis immolabatur, sed secundum quod in ejus propria carne et sanguine secundum corpus formabatur, sub ipsa sua specie propria in qua eum genuit, spontaneo ejus consensu in ejus passione pro nobis omnibus obtulit : per quam sufficientissimam et gratissimam hostiam semel oblatam, Deum toto generi humano reconciliavit : qui nimirum excellentissimus actus latriæ in opere fuit.

Et sic patet, quod beata Virgo omnem actum latriæ secundum omnem modum habuit in summo [6].

[1] Exod. xx, 12.
[2] Ad Ephes. vi, 1.
[3] Joan. ii, 3.
[4] III Regum, ii, 20.
[5] Esther, v, 3.
[6] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXI.

QUÆSTIO LII.

Utrum B. Virgo habuerit duliam?

Consequenter videndum est de dulia. Est autem dulia honor creaturæ debitus et exhibitus. Et hæc habet duas partes : duliam simpliciter quæ debetur creaturis, et hyperduliam quæ debetur excellentibus creaturis, ut beatæ Virgini et sanctæ cruci.

1. Habuit autem beata Virgo actum hyperduliæ in summo, respectu aliarum creaturarum : improportionabiliter enim majus est adorari quam adorare : ergo improportionabiliter majus est hyperdulia adorari, quam adorare hyperdulia : sed omnes alii sancti adorant hyperdulia beatam Virginem : ergo ipsa omnes excellit hyperdulia.

2. Item, Actus duliæ habuit super omnes excellenter : actus enim duliæ intenditur per ea per quæ et actus latriæ intendebatur, per dignitatem videlicet personæ exhibentis, per munus debitum exhibitionis, et per humilitatem servitutis. Per dignitatem personæ exhibentis excellit omnes : nulla enim digna persona vel creatura potuit aliam creaturam in tantum honorare in quantum dignissima creaturarum mater Dei.

3. Item, Cum esset dignissima et suprema creaturarum omnium, quam omnes debent revereri et honorare, minime debitum fuit ut alias creaturas honoraret.

4. Item, Servitus humillima et indebitissima fuit, qua inferiorem se honoravit : quia proxima Deo per incorruptionem, purificationem pollutis matribus constitutam absque legis præcepto observavit, et Filium cum oblationibus offerens, sacerdotibus legalibus reverentiam exhibuit, per quod obedientiam et humilitatem consummavit, sicut scriptum est : *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam* [1]. Glossa : Perfectam humilitatem. Et distinguit ibi triplicem humilitatem et obedientiam. Prima quæ exhibetur inferioribus, secunda pari, tertia quæ superiori. Et prima vocatur *omnis justitia*, id est, perfecta justitia, quam beatissima Virgo in summo exhibuit, quando Deo propinquissima fuit, et dignissima inferioribus et sibi jure subditis, ipsa super legem posita, secundum legem, legi et ministris ejus obedivit : in quo se summe inclinavit et humiliavit : summum enim citra Deum in sursum est summa incorruptio, juxta illud : *Incorruptio facit esse proximum Deo* [2]. Summe autem distans ab incorruptione deorsum, est corruptio : post corruptionem sequitur pœna posita pro corruptione, ut est mulierum corruptarum purificatio : summa igitur inclinatio humilitatis fuit, quando se excellentissima incorruptione Virgo sub onus corruptis impositum spontanee se inclinavit.

Et sic patet quomodo in beatissima Virgine, et dulia, et latria, et obedientia, et humilitas, fuerunt in summo [3].

[1] Matth. III, 15.

[2] Sapient. VI, 20.

[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXI.

QUÆSTIO LIII

Utrum B. Virgo habuerit pœnitentiam?

Est adhuc virtutis alia species quæ ad justitiam potest reduci, scilicet pœnitentia. Quod sit virtus, patet per Glossam super illud : *Pœnitentiam agite* [1]. Prima virtus est per pœnitentiam veterem hominem perimere, etc. Item, Virtus pœnitentiæ timore concipitur. Quod autem pœnitentia sit species justitiæ, patet : quia omnes tenentur veterem hominem perimere, et omnes peccatores pœnitere.

Quod autem actus pœnitentiæ fuerit excellentius in beatissima Virgine omnibus viatoribus, patet ex hoc quod

1. In omnibus aliis actus pœnitentiæ requirit peccatum in esse vel fuisse : in beatissima autem Virgine fuerunt actus pœnitentiæ sine præsentia vel præcessione culpæ.

2. Item, Cum nulla virtus quantum ad habitum cesset in patria, habitus pœnitentiæ erit in patria : et habitus patriæ perfectiores habent actus quam habitus viæ : ergo pœnitentia erit in patria, et habebit perfectiorem actum quam habeat in via : ille autem est detestatio peccati sive nolle peccare : ergo cum beatissima Virgo habeat actum pœnitentiæ, non secundum actum viæ, habebit ipsum secundum actum patriæ : ergo habuit actum pœnitentiæ excellentius aliis creaturis viæ [2].

QUÆSTIO LIV.

Utrum prudentia fuerit in B. Virgine secundum quod et in aliis viatoribus?

Consequenter quæritur de prudentia. Et primo, utrum fuit in beatissima Virgine secundum quod in aliis viatoribus?

Et videtur, quod non.

1. Dicit Augustinus : « Prudentia est amor, ea quibus adjuvatur, ab aliis quibus impeditur, sagaciter eligens. Item, Augustinus : « Prudentia est in præcavendis insidiis : sed beatissima Virgo non impediebatur ab aliquo, nec indigebat aliqua cautela contra insidias, quia decipi non poterat : ergo non habuit actum prudentiæ, hocque modo sicut eum habent communiter viatores : ergo ipsa non habuit actum prudentiæ per modum viæ : ergo per modum patriæ.

2. Item, Prudentia respicit cognitionem eorum quæ pertinent ad actionem

[1] Matth. III, 2.
[2] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. LXI.

secundum quod est virtus cardinalis : agenda autem sunt quædam exteriora et corporalia, et quædam interiora et spiritualia : et continget aliquem esse exercitatum in temporalibus et inexpertum in spiritualibus, aliquem e converso. Prima perfectio pertinet ad actionem, secunda ad contemplationem : circa utramque contingit errorem esse in viatoribus communiter : sed in beatissima Virgine fuit perfectio utriusque sine errore et possibilitate errandi : ergo habuit actum prudentiæ excellentius omni viatore [1].

QUÆSTIO LV.

Secundum quem statum fortitudo fuerit in B. Virgine?

Consequenter quæritur de fortitudine, secundum quem statum fuerit in beatissima Virgine? Et per ordinem quæritur de speciebus sive de partibus ejus.

Et primo de magnanimitate, quæ sic describitur : Magnanimitas est rationalis agressio terribilium. Quod hæc in summo fuerit in beatissima Virgine, sic videtur : Terribilissimum enim in hac vita est dolor mortis : et quanto natura nobilior, tanto mors dolorosior et terribilior : sed spiritus improportionabiliter nobilior est corpore : ergo martyrium mentis majus est martyrio corporis : sed beatissima Virgo martyr est martyrio spirituali, alii martyres martyrio corporali, sicut patebit infra de martyrio et aureolis : ergo agressio terribilium improportionabiliter major fuit in beata Virgine quam in aliis.

Secunda est magnificentia, quæ sic describitur : Magnificentia est rerum bene gestarum felix consummatio : consummatio autem rerum bene gestarum per beatam Virginem excellit improportionabiliter omnis puræ creaturæ consummationem : ergo in actu magnificentiæ excellit omnem viatorem.

Tertia species est fiducia, quæ sic describitur : Fiducia est certa spes perducendi ad finem rem quæ incepta est : sed certitudo spei beatissimæ Virginis fuit absoluta et infallibilis, omnium aliorum viatorum fiducia conditionalis est et fallibilis : sed infallibile excellit fallibile improportionabiliter in quantum tale : ergo fiducia beatæ Virginis excellit fiduciam omnium viatorum.

Quarta est securitas, quæ sic describitur : Securitas est habitus secundum quem supervenientes incommoditates non formidantur, quin quod inceptum es ad finem perducatur : sed securitas beatæ Virginis fuit omnino sine timore separationis : ergo ejus securitas excellit securitatem omnis viatoris.

Quinta est patientia, quæ sic describitur : Patientia est bonus habitus animæ, omnes adversitates æquanimiter portans : sed patientia beatissimæ Virginis fuit invincibilis, et ab omni malo culpæ impassibilis, omnium aliorum viatorum patientia fuit vincibilis et a malo culpæ passibilis : ergo ipsius patientia fuit aliorum patientia major improportionabiliter.

Sexta est constantia quæ sic describitur : Constantia est animi stabilitas in

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post quæst. LXI.

proposito non vacillans : sed stabilitas beatissimæ Virginis fuit immobilis : et omnium aliorum mobilis : ergo ejus constantia aliorum constantia improportionabiliter major fuit[1].

QUÆSTIO LVI.

Utrum habuerit B. Virgo perseverantiam?

Post hoc quæritur de perseverantia, quæ dupliciter dicitur : uno modo propositum perseverandi usque in finem : alio modo actus perseverandi.

Voluntas beatissimæ Virginis ad perseverandum fuit inflexibilis : voluntas omnium aliorum flexibilis : ergo ejus perseverantia aliorum perseverantiæ est improportionabilis[2].

QUÆSTIO LVII.

Utrum habuerit temperantiam?

Postea quæritur de temperantia, quæ 1. Sic describitur secundum Pilosophos : Temperantia est contra illicitos animi impetus firma et discreta dominatio. Item, Matth. xv, 38 : *Erant qui manducaverant quasi quatuor millia hominum.* Glossa : « Temperantia est refrænatio cupiditatis ab his quæ temporaliter delectant. » Patet quod in his diffinitionibus diffinitur temperantia secundum actum viæ et non patriæ, et quod secundum actus istos non fuit temperantia in beatissima Virgine : ergo non habuit temperantiam per modum viæ, sed patriæ.

2. Item, Augustinus : « Temperantia est amor incorruptibilis in Deo et integer : » sed tam amor quam incorruptio et integritas fuit improportionabiliter excellentius in beatissima Virgine, quam in aliquo viatore : ergo habuit temperantiam improportionabiliter super omnes viatores[3].

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. LXI.

[2] Ibid.

[3] Ibid.

QUÆSTIO LVIII

Utrum habuerit castitatem?

Sequitur de speciebus temperantiæ, quæ sunt castitas, modestia, et sobrietas.

Et primo de castitate. Quod autem beatissima Virgo omnem creaturam excellebat in castitate, sic probatur :

1. In omnibus viatoribus puris hominibus castitas est cum pugna contra fomitem, et cum casu ad minus in primum motum venialem, et cum possibilitate cadendi etiam in mortalem, exceptis in utero sanctificatis et Apostolis Spiritu sancto repletis : in beatissima autem Virgine fuit castitas sine pugna fomitis, sine casu mortali, sine possibilitate cadendi etiam casu veniali : ergo castitas ejus omni homini fuit improportionabilis.

2. Item, Castitas beatissimæ Mariæ Virginis castitatem Angelorum quinque gradibus excellit. Est enim multiplicior, nobilior, utilior, gloriosior, laudabilior. Multiplicior : Angeli enim habent tantum castitatem in spiritu, hæc autem in carne et spiritu. Item est nobilior : quia illa naturalis, ista gratuita. Item, utilior : illa enim est naturalis et non meritoria, ista meritoria. Item, gloriosior : hæc enim sine victoria, illa autem cum victoria. Item, laudabilior : hæc enim est necessaria, illa vero voluntaria.

Patet igitur, quod beatissima Virgo omnem creaturam excellit in castitate[1].

QUÆSTIO LIX.

Utrum habuerit sobrietatem?

Sequitur de sobrietate, quæ dupliciter dicitur. Est enim sobrietas temperantiæ species. Est etiam sobrietas, quæ est abstinentia, et pars satisfactionis pœnitentiæ et species justitiæ.

Prima sobrietas est cum pugna in omni viatore, et cum errore, et cum possibilitate cadendi in primum motum gulæ : sed in beatissima Virgine fuit sine pugna, sine errore, sine possibilitate cadendi etiam in primum motum gulæ : ergo excellentius fuit in ea sobrietas quam in alio viatore.

Item, Alia abstinentia est, quæ fit tri-

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. LXI.

bus de causis : pro debito satisfactionis, pro peccato præterito, pro cautela evasionis pro peccato futuro, pro deletione pœnæ debitæ in præsenti : sed in beatissima Virgine non fuit abstinentia pro debito satisfactionis, nec pro peccato præterito, sed pro merito supererogationis : nec pro cautela provisionis, sed pro exemplo ædificationis : nec pro deletione pœnæ, sed pro merito gloriæ : ergo ejus abstinentia fuit nobilior quam alicujus viatoris[1].

QUÆSTIO LX.

Utrum habuerit modestiam ?

Sequitur de modestia, quæ consistit in duobus, scilicet in dictis et factis. Utramque habebat Virgo beata in summo.

1. In dictis : quia *linguam nullus hominum domare potest*[2]. Hoc communiter intelligitur de viatoribus. Sed beatissima Virgo linguam in summo domuit : quia in lingua numquam lapsa fuit : ergo modestia in dictis beatissimæ Virginis omnem creaturam excellit.

2. Item, In factis : *Non est homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet*[3]. *Septies*, scilicet in die, *cadet justus*[4]. Hoc intelligitur communiter in viatoribus et de casu etiam veniali. Sed beatissima Virgo numquam peccavit, et numquam cecidit : ergo in modestia facti omnem creaturam excellit[5].

QUÆSTIO LXI.

Utrum habuerit modestiam in cultu vestium ?

Sequitur de modestia in cultu vestium.

Quod autem modus in cultu vestium pertineat ad modestiam, probatur per illud : *Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut*

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. LXI.

[2] Jacobi, III, 8.

[3] Eccle. VII, 21.

[4] Proverb. XXIV, 16.

[5] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXI.

auro, aut margaritis, vel veste pretiosa : sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona[1].

Item, per illud : *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus*[2]. Glossa : Sicut crispatus habitus. Hieronymus : « Mulieres serico vel purpura indutæ, Christum induere non possunt : auro, margaritis, monilibus adornatæ, ornamenta cordis perdiderunt. »

Item, Luc. XVI, 19 : *Homo quidam erat dives*, etc. Glossa : Si in cultu pretiosarum vestium culpa non esset, sermo Domini non tam vigilanter exprimeret, quod dives purpura et bysso indutus, apud inferos irremediabiliter torqueretur.

Quæritur igitur, qualiter ista modestia in beatissima Virgine fuit, utrum descendendo ad despectissimum habitum, vel considerando mediocritatem.

Videtur, quod primo modo.

1. Hieronymus : « Cinis et cilicium sunt arma pœnitentium. » Item, Chrysostomus de tunica inconsutili opinatur, quod dicitur *inconsutilis*, sicut mulier dicitur *difformis*, non quod sit sine forma, sed quod habeat malam formam : ita inconsutilis, non quod fuerit sine sutura, sed quod habuit rudes suturas, et *desuper contesta* fuit *per totum*[3], id est, tapetiata. Si igitur vestitus Domini adeo fuerit despectus et vilis et asperrimus, etiam in matre quæ ejus imitatrix est, debuit esse habitus despectissimus.

2. Item, Secundum Philosophum, diversum est de habitu judicium vulgi et sapientium. Interrogatus quis de vulgo, quis sit habitus congruus ? respondet, decorus : quia decor attestatur honestati. Si interrogemus unum de sapientissimis et de horum famosissimis, scilicet Joannem Baptistam, respondebit, de pilis camelorum. Ergo si secundum consilium sapientium eligitur vilitas in cultu, ergo cum beatissima Virgo fuerit prudentissima, ipsa elegit vilitatem in vestitu.

Quod autem mediocritatem, videtur

1. Per beatum Hieronymum, qui ait : « Ornatus vestium et sordes pari modo sunt fugiendæ. »

2. Item, Nihil tantum Deo placet sicut zelus animarum : ad hunc autem ordinatur conformitas, juxta illud : *Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos*[4]. Conformitas autem est in mediocritate. Ergo cum beatissima Virgo fuerit maxima zelatrix animarum, quæ omnes maxime lucrifacere voluit, ipsa hominibus omnibus maxime se conformavit : ergo mediocritatem habuit in cultu.

3. Item, Virtus in mediocritate consistit : ergo cum beatissima Virgo omnibus exemplum virtutis exstiterit, in mediocritate habitus exemplum dedit[5].

Præmittenda ad solutionem præcedentium Quæstionum.

§ I.

Ad prædictorum omnium evidentiam, et ad objectorum pleniorem solutionem, et ad ipsius solutionis intellectum et intelligentiam faciliorem, hic quædam sunt præmittenda.

Scribitur enim in Evangelio Marci, XVI, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Glossa : Generi humano, quod habet aliquod commune cum omni creatura, esse cum entibus, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Hæc autem communitas est causa et aptitudo quædam naturalis in viribus apprehensivis animæ humanæ ad apprehenden-

[1] I ad Timoth. II, 9 et 10.

[2] I Petri, II, 2.

[3] Joan. XIX, 23.

[4] I ad Corinth. IX, 22.

[5] Cf. infra solutionem ad præcedentes objectiones.

dum universaliter species omnium creaturarum cognoscibilium. Et similiter est causa ex parte rerum cognoscibilium, ut species ipsarum præsententur ipsis viribus apprehensivis. Et sic fit naturalis cognitio cognoscibilium a cognoscente, cum ad species objectas convertuntur apprehensivæ vires per similitudinem et per quoddam desiderium, quod iterum est naturale. Ipsa autem ratio in homine cum sit superior, habet actionem omnium inferiorum. Unde Philosophus: Quidquid potest virtus inferior, potest et virtus superior. Cui consonat Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia* : « Ordines superiores excellenter habent inferiorum dispositionum virtutes, et non e converso. » Et ideo omnium sensibilium creaturarum et intelligibilium est ratio naturaliter cognoscitiva ratione communitatis naturalis : et ipsa cum sit collativa, naturaliter cognoscit res et creaturas esse signum aliquod vel vestigium, sicut artificium artificis. Ex quo etiam ratio naturaliter est cognoscitiva creatoris, cujus creaturæ sunt vestigia et signum. Et sic patet, quod ratio humana habet in sua natura, quod sit cognoscitiva sensibilium creaturarum et intelligibilium et creatoris earum, et quod habet desiderium ductivum ad cognoscendum hæc. Et potest dici ductus naturalis rationis, quo ex solis bonis naturalibus ducitur tamquam ex primis motibus ex parte ipsius. Similiter ex parte affectus sunt quædam aptitudines naturales ad bonum, quas quidam Philosophi appellant *seminaria virtutum*, quibus movetur anima rationalis ad bonum naturaliter.

Ipsa vero anima rationalis sic existens, est receptiva habitus multiplicis, scilicet artium et scientiarum ex parte virtutis apprehensivæ : sed hujusmodi habitus non ducunt rationem extra metas vel terminos ei debitos secundum aptitudinem naturalem, sed sunt facultates [1] et directiones quædam ad cognoscendum ea ad quæ naturaliter se habent : et hi sunt habitus acquisiti per ingenium, sive dati, sive infusi. Ex parte vero virtutis motivæ est receptiva habitus consuetudinalis, quo non erigitur affectus super ductum naturæ vel super ea quæ naturaliter ducta ratio dictat. Affectum vero secundum se habentem cognoverunt quidam Philosophi non sufficere ad beatitudinem. Unde Tullius : « Sæpe dicimus, et sæpe dicendum est : Naturaliter avidissimi sive appetentissimi sumus, quia honesta sunt nobis innata virtutum seminaria, ita ut si pateremur, et anhelare liceret, ad beatitudinem cum divino munere natura nosmetipsos perduceret : sed igniculos natura nobis inditos sæpe retundimus. »

Est igitur præter hujusmodi habitus naturalis anima susceptiva ignis fidei, quæ est donum fluens a Deo, modo nobiliori et utiliori quam sit modus secundum quem fluunt naturæ, et bona naturalia. Hujusmodi autem gratia ducitur anima rationalis ad cognitionem talium, ad quæ non poterat ratio duci ductu suo naturali, adjuta arte vel scientia vel habitu consuetudinali. Cognita autem hujusmodi sunt Deus trinus et unus, Verbum caro factum, et hujusmodi, ad quæ non sufficiunt bona naturalia sine fide : quia ad hoc est parva natura et pusilla statura, quæ significatur, Luc. XIX, 2 et seq., in Zachæo, qui cum non posset videre JESUM, ascendit in arborem sycomorum, ubi Glossa : Devotione fidei ad videndum Salvatorem, quod natura habet minus, supplet ascensu arboris. Et sic patet, quod fides sursum trahit ultra ductum rationis. Et iste duplex ductus signatur, Luc. XV, 12, de filio prodigo, qui dixit patri : *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*. Iste voluit id quod seipso contingere potuit : hoc enim contingere fuit seipsum. Unde, Glossa : Iste vult sua potestate uti, ut nullo formante, nullo regente vivat. *Et divi-*

[1] Alias *facilitates*.

sit illis substantiam, id est, bona sua. Glossa : Fidelibus suæ gratiæ protectionem quam desiderant impertiendo, infidelibus solum naturalis ingenii quo contenti erant beneficium concedendo.

Et sic patet qualiter anima rationalis gratiæ auxilio, super suum naturale posse elevatur in cognitione divinorum, videlicet ad primam veritatem et ad summam.

Et notandum, quod in hujusmodi elevatione anima non tantum naturalem terminum supergreditur, sed super se elevatur, et suæ perfectioni appropinquat meliorando, et renovatur, et hoc secundum potentias ipsius rationalis, ut talis est, sive sint apprehensivæ, sive motivæ, ut rationalis, vel irascibilis, et concupiscibilis. In rationabilibus enim et apprehensivis et motivis est imago Dei, et in his est renovatio per Jesum Christum. Apprehensivæ enim rationales habent dilectionem suam in homine, et in Deo homine, scilicet in Christo secundum utramque naturam.

Sed nota, quod veritas se habet per speculationem, sive cognitionem ad intellectum dupliciter. Aut scilicet ut sui præsentia removeat ignorantiam : et hoc modo se habet omnis veritas ad intellectum speculativum dum apprehenditur ab illo, et tunc delectatur ratio vel intellectus. Sic delectationem convenit esse in sciendo. Aut ut ipsius præsentia non tantum removeatur ignorantia, sed etiam nobilitetur et melioretur potentia ipsius veritatis præsentia, ut clare videat et aperte sine ænigmate, quod secundum se vel in se videri non posset. Hujusmodi veritas est divina veritas, cujus præsentia se ratio sentit perfici et meliorari, ex quo habet delectationem talem et tantam, qualem et quantam habere non posset ex præsentia et in præsentia alterius veritatis. Similiter autem in Christo natura humana ex unione ad divinam habet summum suum, ut scilicet sit tantum meliorata quantum potest, et in tantum quod etiam per illum hominem ducatur ad visionem divinitatis. Unde veritas talis apprehensa a virtute cognitiva, non tantum removet ignorantiam, sed etiam videt et sentit ut sit meliorata, et etiam per illum qui est ejusdem naturæ, ducitur ad visionem divinitatis. Et hoc est quod dicitur ad Corinthios : *Cum tradiderit regnum Deo Patri*[1], etc. Glossa : Cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei Patris, ubi est finis omnium, et requies sempiterna, et gaudium.

Sic ergo patet, quia anima rationalis secundum illas vires gaudet de visione deitatis tamquam de visione summi perficientis ipsam, et de visione Dei hominis, id est, Christi, tamquam de visione optimi et perfectissimi suæ naturæ, cujus influentia sic se meliorari videt et nobilitari, ut videat Deum : et visio ista, æterna vita est[2], in qua summa veritas et summa bonitas. Et sic reficit rationalem vim, quod ex toto eam decorabit et alliciet, ut nihil aliud quærat videre nisi ipsam aut propter ipsam : et ideo ibi erit continuatio visionis.

Item, Summum delectabile concupiscibile sic sua suavitate perfundet, ut nihil aliud amet aut quærat nisi ipsum aut propter ipsum : et ideo non erit fastidium.

Item, Summe arduum summa sua immobilitate irascibile roborabit et securabit, ut nihil tenere aut tractare quærat nisi ipsum aut propter ipsum : et ideo non est ibi fatigatio. Unde Augustinus in libro XXII de *Civitate Dei* : « Ego ero quæcumque ab hominibus honeste desiderantur. » Et infra : « Ipse erit finis nostrorum desideriorum qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur[3]. »

Ut autem ad hoc perveniat anima ra-

[1] I ad Corinth. xv, 24.

[2] Joan. xvii, 3 : *Hæc est vita æterna*, etc.

[3] S. Augustinus, Lib. XXII de Civitate Dei, cap. 30.

tionalis, oportet quod habitibus intermediis elevetur : in qua elevatione sunt gradus et ordines : quos ut plene cognoscas, nota quod est unum verum delectabile remotivum imperfectionis et indigentiæ, et hoc secundum ordinem causæ ad causatum. Item, in causato est imperfectio, et hoc respectu suæ causæ, et indigentia, scilicet regressibilitas in nihilum, nisi continuetur suum esse per suam causam : et hoc omnino potest cognosci : et Gentibus potest hoc contingere et cogitare in aliqua visione primæ veritatis. Dicit ergo Augustinus in libro IV de *Trinitate*: « Nonnulli sapientes mundi potuerunt aciem mentis ultra omnem creaturam transferre, et lucem incommutabilis veritatis quantumcumque ex parte contingere [1]. » Hoc autem videntes et cognoscentes possunt habere dilectionem. Et sic est delectatio in scientia : quia illa veritas illis apparet sicut lucens, et sic eam amant : et non apparet eis sicut purgans. Augustinus in libro X *Confessionum* : « Cur veritas parit odium, nisi quia sic amatur veritas, ut quicumque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem, et quiafal il nollent, nolunt convinci quod falsi sint ? Hi amant veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem [2] . » Ecce quod illa veritas multis modis potest apparere : et cum apparet eis sicut lucens, possunt cogitare, quod per eam perficiuntur imperfectiones naturales in causato, et removentur indigentiæ : et amant illam primam veritatem qui sic cognoscunt eam : et amor est naturalis inclinatio affectus ad illam veritatem sic cognitam. Sed amare non plus potest homo quam se extendit naturalis cognitio, et non potest operari sic ut attingat illam. Cujus duæ causæ sunt. Una, insufficientia naturæ institutæ : alia, imperfectio quæ provenit ex destitutione naturæ, scilicet miseria pœnalis ex culpa originali quoad reatum. Hunc autem defectum vel imperfectionem non cognoverunt Philosophi ignorantes hominem fuisse in duplici statu : et propter hoc miserias veras esse quæ contractæ sunt : nec illa veritate sic lucente hoc cognoscunt. Sed si viderent illam ut redarguentem, tunc cognoscerent illam pœnalitatem esse per causas a suo creatore. Appareret autem eis illa veritas si vellent credere.

Ex quo patet, quod Gentilis non est in via : nititur enim secundum se, et ex hoc non habet spem neque formatam neque informem. Si autem spes dicitur quæ non est veritas, sed confidentia ex consideratione liberalitatis divinæ, non dico misericordiæ, sic potest in fide infidelis habere spem, id est, confidentiam. Et hæc confidentia facit naturam niti quantum potest esse secundum se : sed hoc totum parum prodest.

De fideli autem aliter.

§ II.

Est autem status naturalis respectu fidelium.

Et sciendum, quod gratia sacramentalis in qua sunt omnes virtutes naturaliter, cum suscipitur, ut hujusmodi est introducens in vitam, et hæc removet impedimentum proveniens ex destitutione naturæ, et juvat ipsam et roborat et elevat et perducit. Hoc autem sufficit ut consecratus hac gratia collocetur in patria si decedat ante tempus liberi arbitrii determinatum ad operandum, et hic est status viæ.

In adultis vero est aliter : gratia enim sacramentalis semper stat cum gratia virtutum, vel quæ est virtus, quæ est ad operandum propter Deum : qua gratia si non operetur, cum debet operari homo, non habet nisi signum viæ et memoriale

[1] S. Augustinus, Lib. IV de Trinitate, cap. 17.

[2] Idem, Lib. X Confessionum, cap. 32.

aliquod, et deformantur virtutes in ea, et habet spem et fidem informem : quia si non operatur cum debet operari, et non impeditur aliunde vel simpliciter vel ad tempus, tunc peccat mortaliter, vel ex omissione, vel ex negligentia, vel ex aliquo alio : et sic est extra viam. Quia tamen habet signum vel memoriale viæ hujus, adhuc habet aliquam spem, sed per illam nullum gaudium habet, quia est valde remota a termino : quia illa est non ad obtinendum aliquem terminum : sed illa spes est idem quod non diffidentia de Dei misericordia. Hoc autem non potest habere Gentilis. Vel, illa spes est respectu misericordiæ ut iterum revocetur : quod iterum non potest habere Gentilis. Si autem operatur et est tamen in mortali peccato, in idem redit cum hoc qui non operatur. Sed si in veniali, non tamen hic est extra viam penitus, sed plus moratur in via, et a recta cadit in non rectam : sicut inter duos terminos et eosdem potest esse linea recta et curva, ut diameter et costa : sed diameter est brevior : unde rectum diffinitur, quod est inter terminos spatium brevissimum. Si autem sine peccato est, tunc habet spem formatam, ex qua oritur gaudium, licet non omnino plenum, quia non adhuc nisi in spe habetur præmium, quantum est de ipsis virtutibus, spe, fide, et charitate. Si autem superaddita fuerint dona ut amplior sit gratia, jam habetur pignus aliquod, secundum quod dicit Apostolus, II ad Corinth. I, 22 : *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Glossa, id est, dona quæ sunt pignus Spiritus sancti, quod est in nobis. Et talis sic se habens jam plus habet quam spem : quia jam habet quamdam similitudinem ejus per gratiam facientem deiformem. Et de tali dicitur in *Sententiis*, quod talem rem aliquatenus non solum jam spe, sed etiam re habet. Potest in via adhuc plus teneri a quibusdam qui jam habent aliquam prægustationem : et illi non habent tantummodo pignus, sed et arrham, secundum quod arrha est pars præmii. Sed illi etsi sint in via, non tamen hoc habent secundum statum viæ, sed ut sunt præter statum viæ. Augustinus in libro XII *super Genesim ad litteram* : « In illa specie qua Deus est, nemo eum videt vivens vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis [1]. » Sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, *sive in corpore, nescio, sive extra corpus* sit [2], cum in illam rapitur et subvehitur visionem. Hanc enim visionem mens ab omni corpore, et ab omni labe mundata, et a similitudine corporis alienata, et abrepta a corpore, habere potest.

§ III.

Collige igitur ex prædictis, et nota, quod tripliciter possunt distingui gradus quibus ascenditur ad videndum Deum. Primo, secundum ordinem actuum naturalem in se, sicut docet Augustinus in libro de *Quantitate animæ* [3], ponens gradum primum inter actus animæ vegetationem, qui communis est cum arbustis. Secundo, sensum, qui est in nobis communis brutis. In tertio, memoriam intelligibilem, quæ est communis doctis et indoctis, bonis et malis. Quartus gradus est elevare se supra se, et mundare oculum ab omni terrenitate. Quintus est ipsam custodire atque firmare puritatem. Sextus est serenum et

[1] S. Augustinus, Lib. XII super Genesim ad litteram, cap. 27.

[2] II ad Corinth. XII, 2.

[3] S. Augustinus, Lib. de Quantitate animæ, cap. 33.

rectum adspectum in id quod videndum est dirigere. Septimus gradus est non jam gradus, sed mansio et visio ipsa veritatis. Item eosdem gradus aliter nominat sic dicens : « Igitur ascendentibus sursum versus, primus actus animæ docendi causa dicatur animatio. Secundus, sensus. Tertius, ars. Quartus, virtus. Quintus, tranquillitas. Sextus, ingressio. Septimus, contemplatio [1]. » Possunt et hoc modo appellari : Primus, de corpore. Secundus, per corpus. Tertius, circa corpus. Quartus, ad seipsam. Quintus, in seipsam. Sextus, ad Deum. Septimus, apud Deum. Possunt et sic : Primus, pulchre de alio. Secundus, pulchre per aliud. Tertius, pulchre circa aliud. Quartus, pulchre ad pulchrum. Quintus, pulchre in pulchro. Sextus, pulchre ad pulchritudinem. Septimus, pulchre apud pulchritudinem. Sed ista videre ut videnda sunt, vere paucorum est : neque ad hoc quisque nisi vera religione fit idoneus. Est enim religio vera, qua se uni Deo anima, unde se peccato velut abruperat, reconciliatione religat.

Item, Distinguuntur isti gradus secundum statum potentiarum respectu objectorum, ut primus gradus sit visio in sensu secundum imaginationem, et hic utitur mundo tamquam speculo. Secundus gradus est in imaginatione secundum imaginationem : hic non mundo, sed mundi imagine utitur in speculo. Tertius gradus est visio in imagine secundum rationem, quando per visibilium similitudines ad invisibilia ratio deducitur. Quintus, in ratione secundum rationem, quando ex quibusdam cognitis ad aliqua cognita ratio ratiocinando progreditur. Sextus, supra rationem non præter rationem, quando per mentis sublevationem cernit quod naturæ metas transcendit, et ei quod per aciem intelligentiæ cernitur, natura rerum acquiescit. Septimus, supra rationem et contra rationem, et hic est speculatio fidei, quæ est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium [2]. Octavus est exstasis sive raptus, in qua Rachel, id est, actio moritur, et Benjamin, id est, perfectio contemplationis generatur. Omnes hi gradus distinguuntur secundum ordinem potentiarum, vel actuum respectu objectorum.

§ IV.

Secundo modo sunt gradus in hujusmodi elevatione animæ ad Deum, secundum majorem habituum gratuitorum perfectionem, animam super posse naturæ magis et magis elevantium, et Deo propinquius conjungentium. Inter quos primo gradu elevant gratiæ sacramentales, impedimenta culpæ et pœnæ removentes, et fomitem diminuentes, quæ animam trahunt deorsum. Secundo gradu sunt virtutes animam in esse gratuito perficientes primo, et per operationes in finem dirigentes. Tertio gradu sunt dona animam ad excellentiores actus gratuitos perficientes, et magis fini conjungentes. In quarto sunt fructus animam secundum possibilitatem viæ Deo conjunctam delectantes et reficientes. Ex his quatuor gradibus a latere currunt beatitudines circa subjectum, in quo sunt prædicti habitus, statum perfectionis secundum modum viæ complentes.

§ V.

Tertio modo est ordo in ista prædicta elevatione animæ ad Deum secundum diversitatem status subjecti quod eleva-

[1] S. Augustinus, Lib. de Quantitate animæ, cap. 35.

[2] Cf. ad Hebr. xi, 1 : *Est autem fides*, etc.

tur, et diversitatem medii per quod elevatur. Diversitas status subjecti quadruplex est. Eorum enim qui elevantur ad videndum Deum, alii sunt statu viæ, alii præter statum viæ, alii supra statum viæ et juxta statum patriæ, alii in statu patriæ.

Illi qui elevantur per modum viæ, vident *per speculum in ænigmate* [1], et faciunt quinque gradus. Primus gradus est videre per vestigium in creaturis. Secundus, per imaginem in anima. Tertius, fide informi. Quartus, fide formata. Quintus est gradus contemplantium.

Illi qui vident præter statum viæ, vident per speculum in lumine, et faciunt quatuor gradus. Primus est visio Prophetarum. Secundus, Moysi, de quo dicitur, quod *loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem*, non sicut in Prophetis, sed ore ad os, *sicut solet loqui homo ad amicum suum* [2]. Tertius est visio Joannis in pectore, de quo dicit Augustinus : « Transcendit omnem nebulam, qua omnis terra tegitur, et pervenit ad limpidum cœlum, scilicet deitatis claritatem. » Item, Augustinus : « Deitatis potentiam limpidius contemplans cæteris, cum Domino ad cœlum volans, cœlestis sapientiæ haustum de Dominici pectoris fonte limpidius cæteris potavit. » Quod intelligitur respectu Evangelistarum aliorum. Quartus gradus est visio animæ Adæ in statu innocentiæ, quæ fuit intellectus existens sine omni ænigmate, et sine impedimento, non tantum culpæ, sed pœnæ, et per potentiam animæ existentis in corpore quodammodo sine omni fomite, et ita naturæ non deterioratæ per peccatum. Et ideo est ultima in genere illo.

Illi qui vident supra modum viæ, vident sine speculo in lumine, et jam faciunt tres gradus. In primo est cognitio Adæ in sopore, de quo intelligitur illud Genesis, ii, 21 : *Immisit Dominus Deus soporem in Adam*. Glossa : Exstasis illa ad hoc immissa est, ut mens Adæ intrans in sanctuarium Dei, novissima intelligeret particeps angelicæ curiæ. Secundus gradus est raptus, sicut Paulus et Joannes in Apocalypsi viderunt. De visione Pauli dicitur in Glossa super epist. II ad Corinth. xii, 1 et seq., quod Apostolus vidit Deum in illa vita qua videndus est in æternum. Et item quod vidit sicut illi de tertia hierarchia et sine medio. De visione Joannis in *Prologo* super Apocalypsim : « Intellectualis visio est, quando Spiritu sancto intimante, aliquis concipit aliquid mysticum, sicut sanctus Joannes in hoc libro fecit : nam non realiter ista vidit, sed divino flamine inspirante convenientia signa passionum et designativa intellectui suo configuravit. Et ita visionem Joannis et Pauli ponimus in eodem gradu. Tertius gradus est in via cognitio beatæ Virginis, quæ omnes prædictas cognitiones tribus gradibus supergreditur. Primus est elevata puritas, qua excellit omnem viatorem. Secundus est medii improportionabilis quantitas, videlicet gratiæ plenitudo, quæ in ea tanta fuit, quod in pura creatura æqualis esse non potuit. Tertius est elevantis charitas, scilicet Dei, qui eam super omnem creaturam dilexit, et improportionabili charitate eam sibi sociavit : et ideo hæc visio ejus super omnem visionem viæ fuit propinquissima visioni patriæ, et tamen citra quantum ad actum.

Illi autem qui elevantur secundum statum patriæ, vident per speciem, et faciunt tres gradus. In primo gradu est visio hominum anima et corpore glorificatorum, de qua Augustinus : « Minime dubitandum est et raptam hominis a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsa carne deposita non sic videre posse Deum sicut vident Angeli [3]. » Angeli enim vident Deum absque omni corporali forma, sed a corpore separati.

[1] I ad Corinth. xiii, 12.

[2] Exod. xxxiii, 11.

[3] S. Augustinus, Lib. XII super Genesim ad litteram, cap. 35.

Cognitio autem animæ glorificatæ propter unionem animæ ad corpus est inferioris gradus. Et hoc intelligendum est secundum quod ordinatur natura ad naturam : secundum enim esse gratiæ habent se ut excellentia et excessa in hujusmodi elevatione. Secundus gradus est visio Angelorum. Tertius gradus visionis patriæ est visio gloriosæ Virginis matris Dei, quæ super omnes creaturas improportionabiliter et limpidissime et propinquissime contemplatur majestatem Dei, utpote super omnes choros Angelorum exaltata, et ideo tres hierarchias supergressa, in quarta a dextris cum Filio ejus, id est, in potioribus bonis collocata.

Super omnes visiones has est visio Domini nostri Jesu Christi, in qua possumus tres gradus assignare. Primus est visio Domini nostri Jesu Christi, quam habuit per comprehensoris gratiam qua inter omnes comprehensores perfectissime videt Deum, et omnia ad suam et suorum beatitudinem spectantia. Secundus gradus est per gratiam unionis, qua adhuc cognoscit excellentius anima Christi naturam divinam sibi unitam, et omnia ad mysterium unionis et incarnationis spectantia. Ultimus est visio Domini nostri Jesu Christi, quæ debetur ei ratione divinitatis, quæ est eadem quæ est visio totius Trinitatis, respectu cujus omnes prædictæ cognitiones et visiones sunt imperfectæ, sicut creatura respectu creatricis essentiæ. Et respectu hujusmodi dicit Gregorius, quod « essentia Dei a nullo videbatur plene ». Et Isidorus, quod « Trinitas sibi soli nota est et homini assumpto ».

RESPONSIO AD PRÆCEDENTES QUÆSTIONES DE VIRTUTIBUS.

§ I.

Responsio ad Quæstionem XLIV de fide.

Nunc igitur revertamur ad cognitionem beatissimæ Virginis, propter quam sunt hæc omnia introducta.

Concedimus igitur, quod beatissima Virgo omnem modum cognoscendi et cognitionem quam aliqua creatura habuit in via, tribus, ut dictum est, gradibus, supergressa est. Et præter hoc excellit alias tripliciter cognitiones viatorum, in cognitionis perfectione, in habitus possessione, in modo cognoscendi cum quiete et sine abstractione, qualis est in raptu. Perfectio enim cognitionis major debetur ei ratione majoris elevationis per habitus nobiliores et excellentiores. Habitus possessionem dico : quia talis habitus est actus qualem habuit Paulus in raptu ad tempus, et post statim non habuit, sed habitus cum actu cessavit. Talis, inquam, generis habitum, sed perfectiorem beatissima Virgo semper et continuo habuit, ab eo tempore quo primum mater Dei facta fuit, usque dum idem habitus in gloriosam cognitionem secundum statum patriæ perfectus fuit : et ita continuatio possessionis debebatur ei ratione perfectionis majoris, qua huic vitæ super omnes viatores funditus mortua fuit, et vita peccati exstincto fomite irresuscitabiliter mortua fuit : propter quod vita ejus cum Christo in Deo abscondita semper fuit, et curiæ Angelicæ præsens, intra sanctuarium Dei habitavit. Modus etiam cognoscendi non fuit per modum abstractionis, vel stuporis, vel exstasis, vel soporis. Hæc autem contingunt propter excellentiam et improportionabilitatem luminis ad intellectum

illuminabilem, ut patet per simile in corporali lumine et transfiguratione Domini [1], quando ostendit eis claritatem simillimam claritati gloriæ. Dicitur enim, quod Petrus et qui cum eo erant, gravati erant somno, ita ut videre non possent. Unde Domino Petrus dixit : *Bonum est nos hic esse,... nesciens quid diceret. Stupor enim circumdederat eum* [2]. Simili modo in lumine spirituali est. Unde Paulus excellentiori visione stupefactus dicit : *Sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit* [3]. Hunc autem stuporem beatissima Virgo non habuit, cujus intellectus deiformior illi luci proportionabilior fuit. Unde sicut eadem lux quæ est ægris oculis odiosa, sanis oculis est amabilis, per eamdem etiam lucem clari oculi perfectius vident et sine perturbatione, ægri autem minus perfecte et cum perturbatione : ita spiritualis lux quæ oculis Pauli fuit improportionabilis, et ideo raptum fecit cum stupore. Talis autem lux oculis beatissimæ Virginis fuit proportionabilis sine stupore cum delectatione : et hoc debebatur ei ratione puritatis et munditiæ, qua super Paulum et omnes viatores nitebat et improportionabiliter et excellenter.

Concedimus igitur, quod in beatissima Virgine fuit habitus fidei. Et possunt duo habitus esse simul : unus ad minus perfectum actum, alter ad magis perfectum : sicut et actus qui est in raptu, potest esse cum habitu fidei, sed non e converso fidei actus cum habitu raptus. Unde quamdiu est in potentia habitus fidei, tamdiu est aliquid de obscuritate, et non ita plene depurata sicut in statu comphensorum, est tamen illi depurationi simillima quæ est in patria quando potentia omnino erit deiformis.

Ex quo patet solutio eorum quæ de de fide beatissimæ Virginis sunt objecta.

§ II.

Responsio ad Quæstiones XLV, XLVI, XLVII, XLVIII et XLIX de spe et charitate.

Ad ea quæ de ipsius charitate sunt objecta, responsuri prænotamus, similiter et ad ea quæ de spe sunt objecta, quod tria exiguntur ad hoc quod charitas viatoris perficiatur ad hoc ut transeat in charitatem comprehensorum in subjecto charitatis. Primum est depuratio, secundum est in se collectio, tertium est elevatio. Primum igitur oportet, quod fiat separatio a contrariis dispositionibus in subjecto, quæ impediunt per contrarias inclinationes habitus charitatis perfectionem. Sunt autem tria a quibus oportet purgari et segregari, videlicet culpa, pœna, et corpulentia. Per omnia ista tria impeditur perfectio charitatis in viatoribus in statu isto. Per secundum statum impediebantur patres in limbo. Per tertium tantum Adam in paradiso. Et de his tribus dicitur in libro Sapientiæ, IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam* : et corpus corpulentiam, corruptio culpam, aggravatio pœnam. Nec obstat, quod in Domino Jesu fuit fruitio, ubi tamen corpulentia et pœna fuit : quia unio ad divinam naturam vicit et abstulit hæc impedimenta.

Secundum quod exigitur ad charitatis perfectionem, est subjecti in se collectio, per quod tria etiam ponuntur impedimenta. Anima enim secundum quod natura est quædam forma corporis naturalis et ligatur ad corporalium imagines et species, obligatur ad diversas corporis passiones, et dividitur in diversas operationes. De ligatione ad corporalium ima-

[1] Cf. Matth. XVII, 1 et seq.; Marc. IX, 1 et seq.; Luc. IX, 28 et seq.

[2] Luc. IX, 33 et v, 9.

[3] II ad Corinth. XII, 2.

gines, Augustinus in libro X de *Trinitate* : « Tanta vis amoris est ut ea quæ mens cum amore diu cogitaverit, eisque curæ glutino inhæserit, attrahit secum etiam cum ad se cogitandam quodammodo redit [1]. » Et infra : « Errat autem mens cum se istis imaginibus tanto amore conjungit, ut etiam se esse aliquid hujusmodi existimet [2]. » Post hoc dicit, quod fuerunt ex hoc diversi errores Philosophorum et aliorum ponentium eam ignem esse, alii atomos, et sic de aliis [3]. Et ibi subjungitur sic : « Hinc ei oboritur erroris dedecus, dum rerum sensibilium imagines secernere a se non potest, ut se solam videat. Cohæserunt enim mirabiliter glutino amoris, et hæc est ejus immunditia, quoniam dum solam se nititur cogitare, hoc se putat esse sine quo se non potest cogitare. Cum igitur ei præcipitur, ut seipsam cognoscat, non se tamquam sibi detracta sit quærat, sed id quod sibi addidit detrahat [4] ». Hæc est prima collectio, scilicet ab imaginibus corporalibus detractio.

De obligatione ad corporis passiones, Augustinus in libro de *Spiritu et anima* : « Quibusdam affectibus et quadam amicitia anima corpori conjungitur, secundum quam amicitiam nemo umquam carnem suam odio habuit. Sociata namque illi, licet ejus societate prægravetur, ineffabili tamen conditione diligit illud, amat carcerem suum, et ideo libera esse non potest. Doloribus ejus vehementer afficitur. Formidat interitum, quæ mori non potest. Timet defectum, quæ per naturam non potest deficere. Oculorum speculatione depascitur, sonorum delectatur auditibus, suavissimis jucundatur odoribus, larga epulatione reficitur. Et licet his rebus nullatenus ipsa utatur, gravi tamen mœrore affligitur si subtrahantur [5] ».

Tertium impedimentum est divisio ad operationes, de qua Augustinus in libro de *Spiritu et anima* : « Anima secundum sui operis officium variis nuncupatur nominibus. Dicitur enim anima, dum vegetat : spiritus, dum contemplatur : sensus, dum sentit : animus, dum sapit : dum intelligit, mens : dum discernit, ratio : dum recordatur, memoria : dum vult, voluntas [6]. » Ab istis ergo tribus colligitur anima in seipsam, per imaginationum corporalium abstractionem, per passionum corporis cessationem, per operationum unionem. De unione actuum dicit Augustinus : « Sensus vertitur in imaginationem, imaginatio in rationem, ratio in intellectum, intellectus in intelligentiam, intelligentia in Deum. » De abstractione a passionibus, Augustinus in libro *Soliloquiorum* : « Dum in hoc corpore est anima, etiamsi plenissime videat, hoc est, intelligat Deum, tamen quia etiam corporis sensus utuntur opere proprio, si nihil quidem valent ad fallendum, non tamen nihil ad ambigendum [7]. » Et potest adhuc dici fides ea qua iis resistitur, et illud potius verum esse creditur. Item, quia in ista vita quamquam Deo intellecto anima jam beata sit, tamen quia multas molestias corporis sustinet, sperandum est ei post mortem omnia ista incommoda non futura. Ergo nec spes dum in hac vita est, animam deserit. Sed cum post hanc vitam totam se in Deum collegerit, charitas restat qua ibi teneatur. Item, Augustinus in libro de *Spiritu et anima* : « Bonum animæ est Deus, cum effluentia dulcedinis suæ. Bonum carnis est mundus, cum animæ jucunditate. Sed mundus iste est exterior, Deus autem interior. Nihil enim est Deo interius, nihil eo præsentius. Interior est omni re, quia in ipso sunt omnia : exterior est omni re, quia ipse est super omnia. Ab hoc ergo mundo ad Deum revertentes, et quasi ab

[1] S. Augustinus, Lib. X de Trinitate, cap. 5.
[2] Idem, Ibidem, cap. 6.
[3] Idem, Ibidem, cap. 7.
[4] Idem, Ibidem, cap. 8.
[5] Idem, Lib. de Spiritu et anima, cap. 14.
[6] Idem, Ibid., cap. 13.
[7] Idem, Lib. I Soliloquiorum, cap. 7.

imo sursum ascendentes per nosmetipsos transire debemus. Ascendere enim ad Deum, est intrare ad seipsum, et non solum ad se intrare, sed ineffabili quodam modo introitus in intimis seipsum transire. Qui enim interius intrans et intrinsecus penetrans seipsum transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit. Ab hujus ergo mundi distractionibus cor nostrum colligamus, et ad interiora gaudia revocemus. Et si cor nostrum tenere non possumus, saltem ab illicitis et vanis cogitationibus restringamus, ut aliquando in divinæ contemplationis lumine nos figere valeamus. Hæc est enim requies cordis nostri cum in Dei amore per desiderium figitur. Hæc est vita cordis nostri, cum Deum suum contemplatur, et ipsa sua contemplatione suaviter reficitur. Et dulce est illi semper ad considerandum quod ad amandum et laudandum semper est suave. Nihil enim ad beatam vitam præstantius videtur, quam velut clausis carnalibus sensibus extra carnem mundique affectum quempiam inter semetipsum converti, alienumque effectum a mortalium cupiditatibus sibi soli et Deo loqui [1]. » De ista triplici collectione simul, scilicet actuum et affectuum, Augustinus in libro de *Quantitate animæ* : « Purgatur mens a peccati colluvione, ab errorum obtenebratione, a rerum phantastica imaginatione, a rerum naturalium fallaci proportione, a rerum temporalium vana delectatione. »

Tertium quod exigitur ad charitatis perfectionem est elevatio, quæ fit per tria : fit enim natura conante, gratia sublevante, Deo attrahente. De conamine naturæ dictum est supra de Zachæo, qui statura pusillus erat : et de sublevatione in Deum, quia ascendit in arborem [2]. Sed quia non sufficit ad conjunctionem, quæ est in charitatis perfectione, nec conatus naturæ, nec sublevatio gratiæ sine divinitatis attractione, ideo clamat sponsa : *Trahe me post te* [3], etc. Et Dominus in Evangelio : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* [4], etc. Ad conamen naturæ disponunt antecedentes miseriarum præsentium stimulationes, propriæ defectibilitatis cognitio, et summæ perfectionis naturalis appetitio. Ad istam elevationem disponunt antecedentes inchoative gratiæ sacramentales et virtutes : gratiæ sanando a malo culpæ et pœnæ, virtutes adjiciendo in bonum. Progressive dona et fructus, dona ad excellentiores actus adjuvando, fructus laborantes reficiendo. Completive autem secundum statum viæ beatitudines, secundum statum patriæ dotes.

De attractione nota, quod tanto in naturalibus major est motus, quanto major sit appropinquatio ad finem suum. Et non est sola appropinquatio causa augmenti, sed etiam similitudo et convenientia ad suum ubi. Verbi gratia, ut quanto magis movetur lapis deorsum, tanto magis intenditur suus motus, et similiter ignis sursum. Et ita in naturalibus motus naturalis sufficit mutare comparationem mobilis ad suum ubi, et per hoc solum fit propinquus. Sed in voluntariis motus non sufficit mutare situm ipsius virtutis naturalis ad suum ubi quod est Deus. Et hoc est, quia in naturalibus est tantum ubi, ita quod ubi est motor tantum : sed in voluntariis ipsum ubi est motor et cooperator, et ita per id ad quod motus est, et quod movet per ipsum, habet motus quod fit appropinquatio. Est autem ipsius appropinquationis terminus perfecta conformitas voluntatis divinæ et humanæ deiformis effective.

Ad hanc attractionem et appropinquationem et conformitatem tria specialiter disponunt et antecedunt in via, opera instructionis vel ædificationis, opera patientiæ et passionis, opera supererogationis-

[1] S. Augustinus, lib. de Spiritu et anima, cap. 14.
[2] Cf. Luc. IX, 2 et 4.

[3] Cant. i, 3.
[4] Joan. vi, 44.

tionis. De operibus instructionis, Augustinus : « Lex hæc est divinæ providentiæ, ut nemo nisi a superioribus adjuvetur ad cognoscendum et participandum gratiam. » Unde et in Joanne legitur de Caipha, quod *cum esset pontifex anni illius, prophetavit* [1]. In quo Dominus ostendit, quod etiam malis ratione prælationis ad utilitatem aliorum tribuit dona. Unde de Saule legitur, quod post unctionem, *insiluit super regem spiritus Domini, et prophetavit* [2]. De operibus patientiæ et passionis dicit Apostolus : *Nam virtus in infirmitate perficitur* [3]. Quod etiam figuratur in Job, qui post perfectam victoriam per patientiam suam omnia bona recepit duplicia [4]. De operationibus supererogationis, Marc. x, 29 et 30 : *Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit*, etc., *qui non accipiat centies tantum*, etc., *et in sæculo futuro vitam æternam*. Consistit igitur ista perfectio charitatis transeuntis de statu viæ in statum patriæ in plena depuratione, et omnimoda collectione, et perfectissima elevatione.

Patet igitur, quod perfectio charitatis de statu viæ in statum patriæ transmutandæ fit sine substantiali additione per perfectam sui in se collectionem, per actus extensionem, per actus et habitus meliorationem et nobilitatem, et per summam cum summo bono conjunctionem. Unde credimus, quod sicut corpus glorificatur suo modo, ita anima glorificatur suo modo. Manifestum est autem, quod corpus glorificatur per depurationem et elevationem et nobilitatem sine extrinseca adjectione. Corpus enim constitutum ex quatuor elementis et ex quinta essentia, secundum duos ordinatur status, statum scilicet corruptionis, et statum incorruptionis. Cum enim quatuor elementa sunt corporalia secundum partes, et quinta essentia sit incorporabilis, quamdiu in humano corpore dominantur et operantur qualitates elementales, et sunt activæ et formales, et secundum eas regitur et administratur corpus, proprietates quintæ essentiæ sunt sopitæ quasi sine actione. Necesse est ergo corpus subjacere pœnalitati, passibilitati, corruptioni, et tandem dissolvi, propter continuam pugnam contrariorum ad invicem repugnantium : quorum tandem necesse est alterum vincere super alterum, et sic alterum expelli, et harmoniam destrui, et animam separari, et corpus dissolvi, juxta illud Philosophi : « Egrediente anima corpus exspirat et marcescit. » Cum autem natura semper intendat sui continuationem, et sui esse perpetuationem, et sublimationem, in quantum potest, inconveniens esset, quod in corpore composito ex natura incorporali, ut ex natura lucis, et naturalibus corruptibilibus, ut sunt elementa, semper essent formales et activæ proprietates naturam minus nobilium et corruptibilium, et numquam regularetur et administraretur corpus secundum naturam incorruptibilem et meliorem. Ergo necessario erit transitus de proprietatibus naturarum corruptibilium ad proprietatem naturæ incorruptibilis et de actionibus naturarum corruptibilium ad actionem naturæ incorruptibilis. Hoc autem fit cum corruptibile hoc induerit incorruptionem. In quo quidem statu remanebunt elementa secundum substantias suas sopitas cessantes ab actionibus materialibus secundum naturam corporis quinti dominio existente et omnes exercente actiones. Et sic naturæ prius agentes, modo sopiuntur, et prius sopitæ, modo omnes operationes in corpore operantur.

Simili modo glorificatio animæ videtur fieri per hunc modum. Cum enim modo anima habeat operationes quasdam secundum proprietates naturales acquisi-

[1] Joan. xi, 51.
[2] I Regum, x, 10.
[3] II ad Corinth. xii, 9.
[4] Job, xlii, 12.

tas, et quasdam secundum proprietates gratuitas, et operationes quæ fiunt secundum qualitates naturales, fortes et evidentes sunt et frequentes, operationes gratuitæ debiles et raræ et exiles et immanifestæ : inconveniens autem est, quod substantia rationalis habens operationes magis et minus nobiles, semper exerceat minus nobiles cum evidentia et excellentia et frequentia, et numquam exerceat magis nobiles cum evidentia et excellentia : ergo necessario erit alter status animæ, quo operationes nobiliores erunt excellentes et evidentes et animam perficientes, proprietates autem naturales sopitæ et materiales et sine actione : hoc autem erit quando neque esurient neque sitient amplius, quantum ad nutritivam : quando neque nubent neque nubentur, quantum ad generativam : et sensus vertetur in imaginationem, et imaginatio in rationem, ut dictum est supra, quantum ad opera sensitiva : et sic in statu illo tantum erit anima secundum potentias operativas in Deum conversivas per actiones qualitatibus gratuitis informatas : et hæc est glorificatio animæ secundum se. Cum autem et ipsæ proprietates gratuitæ sive qualitates quædam sunt imperfectæ, quædam cum imperfectis conjunctæ : nec posset esse plene perfectum quod in se est imperfectum vel imperfectioni conjunctum, cum proprietates istæ fiant summa animæ perfectio, necesse est imperfectum evacuari, et perfectum ab ipso separari : sola autem charitas perfecta est, quæ *est vinculum perfectionis* [1] : ergo necesse est omnes alias virtutes evacuari vel sopiri ab actionibus, solam autem charitatem dominari, et exercere omnes operationes. Et tunc implebitur plene quod præceptum est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* [2]. Quod tunc implebitur quando omnis habitus naturalis cessabit quantum ad actum, et omnis alterius virtutis habitus erit sopitus quantum ad actum, et anima cum suo esse tota nobilissimo habitu implebitur, et nihil nisi charitas in anima ad actum egredietur, cum omnia prætereunt præter amare Deum. Tunc fiet quod scriptum est : *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur* [3]. Ipsa enim scientia materia est affectionis, et via in delectationem. Unde actus scientiæ secundum quod est motus ad affectionem, destruetur, sola charitate totum occupante. Et hæc est glorificatio charitatis quæ glorificatam generat lætitiam, de qua dicit Petrus : *Credentes autem exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata : reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum* [4].

Ex prædictis igitur collige, quod sicut glorificatio corporis fit sine extrinseca adjectione, ita glorificatio charitatis fit sine extrinseca adjectione, et quod eadem substantia charitas viæ et charitas patriæ.

Sicut igitur charitas beatissimæ Virginis modo in statu patriæ major est charitate omnis puræ creaturæ, et quantum ad substantiam, et quantum ad actum : ita et eadem charitas in statu viæ major fuit omni charitate puræ creaturæ secundum substantiam, sed non quantum ad actum. Fuit enim charitas beatissimæ Virginis major omnium Angelorum charitate quantum ad substantiam, sed non quantum ad actum : minor autem fuit quantum ad actum charitate minimi Angeli. Quod autem major in substantia, minor est in actu, hoc facit subjecti conditio, contrarii conjunctio, minor motoris attractio, quæ tamen attractio semper in actu esset, si ex parte attrahibilis vel gratia sui vel adjuncti non staret. Hoc autem intelligimus, quod si Deus Angelum de novo crearet, et ei il-

[1] Ad Coloss. iii, 14.

[2] Deuter. vi, 5 ; Matth. xxii, 37 ; Marc. xii, 30 ; Luc. x, 27.

[3] I ad Corinth. xiii, 8.

[4] I Petri, i, 8 et 9.

lam charitatem quam beatissima Virgo in via habuit, infunderet, ille Angelus tantum Deum diligeret, quantum beatissima Virgo modo in patria diligit.

Nota etiam, quod licet charitas beatissimæ Virginis minor fuit charitate alicujus Angeli quantum ad actum, major tamen fuit quantum ad substantiam vel effectum : charitas enim Angeli non est in statu merendi quantum ad præmium subtantiale : quilibet autem actus charitatis in beatissima Virgine fuit meritorius vitæ æternæ, et beatitudinis beatitudinem Angelorum transcendentis.

Etiam habuit beatissima Virgo charitatem ad proximum sicut ad Deum, ut patuit in opponendo, et hoc non tantum quantum ad actum interiorem, sed quantum ad operis exhibitionem, ita quod maxima fuit in effectu. Nec obstat quod dicitur, quod animam suam pro proximo non posuit : nam imo animam Filii sui et ipsum Filium suum pro proximo posuit, quem plus quam propriam animam dilexit : et propriam animam, si necesse fuisset, obtulisset passioni propria voluntate, et eam in passione Filii crucifixit cum Filio, et sic duas animas obtulit, sicque effectum dilectionis duplicavit. Et hoc est quod dicitur : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* [1].

Credimus etiam sine præjudicio melioris sententiæ beatam Virginem in conceptione Filii Dei, charitatem Filii talem et tantam accepisse, qualis et quanta percipi poterat a pura creatura in statu viæ, et nobilioris conditionis quam charitas quæ in summo augmento secundum statum viæ augmentabilis et possibilis ad illam.

Concedimus etiam, quod beatissima Virgo habuit statum medium inter statum simplicis comprehensoris, scilicet statum secundum quem fuit simplex viatrix et simplex comprehendens.

[1] Luc. II, 35.

§ III.

Responsio ad Quæstiones L, LI, etc., de virtutibus cardinalibus.

De virtutibus cardinalibus dicimus, quod habuit eas per modum patriæ et secundum statum viæ : sed per modum patriæ quantum ad actuum perfectionem, per modum viæ quantum ad merendi conditionem, et ita habuit eas medio modo inter comprehensores et viatores, medio modo per participationem, talem, inquam, participationem, quod accepit meliorem partem ab utroque extremorum. Comprehensores habent virtutes has secundum actuum perfectionem, sed præter merendi conditionem : viatores autem cum merendi conditione, sed cum actuum imperfectione : ipsa autem habuit has cum actuum perfectione sicut comprehensores, et cum merendi conditione sicut viatores : unde habuit has excellentius viatoribus quantum ad actum, et comprehensoribus quantum ad effectum.

Unde concedimus omnes objectiones ad hoc inductas.

§ IV.

Responsio ad Quæstiones LX et LXI, de modestia.

Ad hoc quod ultimo objectum est de modestia animi et vestium cultu, distinguentes respondendo dicimus, quod habitus secundum qualitatem tripliciter distinguitur. Est enim habitus triplex, habitus vanitatis, habitus mediocritatis, et habitus humilitatis. De primo loquuntur primæ auctoritates. Secundus habitus

pertinet ad modestiam temperantiæ secundum communem statum, ad quam tenentur omnes boni et imperfecti : omnes enim tenentur habere habitum mediocrem. Tertius est humilitatis habitus et est perfectorum, qui dicitur *humilitatis habitus*, et habet similiter sua extrema et suum medium : potest enim esse parum humilis, vel nimis humilis, vel mediocriter humilis. Dicimus autem, quod habitus beatissimæ Virginis fuit habitus humilitatis, sed in medietate, id est, mediocriter humilis : et in sensu illo loquitur beatus Hieronymus cum dicit, quod « ornatus vestium, etc. » Idem etiam credimus de vestitu Domini et aliorum sanctorum.

Sed quæritur, qualiter beatissima Virgo alios viatores ista mediocritate excellere potuerit, cum de quocumque panno vestes habuerit, alii de eodem vestiri potuerunt ?

Ad hoc dicendum secundum Philosophum, quod circa particularia in hujusmodi ars medium determinare nescit. Descendentem enim ad individua jubet Plato quiescere : singularia enim sunt infinita, nec eorum oportet posse fieri disciplinam : in hujusmodi enim gratia potentior est arte. Dicimus igitur, quod beatissima Virgo alios in hoc excellit in cultu, quod super artem per unctionem Spiritus sancti scivit præcise mediocritatem in habitu humilitatis observare.

QUÆSTIO LXII.

Qualiter septiformis plenitudo gratiæ per septiformia dona distributa in ista plenitudine sit contenta ?

Post hoc quæritur de donis, qualiter septiformis plenitudo gratiæ per septiformium donorum distributa in ista plenitudine sit contenta ?

Et videtur, quod similiter secundum excellentiam, sicut dictum est de virtutibus, et hoc hac ratione :

1. Sicut se habet virtus ad virtutem, ita se habet donum ad donum : sed virtus in beatissima Virgine excellit omnes virtutes viatoris : ergo et dona.

2. Item, Quidquid superius est superiore, superius est et inferiore : sed virtutes beatissimæ Virginis excellunt omnes virtutes viatorum, et dona excellunt virtutes in suis actibus : ergo beatissimæ Virginis dona excellunt omnes viatores.

3. Item, In hierarchia cœlesti supremus ordo est Seraphim, et qui excellit charitate quæ est excellentissimum donum, excellit in omnibus aliis donis : ergo in ecclesiastica hierarchia erit sic : sed beatissima Virgo excellit omnem creaturam in charitate : ergo in aliis donis.

4. Item, Dicit beatus Gregorius, quod sapientia opponitur stultitiæ sive insipientiæ, scientiæ luxuria, intellectui gula, timori superbia, fortitudini acedia, pietati avaritia. Item, Matth. XII, 45 : *Assumit septem alios spiritus secum nequiores se.* Super quo dicitur, quod intellectui opponitur hebetudo, consilio temeritas, præcipitium fortitudini, remissio timori, scientiæ ignorantia.

Ex his patet, quod dona in viatoribus communiter sunt in permixtione ad contraria, et ideo cum pugna : in beatissima Virgine non sunt passibilia cum pugna ad contraria : ergo sunt in ea secundum modum qui est supra statum viatorum [1].

QUÆSTIO LXIII.

Utrum fuerit sapientia in B. Virgine?

Post hoc quæritur de sapientia in speciali.

1. Proverb. xi, 2 : *Ubi est humilitas, ibi et sapientia.* Hæc propositio est per se in theologia : ergo ubi major humilitas, ibi major est sapientia : ubi summa, ibi summa. Sed in beatissima Virgine improportionabilis fuit humilitas : ergo improportionabilis sapientia. Minor patet in Evangelio, ubi dicitur : *Qui se humiliat, exaltabitur* [2]. Quæ similiter est per se : ergo qui improportionabiliter aliis exaltatur, etiam aliis improportionabiliter demonstratur humilis : sed beatissima Virgo super omnes choros Angelorum in quartam hierarchiam secundum Hieronymum exaltata, improportionabiliter aliis ascendit : ergo omnium hominum et Angelorum humillima fuit : ergo et omnes in sapientia transcendit.

2. Item, Sapientia est quidam gustus spiritualis primæ veritatis per modum summæ bonitatis. In gustu autem tria sunt consideranda, ut dicit Philosophus. Primum, quod gustus est quidam tactus. Item, in gustu est discretio gustabilium. Item, ibi delectatio quædam ex conjunctione gustabilis cum gustante. Et sic tria sunt in gustu, immediata conjunctio, discretio, et delectatio. Sed in his omnibus excellit beatissima Virgo gratia doni omnes viatores : ergo in sapientia excellit omnes viatores. Quod autem in tactu sive immediata conjunctione excellit omnes viatores, patet : quia illa conjunctio est per charitatem : ergo ubi major et inseparabilior dilectio, ibi propinquior et indissolubilior et immediatior est conjunctio. Item, *Incorruptio facit esse proximum Deo* [3] : ergo ubi summa incorruptio, ibi summa conjunctio et proxima. Hæc autem omnia fuerunt in beatissima Virgine super omnes viatores. Ergo in tactu et immediata conjunctione excellit omnes viatores. Item, quod in discretione excellat, patet. Discretio gustantium fallitur duobus modis. Uno modo ex parte gustabilis propter saporem, vel gustabilium commixtionem, vel similationem. Alio modo propter gustativi organi discursivam infectionem. Et hæc deceptio non tantum contingit in corporali, sed etiam in spirituali ex parte gustabilis, ut quando transfigurat se Angelus satanæ in Angelum lucis, et quando affectio naturalis videtur esse spiritualis, vel e converso, tunc saporum est commixtio sive confusio, et generat deceptionem in gustante.

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXIX.

[2] Luc. xiv, 11 et xviii, 14.

[3] Sapient. vi, 20.

Ex parte autem gustativi, ut quando gustus spiritualis est infectus contraria delectatione, vel ad minus fomitis corruptione, quæ sensum spiritualis delectationis impediunt et saporem diminuunt et discretionem pervertunt, ut dicat *malum bonum, et bonum malum, ponens tenebras lucem, et lucem tenebras* [1]. Hic est enim *animalis homo, qui non percipit ea quæ sunt spiritus Dei* [2], cujus Deus venter est, et esse sub sensibus delicias computat, manna fastidiens quod venit de cœlo, murmurat pro panibus et alliis et cepe in Ægypto, ut patet de populo Israel [3]. Hæc autem deceptio vel decipiendi potestas licet secundum magis et minus est in omni viatore, fomitis corruptione aliquo modo remanente : sed hæc tamen deceptio sive decipiendi possibilitas nullo modo fuit in beatissima Virgine, quæ per omnia astutias diaboli non ignoravit, et semper ut Virgo prudentissima reprobavit malum, et elegit bonum sine errore, cujus palatum spirituale a corruptione fomitis sanum et purum fuit et spirituali dulcedine plenum : nihil enim nisi Deum et propter Deum gustavit : et sic gustus ejus spiritualis falli non potuit : ergo in discretione gustus spiritualis omnes viatores excellit. Item, quod in delectatione quæ est in gustu spirituali, omnes excellat, patet. Dicit enim beatus Gregorius super Job, quod « sapientia est donum reficiens spe et certitudine » : sed spes et certitudo beatæ Virginis est omnibus viatoribus improportionabilis : ergo ejus refectio est improportionabilis, et inæqualis.

3. Item, Inter esurire et esse saturatum medium est comedere : sed unum extremorum, scilicet esurire et sitire justitiam, proprium est viatorum : saturatum esse proprium est comprehensorum : ergo comedere proprie pertinet ad statum medium : sed illum tenet beatissima Virgo : ergo videtur, quod ejus prægustatio sit per modum comestionis inter famem et saturitatem [4].

QUÆSTIO LXIV.

Qualiter donum intellectus fuerit in B. Virgine?

Post hæc quæritur de dono intellectus, qualiter fuit in Virgine beatissima?

Et videtur, quod similiter medio modo inter viatores et comprehensores :

1. Cum enim donum intellectus sit cognoscere Deum expresse in sua imagine, et inter cognoscere Deum per imaginem et sine lumine cum fidei obscuritate, et cognoscere lumen increatum increato lumine sine imagine, medium sit cognoscere in lumine creato sine imagine, sicut unum extremorum convenit puris viatoribus et alterum comprehensoribus convenit, ita medium ad statum medium pertinebit.

2. Item, Inter cognoscere creatum per

[1] Isa. v, 20.

[2] I ad Corinth. II, 14.

[3] Cf. Numer. XI, 4 et seq.

[4] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXIX.

creatum, et cognoscere increatum per increatum, vel e converso : sed tria istorum dividentium reperiuntur, et nihil est vacuum : ergo reperietur et quartum. Puri viatores vident Deum increatum per creatum, id est, per fidem : unde Isa. VI, 1 : *Ea quæ sub ipso erant replebant templum*, etc. Glossa Gregorii : « Cum mens in contemplatione proficit, non id quod ipse est, sed quod sub ipso est, conspicit : *Deum* enim *nemo vidit umquam* [1]. Hæc est cognitio viatoris. » Comprehensores autem vident Deum increatum per seipsum : vident etiam creatum per increatum, creaturas scilicet in Deo et per Deum, juxta illud : *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* [2], id est, Deum, et omnia cognoscam in se sicut ipse me cognoscit in se. Ergo cum unum mediorum reperiatur inter hæc extrema, reperietur et reliquum, videlicet videre increatum per lumen creatum. Sed cognitio media pertinet ad statum medium : status autem medius pertinet ad beatissimam Virginem : ergo cognitio beatissimæ Virginis erit talis, quod cognoscet lumen increatum, non quidem per speciem et imaginem, sed per lumen creatum. Et sic cognoscit increatum per creatum, et illud lumen non erit medium sicut speculum et vestigium vel imago, vel sicut signum est medium inter apprehensivum et signatum, sed sicut lumen solis est medium conjungens visibile ad visum [3].

QUÆSTIO LXV.

Qualiter donum consilii fuerit in ipsa?

Post hæc quæritur de dono consilii, qualiter et ipsum fuerit in beata Virgine? quod et similiter excellentius videtur per hunc modum :

1. Joan, II, 20 : *Vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia :* sed beata Virgo omnibus aliis improportionabiliter plus habuit unctionis : ergo improportionabiliter plus instructionis interioris : ergo donum consilii habuit aliis improportionabiliter, etc.

2. Item, Joan. XVI, 13 : *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* : sed beatissimæ Virgini Spiritus sanctus venit improportionabiliter et omnem veritatem docuit, juxta id, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi* [4], etc. Ergo improportionabiliter præ aliis docuit eam omnem veritatem.

3. Item, Dominus in Evangelio : *Jam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos* [5], etc. Ergo revelatio secretorum effectus est dilectionis : sed in beatissima Virgine improportionabilis fuit dilectio respectu omnium : ergo improportionabilis revelatio secretorum respectu cunctorum fuit : ergo, etc.

4. Item, Si omnium secretissimum, incarnationis scilicet mysterium, ipsi soli revelavit ad plenum : ergo et nullum

[1] Joan. I, 18.
[2] I ad Corinth. XIII, 12.
[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXIX.
[4] Luc. II, 35.
[5] Joan. XV, 15.

aliorum minus secretorum ignoravit.

5. Item, Ut dicit Philosophus, ad illum pertinet motus cui sit nuntiatio : cujus enim est operari, ejus est et cognoscere : ergo cujus præ omnibus et super omnes est operari, ejus præ omnibus et super omnes est operanda cognoscere : sed beatissima Virgo fuit perfectissima consiliorum observatrix super omnes viatores : ergo et cognitionem consiliorum suorum super omnes habuit : hoc autem est donum consilii : ergo donum consilii habuit super omnes.

6. Item, Exod. XII, 10 : *Non remanebit quidquam ex eo usque mane : si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Glossa : « Quod ex agno remanet, igne comburimus, quando hoc quod de mysterio incarnationis ejus intelligere et penetrare non possumus, potestati Spiritus sancti reservamus. » Ex ista auctoritate videtur, quod mysteria divina in statu viæ non possumus ad plenum rimari et penetrare : sed debent Spiritui sancto quædam reservari. Ex alia parte videtur, quod nihil de veritate mysteriorum maneat indiscussum, et quod nullum verbum Domini revertatur ad ipsum vacuum quod a nullo fuit intellectum, juxta illud Isaiæ, LV, 10 et 11 : *Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et facit germinare eam, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Ex hoc videtur, quod super communem statum viatorum sit perfecta cognitio mysteriorum omnium et divinorum eloquiorum. Et cum reperiatur in aliquo revelatio omnium secretorum, hæc autem debetur maxime familiari et maxime amico et maxime sapienti, hoc autem totum est beatissima Virgo, quæ est familiarissima, utpote Dei Filio amicissima et prudentissima, de qua liber amoris, qui est Cantica Canticorum, et liber Sapientiæ exponuntur, ita ut ea quæ de ipsa sapientia dicuntur, de ipsa intelliguntur : in sapientia autem perfecta nulla ignorantia secretorum : ergo videtur, quod beatissima Virgo perfectam cognitionem omnium secretorum habuit universaliter, utpote universalis consiliatrix : alii autem viatores omnes particularem, utpote nuntii diversi ad diversa nuntia destinati [1].

QUÆSTIO LXVI.

Utrum donum fortitudinis fuerit in ipsa ?

Post hæc quæritur de dono fortitudinis. Quod autem fuerit in beatissima Virgine in summo, probatur hoc modo :

1. Quidquid est fortius fortiore, est fortius infirmiore : beatissima Virgo fuit fortior tribus fortioribus omni viatore : ergo ipsa fuit fortior omni viatore. Tres fortiores omni viatore sunt Deus, mors, diabolus. Humilitas beatissimæ Virginis Deum superavit quodam-

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXIX.

modo, quando eum de cœlis ad terras humilitate deducens, charitate vinculatum pariter et humiliatum et vulneratum in sua virginitate incarceravit. Unde in Canticis, I, 11 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Et in Proverbiis, XXXI, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Ultimi fines sunt divinitas et humanitas maxime a se distantes. Unde fortissima mulier hæc fuit quæ hæc conjunxit. Sic igitur fortitudo beatissimæ Virginis rigorem fortitudinis divinæ severitatis superavit, de quo, Numer. XXIII, 22 et XXIV, 8 : *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis,* cujus fortitudo in gremio virginis mansuescit. Et sic patet per quem modum beatissima Virgo Dei fortitudinem superavit. Item, secundus fortis est mors, cui nemo mortalium resistere potest. *Omnes* enim *morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram* [1]. Hac fortior erat beatissima Virgo, quæ mortem destruxit : sicut enim mors intravit per fœminam, quæ vitam destruxit, sic et vita rediit per beatam Virginem, quæ mortem destruxit. Et ita beatissima Virgo fuit destructio mortis, et ita fortior fuit morte. Tertius fortis est diabolus, de quo dicit Job : *Non est super terram potestas quæ comparatur ei* [2]. Beatissima Virgo fuit illo fortior, juxta illud : *Ipsa conteret caput tuum* [3], etc.

2. Item, Actus fortitudinis essentialis est inseparabiliter adhærere Deo. Beatissima Virgo adhærebat Deo inseparabiliter, omnes alii separabiliter. Ergo fuit aliis fortior improportionabiliter.

3. Item, Actus fortitudinis est terrenas cupiditates non tantum opprimere, sed penitus oblivisci : hoc autem non contingit in aliquo viatore in via interim quod fomes aliquo modo viget, sed solum in ipsa minime potuit in qua fomes exstinctus fuit : ergo habuit actum fortitudinis per modum patriæ et super omnem viatorem sine proportione [4].

QUÆSTIO LXVII.

Qualiter donum scientiæ fuerit in B. Virgine?

Post hæc quæritur de dono scientiæ, qualiter fuerit in beatissima Virgine?

Et videtur, quod excellentissime hac ratione : Augustinus in libro XIV de *Trinitate* dicit : « Huic scientiæ attribuitur illud tantummodo, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, generatur, nutritur, defenditur, roboratur. Et ita scire quemadmodum et hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur [5]. » Et ipsius scientiæ iste est actus unus scientiæ. Alius actus scientiæ est abstinere a malo. Tertius est in medio pravæ et perversæ nationis conversari. Isti tres actus excellentius fuerunt in beata Virgine omni viatore.

[1] II Regum, XIV, 14.
[2] Job, XLI, 24.
[3] Genes. III, 15.

[4] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXIX.
[5] S. Augustinus, Lib. XIV de Trinitate, cap. 1.

Quod primum habuit excellentius, scilicet fidei defensionem, patet per testimonium ipsius dicentis Ecclesiæ, imo cantantis : « Cunctas hæreses sola interemisti. » Quod secundum actum abstinendi a malo excellentius habet, patet : quia ad minus pulvis venialis peccati omnium aliorum adhæsit pedibus : ipsa autem sola a peccatis immunis fuit, juxta illud : *Tota pulchra es* [1], etc. Similiter præsumitur de actu tertio : sola enim super omnes in medio pravæ et perversæ nationis conversari scivit, quæ nihil faciendorum aut fiendorum omisit, et nihil omittendorum fecit, nulli in malo suo communicavit, nulli bonum suum non communicavit.

Item, Actus hujusmodi doni sunt in patria, scire Deum in patria colere, et proximi gloriæ congaudere : hæc autem omnia fuerunt in beatissima Virgine excellentius omni viatore [2].

[1] Cantic. IV, 7.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXIX.

QUÆSTIO LXVIII.

Utrum donum pietatis fuerit in ipsa?

Post hæc quæritur de dono pietatis, cujus quidem actus sunt tres : unus est movere ad opera misericordiæ : alius est Scripturæ non contradicere, sive intellectæ, sive non intellectæ : tertius est sancta honorare : quia, Matth. v, 4, super illud : *Beati mites*, Glossa : « Qui pie quærunt et honorant sancta. »

Omnes isti tres actus fuerunt excellentius in beata Virgine omni viatore.

De primo actu, qui est movere ad opera misericordiæ, patet. Pietas enim secundum quod donum est, movet ad opera misericordiæ impendenda proximo : quia imago Dei. Pietas vero quæ movebat beatam Virginem ad impendendum opera misericordiæ, movebat ipsam ad compatiendum et ad impendendum proximo, non quia imago Dei, sed quasi Deus. Sed constat, quod improportionabilis est pietas, quæ debetur Deo respectu illius quæ debetur imagini ejus. Ergo pietas beatissimæ Virginis improportionabilis est pietati omnis viatoris.

Item, Patet de secundo actu, qui est Scripturæ non contradicere, quod est fidei defensio : illa enim omnibus improportionabiliter fidem defendit, quæ sola inter omnes in universo mundo hæreses vicit.

Item, Patet de actu tertio, qui est honorare sancta. Ipsa enim improportionabiliter sancta honoravit, per quam omnes sancti cœlesti gloria sunt honorati et coronati. Unde, Apocal. XII, 1 : *Signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Ipsa enim omnes sanctos coronavit, quæ causa coronandi omnibus fuit. Unde et alibi, scilicet, Apocal. IV, 9, legitur, quod viginti quatuor seniores, et quatuor animalia coronas suas mittunt ad pedes sedentis in throno : quia per Christi humanitatem quam de matre contraxit, se contrarios recognoscunt.

Et sic habuit omnes actus pietatis excellentius omni viatore [1].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post quæstionem sequentem.

QUÆSTIO LXIX.

Utrum timor servilis fuerit in B. Virgine ?

Ultimo quæritur de timore. Et primo de timore servili, utrum ille fuit in beatissima Virgine ?

Et videtur, quod sic :

Nullum enim bonum defuit ei quæ gratia plena fuit : dicit autem Augustinus, quod timor servilis bonus est et utilis. Item, Glossa : Timores duos legimus, scilicet servilem et castum : et uterque est initium sapientiæ : ergo videtur, quod timor servilis fuerit in beatissima Virgine.

Sed contra :

Timor servilis est cum peccato, de quo in beatissima Virgine nullam licet fieri quæstionem.

Post hoc quæritur de timore initiali, utrum fuit in beatissima Virgine ?

Et videtur, quod sic : quia ille simpliciter bonus est et donum Spiritus sancti : ergo ille fuit in beatissima Virgine.

Sed contra :

Perfecta charitas foras mittit timorem[1]. Hoc intelligitur de timore initiali : quia etiam minima charitas foras mittit timorem servilem : sed beatissima Virgo perfectissimam habuit charitatem : ergo nec habuit timorem servilem, similiter nec initialem.

Post hæc quæritur de timore casto, utrum fuit in beatissima Virgine ?

Et videtur, quod sic : quia

1. Ille est timor sanctus permanens in sæculum sæculi, qui etiam fuit in Domino Jesu Christo.

2. Item, Ille timor crescit charitate crescente : ergo debet in summo esse eum summa charitate.

3. Item, Timor nascitur ex amore : ergo si amor est improportionabilis, etiam et timor : sed amor beatissimæ Virginis fuit improportionabilis omni viatore : ergo et timor.

Contra :

Timor castus timet separari : sed beatissima Virgo non timet separari : ergo non habuit timorem castum[2].

Responsio ad Quæstiones LXII, LXIII, etc., de donis.

Concedimus, sicut de virtutibus dictum est supra, quod beatissima Virgo habuit actus illorum donorum, quorum actus consistunt in cognitione et affectione, ut sapientiæ, intellectus, consilii, et scientiæ, excellentius omni viatore, et medio modo inter statum viæ et statum patriæ, ita quod circa statum patriæ quantum ad actum patriæ sive ad actuum perfectionem, et super statum patriæ quantum ad effectum actuum sive merendi conditionem, super statum viæ quantum ad habituum et actuum perfectionem et meriti supergressionem. Dona vero in

[1] I Joannis, IV, 18.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra.

actione consistentia habuit per modum patriæ quantum ad actuum perfectionem, sed secundum statum viæ quantum ad merendi conditionem, et ita quantum ad actum super statum viæ, et super statum patriæ quantum ad effectum.

De timore servili respondendo dicimus, quod in timore servili duo sunt, scilicet timor, et servilitas. Timor in beatissima Virgine fuit : servilitas autem non fuit. Similiter de timore initiali secundum quod dicitur respectu augmenti, in beata Virgine non fuit : nec tamen propter hoc aliquod ei bonum defuit, sed perfecte ei affuit, et imperfectionem exclusit. Timor castus habet actus duos. Unum secundum statum viæ, qui est timere separari : et iste non fuit in beatissima Virgine. Alium actum secundum statum patriæ, qui est revereri : et ille fuit in beatissima Virgine. Est autem reverentia mixta cum dilectione subjectio. Habuit autem actum istius timoris excellentius omni viatore : unde si alicui viatori revelaretur quod deberet salvari, et sic non timeret separari, sicut videtur de beato Paulo, qui dicit : *Certus sum quia neque mors, neque vita* [1], etc : non tamen in hac certitudine coæquaretur beatæ Virgini : illa enim certitudo esset per scientiam et per effectum et per posterius : certitudo autem beatissimæ Virginis qua se scivit non separari, fuit per modum causæ : scivit enim se in utero sanctificatam, et scivit se matrem Dei esse effectam, et scivit se non peccasse, et de cætero non posse peccare, et sic scivit se separari non posse per modum causæ.

Sic igitur manifestum est, qualiter beatissima Virgo septiformem gratiam Spiritus sancti in septem donis divisam, habuit excellentius omni viatore, et quodammodo omni creatura.

QUÆSTIO LXX.

Qualiter beatitudines fuerunt in B. Virgine?

Post hæc quæritur de beatitudinibus, qualiter fuerunt in beatissima Virgine ?

Et videtur, quod excellentius omni viatore.

1. Sicut se habet beatitudo patriæ ad beatitudinem patriæ, ita beatitudo viæ ad beatitudinem viæ : sed beata Virgo in beatitudine patriæ excellit omnes comprehensores : ergo et in beatitudinibus viæ excellit omnes viatores.

2. Item, Omnis arbor ex fructu suo cognoscitur : ergo si fructus fructum excellit improportionabiliter, et arbor arborem excellit : sed fructus quem est adepta beata Virgo ex beatitudine viæ, excellit omnem fructum patriæ puræ creaturæ : ergo et beatitudo viæ excellit omnem beatitudinem viæ puræ creaturæ.

3. Item, Omnis perfectio spiritualis gratuita est a charitate : ergo cum beatissima Virgo excellat omnes puras creaturas charitate, ita omnes excellet qualibet spirituali perfectione

4. Item, Seraphim est supremus ordo quem excellit charitate : ergo et excellit omnibus aliis donis.

[1] Ad Roman. viii, 38.

5. Item, Sicut se habet substantia ad substantiam, et potentia ad potentiam, et habitus ad habitum, ita et proprietas ad proprietatem : ergo si substantia superat substantiam, et proprietas superat proprietatem, et potentia superat potentiam : sed substantia sive persona beatissimæ Virginis post Deum altissima est et dignissima excellens omnem creaturam : ergo et ejus potentiæ habitus et proprietates erunt excellentes omnem creaturam[1].

QUÆSTIO LXXI.

Qualiter paupertas fuerit in B. Virgine?

Post hæc quæritur de beatitudine paupertatis, qualiter fuit in beata Virgine?

Et videtur, quod in summo.

1. Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu.* Glossa : Pauper est humilis corde : sed beata Virgo habuit improportionabilem humilitatem omni viatore, ut probatum est supra : ergo paupertatem et humilitatem habuit.

2. Item, Glossa ibidem dicit : *Beati pauperes spiritu*, etc., quia non necessitas, sed fides et devotio paupertatis facit beatos, ut contemptis omnibus, Deo vivant : hæc autem omnia, fides, devotio, mundum contemnere, Deo vivere, fuerunt in beata Virgine excellentius omni viatore : ergo paupertas fuit in ea excellentius omni viatore.

3. Item, In Glossa ibidem subjungitur : Hæc habet duas partes, abdicationem rerum, et contritionem spiritus : sed hæc duo fuerunt in beatissima Virgine in summo : ergo et paupertas. Quod contritio spiritus sive humilitas fuerit in summo in beatissima Virgine Maria, jam ostensum est. Quod autem rerum abdicatio fuerit in beatissima Virgine, sic probatur : Abdicatio fit duobus modis, scilicet per rerum subjectionem, vel per rerum omnimodam abjectionem : sed magna est paupertas per rerum subjectionem, sed major per rerum abdicationem, maxima quæ est ex utroque composita, de qua dicit Paulus : *Nihil habentes, et omnia possidentes*[2] : hoc autem non est possibile esse nisi in beatissima Virgine omnino proprie et perfecte : omnes alii si res abjecerunt, non retinuerunt : et si retinuerunt, non abjecerunt, quia tantum procuratores sive fructuarii et non domini fuerunt. Beatissima autem Virgo existens mater Dei et regina, jus et dominium et usufructus et possessiones habuit in rebus Filii sui : unde ipsa tantum potuit relinquere omnia et omnia possidere, relinquere quantum ad usum et fructum, possidere quantum ad jus proprietatis et dominii : et sic beatissima Virgo potuit habere perfectissimam paupertatem in rerum abdicatione.

Item, In rerum abjectione ordo est et gradus. Quidam enim dant superflua naturæ et non personæ. Unde Augustinus

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

[2] II ad Corinth. vi, 10.

in libro de *Verbis Domini* : « Utere superfluis, da pauperibus necessaria : utere pretiosis, da pauperibus vilia. » Iste est primus gradus paupertatis. Alii dant superflua naturæ et personæ. Luc. xi, 41 : *Quod superest, date eleemosynam*, scilicet pauperibus. Glossa : De eo quod super necessaria præter victum et vestitum, dandum est pauperibus. Tertius gradus non tantum superflua dare, sed etiam necessaria. Unde Glossa : Non solum exteriora, sed etiam interiora et valde necessaria cum proximis dividamus. Quartus gradus est omnia superflua et necessaria simul dare, sed adhuc semetipsum retinere : quod etiam aliqui Philosophorum fecerunt, licet non propter Deum. Unde super illud : *Ecce nos reliquimus omnia*[1], Glossa : Non dicit tantum : *Qui reliquistis omnia* : hoc enim et Socrates Philosophus fecit, et multi alii, qui divitias contempserunt : sed *qui secutis estis me* : quod proprie est Apostolorum et credentium. Quintus gradus est omnia dare et seipsum superaddere. Unde Dominus in Evangelio : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me*[2]. Sextus gradus est omnia dare et semetipsum relinquere, et præterea laborare manibus, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti, relevans ejus miserias corporales. In hunc statum attigit beatus Paulus, qui omnia reliquerat, et tamen tempore et loco laborabat manibus, ut sibi et suis subveniret[3]. Septimus gradus est omnia et seipsum dare, ut pascat proximum pane spirituali : et iste gradus, ut dicit Gregorius, major est prædicto : quia majus est nutrire animam semper victuram, quam ventrem aliquando moriturum. Octavus gradus est omnia et seipsum relinquere, et de substantia sui corporis partem accipere, et ad refectionem animarum proximis dare. In isto gradu fuit beatissima Virgo, quæ de purissimis carnibus et sanguinibus suis viaticum nobis fecit et confecit, panem scilicet vivum, qui de cœlo descendit, qui est vere vita, quem qui gustaverit, non sentiet mortem in æternum. Hunc autem toti mundo mendico dedit beatissima mulier, de qua dicitur in Evangelio : *Mulier abscondit fermentum in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum*[4]. Tria sata sunt deitas, corpus, et anima. Fermentum, ut dicit Bernardus, est fides Virginis, quæ Deum humanæ naturæ conjunxit, et homini refectionem fecit. Idem fere dicit Augustinus in libro de *Spiritu et anima* : « Sive ingrediatur, sive egrediatur, pascua inveniet : intus in divinitate creatoris, foris in carne salvatoris. » Nonus gradus est omnia proximo dare et corpus et animam propriam et divinitatem his unitam in cibum animæ, sub specie tamen aliena. Et hoc fuit misericordiæ et summum paupertatis Domini nostri Jesu Christi in via. Decimus gradus est seipsum dare totum, corpus et animam et divinitatem sub specie propria, in cibum corporis et animæ simul et semper in æterna beatitudine, de quo, Luc. xiv, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*.

Ex his patet, quod beatissima Virgo spiritus paupertatem quantum ad rerum abjectionem habuit excellentius omni homine, præter Dominum Christum.

4. Item, In carentia necessariorum non est virtus vel beatitudo : unde Glossa super illud Matthæi, v, 3 : *Beati pauperes spiritu*, dicit, quod non necessitas, sed fides et devotio paupertatis beatos facit. Penes igitur intensionem carentiæ vel majoris necessitatis defectum non contingit ponere improportionabiliter excellentiorem : ergo non attenditur perfectio paupertatis penes propinquationem ad summum defectum, sed penes

[1] Matth. xix, 27.
[2] Matth. xix, 21.
[3] II ad Corinth. xi, 12.
[4] Matth. xiii, 33 et Luc. xiii, 21.

voluntatem et devotionem et personæ dignitatem : si enim æque parum habet miles et rusticus, pauperior est miles quam rusticus : nam quod rustico divitiæ, militi paupertas : et quod militi divitiæ, principi paupertas : et sic ascendendo quanto quis dignior si sit in eodem defectu, tanto erit inferioribus pauperior : ergo cum beatissima Virgo excellat omnes in dignitate, et æqualem habuit aliis paupertatem, excellit omnes in paupertate improportionabiliter[1].

QUÆSTIO LXXII.

Qualiter mititas et mansuetudo fuerint in ipsa ?

Consequenter quæritur de mititate et mansuetudine.

Quod autem excellentior fuit in beata Virgine, videtur

1. Per cantum Ecclesiæ :

> Virgo singularis,
> Inter omnes mitis, etc.

2. Item, Matth. v, 4 : *Beati mites*, etc. Glossa : « Mites sunt qui malis moribus dominantur. » Sed hoc dominium fuit in beata Virgine perfectissime : quia ejus dominium fuit sine pugna, et aliorum cum pugna. Ergo habuit mititatem cum excellentia.

3. Item, Alia Glossa, ibidem : « Mansuetus nec irritat, nec irritatur, nec nocet, nec nocere cogitat. » Hæc autem omnia fuerunt in beatissima Virgine cum improportionabili excellentia : quia nullum irritare, et omnia placare, distant improportionabili distantia. Similiter nulli nocere, et omnibus prodesse in summo. Hæc autem omnia in summo fuerunt in beata Virgine. Ergo habuit mititatem super omnes alios sine proportione.

4. Item, Alia Glossa, ibidem : « Mitis est, quem non rancor vel ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet. » Hujusmodi virtutis se fecit magistrum Dominus : quod non fecisset, nisi via summæ perfectionis ista virtus esset. Sed beatissima Virgo a rancore vel ira omnibus aliis fuit improportionabiliter immunior, et magisterii divini capacior et obedientior, et in via perfectionis altior. Ergo omnibus aliis fuit mansuetior improportionabiliter.

5. Item, Sicut præmium ad præmium ita meritum ad meritum : sed possessionem terræ viventium, quod est præmium mansuetudinis, habuit beata Virgo omnibus excellentius : et beatitudinem mansuetudinis habuit aliis excellentius.

6. Item, Hymnus :

> Nos culpis solutos
> Mites fac et castos.

Sed beatissima Virgo omni viatore magis soluta fuit a culpis. Ergo magis mitis fuit.

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

Contrarium autem videtur probare quod legitur de Moyse : *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra*[1]. Ergo mitior quam beatissima Virgo[2].

QUÆSTIO LXXIII.

Qualiter beatitudo luctus fuerit in ipsa?

Post hæc quæritur de beatitudine luctus.

Et probatur similiter, quod fuit excellentius in beata Virgine : quia

1. Cujus causa nobilior, et effectus. Sed omnes alios viatores instigabat peccatum ad flendum : beatissimam autem Virginem sola charitas : et si motivum fuit improportionabiliter super motivum, et motus super motum.

2. Item, Hieronymus : « Servitia quanto minus debita, tanto magis grata. » Sed luctus beatissimæ Virginis nullo modo fuit debitus debito necessitatis, sed tantummodo charitatis : sed omnium aliorum lugentium luctus fuit debitus debito necessitatis : ergo luctus ejus fuit magis gratus : ergo ejus luctus improportionabilis respectu luctuum omnium viatorum.

3. Item, Ejus consolatio est alius improportionabilis : ergo et luctus ejus : quia sicut præmium ad præmium, etc.

Juxta hoc quæritur, utrum beatissima Virgo luxerit pro incolatu miseriæ et pro dilatione patriæ?

Et videtur, quod sic : quia hoc videtur ad charitatis perfectionem pertinere, cupere dissolvi et esse cum Christo. Unde unus perfectorum : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus*[3]?

Sed contra : Anima in statu innocentiæ nollet separari a corpore, juxta illud : *Nolumus exspoliari, sed supervestiri*[4]. Item in statu gloriæ nollet anima separari a corpore. Ergo videtur animam nolle separari a corpore. Et si sic, hoc fit ideo, quod spiritus concupiscit adversus carnem, et e converso : ergo cum in beatissima Virgine non fuit hujusmodi pugna vel inobedientia, videtur quod non luxerit pro incolatu miseriæ[5].

[1] Numer. XII, 3.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

[3] Ad Roman. VII, 24.

[4] II ad Corinth. V, 4.

[5] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

QUÆSTIO LXXIV.

Utrum beatitudo esuriei et sitis justitiæ fuerit in ipsa?

Consequenter quæritur de beatitudine esuriei et siti justitiæ.

Et videtur, quod similiter fuerit in ea excellentius.

1. Esurire et sitire proprium est viatorum, saturatum esse proprium est comprehensorum : sed inter esurire et saturatum esse medium est comedere : sed cum nihil sit vacuum, cum exstant extrema, exstat et medium : sed medium pertinet ad statum medium : ille autem status est beatissimæ Virginis : ergo habebit istam beatitudinem citra comprehensores, et supra viatores.

2. Item, Ejus consolatio est aliis improportionabilis : ergo, etc.

3. Item, Justitia in beata Virgine fuit improportionabilis aliis : ergo et ejus esuries [1].

QUÆSTIO LXXV.

Utrum misericordia fuerit in ipsa?

Post hæc quæritur de beatitudine misericordiæ?

Et videtur, quod similiter, ut prædictum est, fuit beatissima Virgine, hac ratione :

1. Beata Virgo secundum universalem usum Ecclesiæ appellatur et est *mater misericordiæ* : quod non convenit proprie alicui alteri creaturæ. Dicuntur autem et aliquando viri misericordiæ, id est, viri humiles misericordia, et sic habent omnes alii comparationem ad misericordiam per modum principalem et per modum accidentalem, ipsa vero habet comparationem ad misericordiam per modum originis essentialis, quia per modum matris : convenientia autem essentialis improportionabiliter excellit modum inhærentiæ et modum accidentalem : ergo beatissima Virgo improportionabiliter excedit in misericordia universos.

2. Item, Dicitur etiam *regina misericodiæ* secundum usum Ecclesiæ : et constat, quod non secundum eamdem rationem qua dicitur mater misericordiæ,

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

alia est enim ratio matris et alia reginæ: ergo propter aliam rationem dicetur regina misericordiæ quam illam qua dicitur mater misericordiæ. Et videtur, quod regina misericordiæ dicatur ideo, quia ab ipsa fuit regni misericordiæ origo, et ab ipsa potestas est prima misericordiæ et gratiæ. Cum enim sit regnum gloriæ quod est regnum justitiæ, in quo unusquisque recipit prout hic gessit in corpore, cujus prima potestas est a rege gloriæ et a rege justitiæ, id est, a sancta Trinitate: et est regnum gloriæ sive misericordiæ, ubi nondum recipitur secundum merita, sed adhuc regnat misericordia peccata dimittendo, pœnas diluendo, bona multiplicando, mala differendo: hujus autem regni et origo et potestas prima est a beata Virgine, per quam suscepimus misericordiam tuam, Deus, in medio templi tui, Jesum Christum, per quem misericordia et veritas facta est, qui proprie modo regnat super eos quos proprio sanguine redemit, et passione et morte regeneravit, et sibi configuravit, donec in fine omnibus completis tradiderit regnum Deo Patri. Patet igitur, quod omnes alii servi misericordiæ sunt, beatissima Virgo regina misericordiæ. Sed improportionabiliter majus est esse reginam misericordiæ, quam servum misericordiæ: ergo beatissima Virgo improportionabiliter excellentius se habet ad misericordiam, quam alii.

3. Item, Matth. v, 7: *Beati misericordes*. Glossa: « Misericordia est dare et dimittere: » sed beatissima Virgo improportionabiliter plus dedit et dimisit omnibus viatoribus super omnes creaturas: ergo habuit beatitudinem misericordiæ super omnes.

4. Item, Ambrosius: « Misericordia est nullum relinquere in miseria, et nullum miserum facere: » hoc in summo fuit in beatissima Virgine: ergo habet beatitudinem in summo misericordiæ.

5. Item, Bernardus: « Misericordia non solum in eleemosynis consistit, sed in peccato omni corripiendo: » hoc in summo fuit in beata Virgine respectu omnis creaturæ: ergo habuit simpliciter super omnes beatitudinem misericordiæ.

6. Item, Misericordia reddita ei improportionabiliter se habet ad omnem misericordiam quæ est præmium: ergo et beatitudo misericordiæ ei erit improportionabiliter ad omnem misericordiam quæ est meritum.

7. Item, Quidquid est causa causæ, est causa causati: beatissima Virgo est causa Filii: Filius est causa totius boni et omnis misericordiæ: ergo et mater erit causa totius misericordiæ: hoc autem non convenit alii creaturæ.

8. Item, Illud quod æque proprie et principaliter habet duas naturas inconfusas, æque proprie habet proprietates duarum naturarum: Jesus Christus æque duas naturas habet: ergo æque proprie habet proprietates duarum naturarum: unde istæ sunt æque proprie, Christus est Deus, Christus est homo: ergo et hæ, Christus natus est a Deo, Christus natus est ab homine: ergo etiam et hæ, Christus est a Deo, Christus est ab homine. Sed Christus omnes operationes attribuit Patri a quo ipse est. Ergo et matri a qua ipse est, attribuentur operationes ejus, quæ conveniunt ei ratione humanæ naturæ, sicut et Patri operationes quæ conveniunt ratione divinæ naturæ. Sed Christus in natura humana exhibuit nobis effectum summæ misericordiæ. Quod etiam patet in modo loquendi Ecclesiæ: « Hodie mortem quam fœmina intulit, fœmina fugavit. » Item, Quia mors per fœminam intravit, apte redit et vita per fœminam. Et illud: Mulier quæ damnavit, ipsa salvavit. Quidquid in nobis misericordiæ Filius exhibuit, totum hoc nobis mater contulit, quæ Filium genuit, in quo nobis omnia donavit.

Ex his patet, quod beatissima Virgo in misericordia excellit omnem creaturam[1].

[1] Pro solutione objectionum vide infra post quæst. LXXXI.

QUÆSTIO LXXVI.

Utrum munditia cordis fuerit in ipsa?

Post hæc quæritur de munditia cordis.

Et probatur, quod hæc fuerit in beatissima Virgine simili modo sicut de prædictis:

1. Per illud quod dicit Anselmus quod ea claritate et puritate nitebat, qua sub Deo major nequit intelligi [1].

2. Item, *Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* [2]: sed in beatissima Virgine fuit charitas summa: ergo summa puritas.

3. Item, Actus fidei est purificans corda: sed beatissima Virgo habuit fidem perfectissimam: ergo cordis puritatem.

4. Item, Secundum Dionysium tres sunt hierarchiæ actus, scilicet purgare, illuminare, et perficere, et sunt ad se ordinati, ita quod magis purgatus est magis illuminatus et magis perfectus: sed beatissima Virgo fuit in summo purgata: ergo in summo perfecta et illuminata.

5. Item, Visio Dei quæ est præmium hujus munditiæ, improportionabiliter major est visionibus omnium aliorum: ergo munditia ejus major est munditia omnium aliorum.

6. Item, *Beati mundo corde* [3], etc. Glossa: « Mundi corde sunt, quos conscientia non arguit peccatorum. » Item, Mundum cor habet, qui nihil sibi conscius est: hæc autem in beatissima Virgine fuerunt in summo: ergo habuit munditiam cordis in summo [4].

QUÆSTIO LXXVII.

Utrum pax fuerit in ipsa?

Post hæc quæritur de pace, et quod ipsa similiter fuerit in beatissima Virgine, probatur hoc modo:

1. *Beati pacifici* [5]. Glossa: « Pacifici sunt qui omnes motus animi rationi subjiciunt: » quia his nihil repugnat: qui si-

[1] S. Anselmus, Lib. de Peccato et conceptione virginali, cap. 18

[2] I ad Timoth. I, 5.

[3] Matth. V, 8.

[4] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

[5] Matth. V, 9.

miles Patri suo sunt, qui est summa quies: hoc autem totum in summo fuit in beatissima Virgine: ergo est pacifica in summo.

2. Item, Alia Glossa, ibidem: « Dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, sed nec nobis possumus esse pacifici: » ergo super omnes improportionabiliter pacifica existit, in qua caro adversus spiritum non rebellavit.

3. Item, Sicut est præmium ad præmium, ita meritum ad meritum, etc. Et si aliis pacificis datum est præmium, quod filii Dei sint per adoptionem, beatæ Virgini datum est, quod sit mater Dei per naturam: hoc autem improportionabiliter plus est quam esse filium Dei per adoptionem: ergo præmium beatissimæ Virginis improportionabiliter est super præmium aliorum: ergo meritum super meritum: hoc autem est pacificatio: ergo beata Virgo in hac beatitudine excellit omnes.

4. Item, Beata Virgo fuit medium universale et causa pacis: universalis enim fuit mediatrix et reconciliatrix: omnes enim per ipsam fuerunt reconciliandi: ergo excellit in pacificatione omnes viatores [1].

QUÆSTIO LXXVIII.

Utrum in B. Virgine fuerit aureola martyrum?

Post hæc quæritur de persecutione, qualiter hæc beatitudo fuerit in beatissima Virgine? Et non agitur de quacumque persecutione, sed de illa quæ martyrium est, cui debetur aureola. Quæritur igitur, utrum in beatissima Virgine fuerit aureola martyrum?

Et videtur, quod non: quia

1. Cessante causa cessat effectus: cum igitur beatissima Virgo non sustinuerit mortem, quæ per martyrium infertur, nec habebit aureolam martyrum.

2. Item, Aureola non debetur voluntati, sed actui: in hac autem non fuit actus martyrii: ergo nec aureola. Si autem dicitur, quod per dolorem spiritualem meruit aureolam spiritualem, sed dolor aliorum martyrum meruit aureolam tam spiritualem quam corporalem, secundum hoc esset inferior ejus aureola aureola martyrum, qui habuerunt spiritualem et corporalem. Si autem dicatur, quod meruit aureolam per compassionem Filii, hoc non videtur posse stare: aureola enim martyrum determinatur penes summum et perfectissimum fortitudinis: hoc autem est sustinentia propriæ mortis: plus enim compatitur anima corpori sibi juncto quam non juncto: ergo non est difficillimum fortitudinis in compassione alienæ passionis: ergo non debetur aureola ratione compassionis.

Ex his videtur, quod non habuit aureolam martyrum.

CONTRA:

1. Superiores ordines habent proprietates inferiorum cum excellentia: sed beatissima Virgo omnium ordinum fuit

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

suprema : ergo habebit aureolam martyrum quam habent inferiores.

2. Item, Damascenus : « Hæc a nullo illustrium vincitur : » sed vinceretur ab aliquo si non haberet aureolam martyrum : ergo habet aureolam martyrum.

3. Item, Damascenus : « Sed ipsa beata Virgo et super naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit. Ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens : et quem Deum per nativitatem agnovit, illum ut maleficum, interfectum videns, tamquam gladio cogitationibus decerpitur [1]. » Et hoc est : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* [2]. Ex hac auctoritate patet multipliciter, quod beatissima Virgo gratiam habuit martyrii, et aureolam martyrum.

4. Item, Dationi animæ debetur aureola martyrum : sed beata Virgo dedit pretiosissimam et dilectissimam animam : ergo habebit pretiosissimam aureolam. Quod enim beata Virgo dederit dilectissimam animam, manifestum est : quia ipsa in infinitum plus dilexit animam, id est, vitam Filii sui quam beatus Petrus vitam et animam sui ipsius. Item, quod pretiosissimam animam dedit, patet : quia datio hujus animæ pretium totius mundi et redimibilis naturæ fuit : et sic beata Virgo dedit in infinitum plus dilectam et pretiosam animam quam aliquis sanctorum : ergo habebit in infinitum perfectiorem aureolam quam aliquis sanctorum.

5. Item, Alii martyres tantum dederunt animam et corpus : beatissima autem Virgo obtulit ad crucem animam et corpus et divinitatem : ergo et proportionabiliter plus dedit in merito : ergo improportionabiliter plus accepit in præmio.

6. Item, Aliqui debitores mortis existentes, non dederunt vitam gratuite, scilicet quasi donum, sed reddiderunt ex debito quasi censum : beatissima autem Virgo censum illum dedit, qui solus inter mortuos liber fuit, et non necessitate, sed charitate sola mortem sustinuit.

7. Item, Omnis dolor ex amore est : quod enim cum amore possidetur, cum dolore amittitur : ergo ubi improportionabilis amor, ibi improportionabilis dolor : sed dolor in quo dolebant sancti in passione, causabatur et a natura et amore naturali : dolor autem quo dolebat beata Virgo, causabatur a dilectione gratuita : sed gratia improportionabiliter major est natura : ergo improportionabiliter major est amor gratuitus quam naturalis : ergo dolor causatus a gratia, improportionabiliter major est quam causatus a natura : dolor sanctorum causabatur a natura, dolor autem beatissimæ Virginis causabatur a natura et gratia, sed magis a gratia : ergo in infinitum major erat dolor beatæ Virginis quam dolor aliorum : ergo et ejus major erat aureola aliorum aureolis [3].

[1] S. Joannes Damascenus, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 15.

[2] Luc. II, 35.

[3] Pro solutione omnium objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

QUÆSTIO LXXIX.

Utrum aureola prædicatorum fuerit in ipsa?

Juxta prædicta quæritur de aureola prædicatorum, utrum erat in beatissima Virgine?

Et videtur, quod non : cessante causa cessat et effectus : beatissima Virgo non habuit statum prædicatorum vel doctorum : ergo non habuit aureolam prædicatorum. Media patet per Apostolum, I ad Corinth. xiv, 34 : *Mulieres in ecclesiis taceant.*

Sed contra :

1. Plus est prædicare facto quam verbo : alii autem sancti prædicaverunt verbo, beatissima autem Virgo principaliter prædicavit facto : improportionabiliter autem perfectius est factum quam verbum : ergo improportionabiliter perfectius prædicabat beata Virgo quam alii : ergo perfectiorem habuit aureolam. Et si dicatur, quod alii prædicaverunt facto, hoc per accidens fuit : accidit enim facto, quod sit signum vel exemplum : beata autem Virgo per se factis utebatur pro verbis in sua prædicatione, in desponsatione, in sacramentorum susceptione, et consimilium quibus utebatur non ad perfectionem sui, sed ad nostram instructionem et utilitatem.

2. Item, *Et mater ejus*, scilicet Maria, *conservabat omnia verba hæc in corde suo*[1]. Sancti dicunt, quod ideo hæc conservabat quod opportunis temporibus ad scribendum Evangelistis revelaret : ergo beatissima Virgo nobis per Evangelistas prædicabat.

3. Item, *Doctrina prudentium facilis est*[2] : sed beatissima Virgo brevissime et lucidissime omnia prædicabilia uno verbo prædicavit, quando dixit in nuptiis ad ministros, per quos figurantur prædicatores : *Quodcumque vobis dixerit, facite*[3] : qui enim fecerit quæcumque Filius Dei dixerit, omnia prædicabilia implevit. Et ita beatissima Virgo uno verbo prædicavit omnia prædicabilia in tali dicto.

4. Item, Quæcumque dicuntur de sapientia, intelliguntur specialiter de beatissima Virgine : de illa enim dicitur, quod est *doctrix disciplinæ Dei*[4] : ergo beatissima Virgo est doctrix : ergo ei debetur aureola prædicatorum.

5. Item, Prophetæ sunt doctores : ergo prophetissæ doctrices : sed beatissima Virgo fuit prophetissa : ergo et doctrix. Minor patet in Isaia, viii, 3 : *Accessi ad prophetissam.* Glossa : Virginem Mariam. Quod autem mulieres possunt esse prophetissæ, patet, Actuum, xxi, 9 : *Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.*

6. Item, Omnes alii prædicatores prædicabant per verbum creatum : beatissima autem Virgo per increatum : ergo prædicavit excellentius omni viatore : ergo habuit aureolam prædicatorum[5].

[1] Luc. ii, 51.
[2] Proverb. xiv, 6.
[3] Joan. ii, 5.
[4] Sapient. viii, 4.
[5] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

QUÆSTIO LXXX.

Utrum aureola virginum fuerit in ipsa?

Consequenter quæritur de aureola virginum.

Et videtur, quod non habuit aureolam virginum, hac ratione :

1. Aureola debetur secundum excellentissimum, perfectissimum et difficillimum continentiæ : in beata autem Virgine non fuit difficillimum continentiæ : ergo nec pugna, nec victoria.

2. Item, Apostolus : *Qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit* [1] : beata Virgo non certavit certamine virginum : ergo non habebit aureolam virginum.

3. Item, Dicit Philosophus, quod continens est, qui patitur et non deducitur : insensibilis qui nec deducitur, nec patitur : beata autem Virgo non patiebatur : ergo non fuit continens : ergo non habet aureolam continentiæ seu virginitatis.

Contra :

1. Beatissima Virgo dicitur *Virgo virginum* : et hujusmodi modo loquendi dicitur vel nominatur excellentia, ut rosa flos florum, id est, dignissimus inter flores : vel origo excellentiæ, ut Maria Jacobi [2], id est, mater Jacobi. Si igitur dicitur Maria Virgo virginum, id est excellentissima inter virgines, ergo quidquid debetur aliis virginibus, debetur ei excellentius. Si autem dicatur Virgo virginum per originem, ut sit sensus, Virgo mater virginum, tunc ipsa est mater virginum virginitate, et sic erit mater virginitatis : aliæ autem sunt nutrices virginitatis : ergo beatissima Virgo improportionabiliter essentialius se habet ad virginitatem quam aliæ virgines : ergo improportionabiliter perfectius habebit aureolam super alias virgines.

2. Item, Beatissima Virgo regina est virginum, et hoc sibi soli convenit : ipsa enim sola a maledictione legis quasi a servitute carceris et captivitatis virginitatem liberavit, et eamdem liberam et gloriosam reddidit, et sic omnes virgines in quantum virgines a servitute legis liberavit, et suæ servituti mancipavit, et sic effecta est regina virginum : omnes aliæ ancillæ sunt et pedissequæ. Sed improportionabilis est corona ancillæ et reginæ. Ergo improportionabilem et perfectiorem habet aureolam super aureolam virginum.

3. Item, Beatissima Virgo habet virginitatem in summo, ut patebit infra : ergo habebit aureolam virginitatis in summo [3].

[1] II ad Timoth. II, 5.
[2] Cf. Matth. XXVII, 56, et alibi.
[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. LXXXI.

QUÆSTIO LXXXI.

Quomodo fuerint fructus in B. Virgine?

Post hæc quæritur, quomodo fuerunt fructus in beatissima Virgine, qui quidem distinguuntur secundum statum continentiæ, trigesimus, sexagesimus, centesimus.

Et videtur, quod illos non potuit habere excellentius : quia trigesimus non excellit trigesimum, nec sexagesimus sexagesimum, nec centesimus centesimum [1].

Responsio ad Quæstiones LXX, LXXI, etc., de beatitudinibus.

Ad hæc solventes dicimus, quod istæ beatitudines determinantur secundum actus perfectionis viæ, et secundum statum viæ : et propter hoc evacuabuntur in patria, ubi non est paupertas, nec luctus, nec esuries, etc.

Item, Concedimus, quod beatissima Virgo habuit omnes istas sicut probatum est, sed excellentius omni viatore, concedentes omnia quæ opposita sunt de paupertate et similiter de mititate.

Quod autem objicitur de Moyse, dicendum quod erat mitissimus in generatione sua, vel respectu præcedentium, vel respectu contemporaneorum suorum, vel quod beatissima Virgo non cadit in numerum cum aliis : quia non est una de omnibus, sed est una super omnes.

Concedimus etiam, quod beatissima Virgo habuit omnes aureolas et omnia dona gratuita omnium aliorum sanctorum. De aureola martyrum, Bernardus : « Longe eam plusquam martyrem censemus, in qua passionis sensum compassionis superavit affectus. » Item, De omnibus aureolis simul, Bernardus super illud : *In plenitudine sanctorum detentio mea* [2] : « Cui nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum defuit, nec spes Prophetarum, nec Apostolorum zelus, nec constantia martyrum, nec sobrietas confessorum, nec castitas virginum, nec conjugatorum fœcunditas. » Ex hac auctoritate patet, quod beatissima Virgo proprietates gratuitas aliorum superavit et eas excellentius habuit. Rationes in contrarium positas, per contrarias rationes credimus sufficienter solutas.

Ad aliud quod ultimo objicitur de fructibus, dicimus quod illos habuit excellentius omnibus viatoribus, duplici de causa. Una, quia habuit eos simul, utpote virgo, vidua, conjugata. Altera, quia unumquemque excellentius habuit : in trigesimo enim fructu qui debetur conjugatis, per denarium gloriæ æternæ perfectio designatur. Per trinarium tria bona conjugii, scilicet fides, proles, sacramentum, per quæ conjugati tendunt ad vitam æternam : illa autem tria habuit excellentius beata Virgo, ut probatum est supra : ergo habuit fructum trigesimum omnibus excellentius. Item, In sexagesi-

[1] Pro solutione objectionum, vide infra.

[2] Eccli. xxiv, 16.

mo per denarium signatur perfectio gloriæ æternæ, in senario sex opera misericordiæ, per quæ tendunt viduæ ad vitam æternam : illa autem opera misericordiæ fuerunt excellentius in beatissima Virgine omni viatore : ergo habuit fructum sexagesimum excellentius universis. Centesimus fructus seu numerus qui constat ex denario in se ducto, vitam angelicam in terris significat, per quam tenditur ad societatem Angelorum in cœlis : vitam vero angelicam habuit beatissima Virgo excellentius universis.

Et sic patet qualiter beatissima Virgo omnes beatitudines et omnes aureolas et hujusmodi fructus in summo habuit : ergo, etc.

QUÆSTIO LXXXII.

Qualiter fructus quos ponit Apostolus in epist. ad Galatas, v, 22 et 23, fuerint in ipsa ?

Post hæc quæritur de fructibus, quos ponit Apostolus in epist. ad Galatas, v, 22 et 23 : *Fructus autem spiritus est gaudium, charitas*, etc., qualiter fuerunt in beatissima Virgine ?

Et videtur, quod excellentius omni viatore, hac ratione :

1. Gratia et peccatum opponuntur : conjunctio et divisio similiter opponuntur : a peccato est divisio : ergo a gratia est conjunctio : sed in beatissima Virgine improportionabilis gratia fuit : ergo improportionabilis conjunctio : sed ad conjunctionem cum Deo sequitur refectio sive fructus, ut patet in fruitione patriæ quæ sequitur ad summam conjunctionem : sed in beatissima Virgine fuit summa et improportionabilis conjunctio viæ : ergo improportionabilis refectio : ergo habuit omnes fructus in summo.

2. Item, Isa. III, 10 : *Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Et in Psalmo CXXVII, 2 : *Labores manuum tuarum*, etc. Ergo in operibus bonis est refectio : in beatissima Virgine fuerunt opera improportionabiliter bona aliis : ergo et refectio improportionabilis aliis.

3. Item, Psal. XVIII, 12 : *In custodiendis illis retributio multa* : sed beatissima Virgo improportionabiliter aliis custodivit : ergo in ipsis improportionabiliter retributionem habuit.

4. Item, Proverb. XV, 15 : *Secura mens quasi juge convivium :* sed beatissima Virgo aliis improportionabiliter secura fuit : ergo aliis improportionabiliter convivavit.

5. Item, Isa. LVIII, 13 et 14 : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo : et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum*, etc. usque, *sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* Omnia quæ huic præmittuntur cibationi, fuerunt in beatissima Virgine summe : ergo cibatio in summo [1].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

QUÆSTIO LXXXIII.

Utrum fructus qui est charitas specialiter, fuerit in ipsa ?

Postea quæritur de fructu qui est charitas specialiter.

Et probatur, quod in beatissima Virgine fuerit in summo, hoc modo :

1. Glossa super illud, Charitas est quæ a terra ad Deum evocat. Et sic ibi duo innuuntur, quæ pertinent ad hunc fructum, a terrenis separatio, ad cœlum elevatio : utrumque istorum fuit in beatissima Virgine in summo : ergo et fructum charitatis habuit in summo. Quod improportionabiliter aliis a terrenis fuit separata, patet per hoc quod neque pulvis venialis peccati pedibus ejus adhæsit : quod omnibus aliis viatoribus inevitabile fuit. Quod ad cœlum maxime elevata fuit, sic probatur : Habetur, Matth. VI, 21 : *Ubi est thesaurus tuus*, etc. : ergo thesaurus trahit ad se fructum : sed beatissima Virgo habuit improportionabilem thesaurum in regno cœlorum : ergo improportionabiliter elevabatur ad cœlum.

2. Item, Elevativum elevans est gratia : sed in beatissima Virgine fuit improportionabiliter gratia : ergo, etc.

3. Item, In Psalmis fiunt tres quæstiones : Una, *Quis ascendet in montem Domini* [1] ? Altera, *Quis stabit in loco sancto ejus* [2] ? Tertia, *Domine, quis habitabit* [3], etc. ? Quia difficile et perfectum est ascendere, difficilius et perfectius est stare, difficillimum et perfectissimum est habitare et quiescere. Sed ad statum Apostolorum qui *majores* ab Ecclesia dicuntur, pertinet ascendere, sed non habitare, imo descendere. Unde Angeli ascendebant et descendebant [4]. Unde Apostolus rapiebatur *usque ad tertium cœlum* [5], et mox descendit ad disponendum cubilia infirmorum : unde dicit, II ad Corinth. V, 13 : *Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis*, etc. Ergo ad perfectiorem statum quam Apostolorum fuit, pertinet ascendere et quiescere : sed super statum Apostolorum non fuit status eminentior quam status beatæ Virginis : ergo ad statum beatæ Virginis pertinet ascendere et quiescere et habitare.

4. Item, In Psalmo LXXXIII, 3 : *Concupiscit, et deficit anima mea*. Inter atria Domini tenere, et inter atria Domini concupiscere et deficere, medium est atria Domini concupiscere et non deficere : secundum pertinet ad statum viatorum, primum est ad statum comprehensorum : ergo medium ad statum medium : hic autem est status beatissimæ Virginis : ergo atria Domini concupivit et non defecit : ergo requievit ibi.

5. Item, Isa. XI, 2 : *Requiescet super eum spiritus Domini*, etc. Bernardus : « Nimirum et super eam : » ergo super eam requievit spiritus sapientiæ. Sed

[1] Psal. XXIII, 3.
[2] Ibid.
[3] Psal. XIV, 1.
[4] Genes. XXVIII, 12.
[5] II ad Corinth. XII, 2.

requies est privatio motus : sed augmentum et diminutio non sunt sine motu : ergo si habuit spiritum requiescentem, fuit sine motu : ergo sine augmento : ergo in summo : ergo fructum charitatis habuit in summo.

6. Item, *Incorruptio facit esse proximum Deo* [1] : sed in beata Virgine fuit improportionabilis incorruptio : ergo improportionabilis proximitas Deo.

7. Item, Luc. xviii, 14 : *Qui se exaltat, humiliabitur*, etc. Sed beatissima Virgo fuit in summo humiliata : ergo in summo est exaltata. Cum igitur charitatis fructus sit elevatio ad cœlum, manifestum est ex his, quod beata Virgo habuit charitatis fructum in summo [2].

QUÆSTIO LXXXIV.

Utrum fructus qui est gaudium, fuerit in ipsa ?

Post hæc quæritur de secundo fructu, qui est gaudium, de quo

1. Glossa ibidem, quod gaudium est conscientiæ puritas, et elevatio animi in his quæ digna sunt se exaltantis : sed hæc tria, conscientiæ puritas, ut patuit supra, et elevatio animi, ut probatum est supra in proximo, et dignitates donorum spiritualium, fuerunt in beatissima Virgine in summo : ergo habuit fructum gaudii in summo.

2. Item, Psal. xcvii, 3 : *Viderunt omnes termini terræ salutare,* etc. Glossa dicit, quod visio salvationis est causa jubilationis : sed visione ista beata Virgo in summo vidit : ergo in summo jubilavit.

3. Item, Luc. ii, 10 et 11 : *Evangelizo vobis gaudium magnum,... quia natus est vobis hodie Salvator.* Improportionabiliter magis est nasci Salvatorem de se quam nasci sibi : ergo beatissima Virgo improportionabiliter omnibus causam gaudii habuit : ergo improportionabiliter gavisa fuit.

4. Item, Improportionabiliter magis est nasci sibi salvatorem Filium, quam sibi nasci Dominum : si enim *beata gens cujus est Dominus Deus ejus* [3], improportionabiliter est beatior cujus est Dominus Filius ejus : sed beatissimæ Virgini nascebatur filius, aliis omnibus Dominus : ergo improportionabilem causam aliis gaudendi habuit : ergo in summo gavisa fuit.

5. Item, Joan. xiv, 28 : *Si diligeretis me, gauderetis utique.* Hæc est immediata et per se : dilectio enim immediata causa gaudii. Sed beata Virgo habuit dilectionem in summo. Ergo et gaudium in summo.

6. Item, Luc. x, 20 : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Hoc est gaudium de prædestinatione æterna et de præsenti justitia : sed beata Virgo habuit præsentem justitiam in summo : ergo et gaudium in summo.

7. Item, Aliquis prædestinatur, ut sit servus Dei et filius per adoptionem :

[1] Sapient. vi, 20.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

[3] Psal. xxxii, 12.

aliquis, ut Filius Dei sit per Deum, ut Christus homo : aliquis, ut sit mater Dei per naturam : sed improportionabiliter majus est in aliquo esse matrem Dei per naturam, quam esse filium per adoptionem : ergo beatissima Virgo causam gaudii habuit in summo.

8. Item, Apostolus : *Gaudete in Domino : Dominus enim prope est*[1] : ergo proximitas est causa gaudii : sed beatissimæ Virgini in summo proximus fuit : ergo summum gaudium habuit.

9. Item, Apostolus : *Super omnia hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exsultet in cordibus vestris*[2]. Glossa : Charitas quæ est causa exsultationis : sed beatissima Virgo habuit charitatem in summo : ergo exsultavit in summo.

10. Item, Luc. XVII, 21 : *Ecce regnum Dei intra vos est.* Hoc regnum est pax, et justitia, et gaudium in Spiritu sancto. Beatissima Virgo improportionabiliter aliis plus habuit in corde de regno Dei : ergo improportionabiliter plus de gaudio in Spiritu sancto.

11. Item, Psal. LXXXVIII, 15 et 16 : *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam. Beatus populus qui scit jubilationem.* Præcessio misericordiæ est causa jubilationis : sed in beatissima Virgine præcessit misericordia in summo : ergo scivit jubilationem in summo.

12. Item, Tob. V, 12 : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video ?* Ergo attractio sensus et in luce esse et lumen cœli videre, est causa lætitiæ : hoc autem in beatissima Virgine fuit in summo : ergo habuit gaudium in summo.

13. Item, Beatissima Virgo fuit omnibus comprehensoribus et viatoribus causa gaudii et lætitiæ : ergo plus omnibus gaudii habuit et lætitiæ. Unde Sara in figura ejus dicit, Genes. XXI, 6 : *Risum fecit mihi Deus : quicumque audierit corridebit mihi.* Quasi diceret : Gaudium principaliter pertinet ad me, aliis autem ex consequenti et per me. Unde, Judith, XV, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

14. Item, Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant,* etc. Hic tanguntur duæ causæ gaudii. Messorum de fructu, et victorum de spoliis : sed beatissima Virgo habuit fructum in summo : ergo et gaudium in summo. Item, Beatissima Virgo habuit victoriam et spolia in summo, quæ ex faucibus Leviathan totum mundum quasi spolium eripuit : ergo gaudii fructum in summo possedit[3].

QUÆSTIO LXXXV.

Utrum fructus qui est pax, fuerit in ipsa ?

Post hæc quæritur de fructu qui est pax.

Quod fuerit in summo in beatissima Virgine, probatur hoc modo :

1. Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax omnibus,* etc. : beatissima Virgo omnibus improportionabiliter bonam voluntatem habuit : ergo et pacem.

[1] Ad Philipp. IV, 4 et 5.
[2] Ad Coloss. III, 14 et 15.
[3] Pro solutione objectorum, vide infra post quæst. XCIV.

2. Item, Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hæc est duplex pax, scilicet pax æternitatis et pax pectoris. Pax pectoris est quies a peccatis. Illam habuit beatissima Virgo in summo : in aliis enim quies a peccatis est cessatio peccandi : beatissima autem Virgo numquam cessavit, quia numquam peccavit : ergo beatissima Virgo habuit pacem pectoris in re, et pacem æternitatis improportionabili certitudine : ergo habuit fructum pacis improportionabilius omni viatore.

3. Item, Isa. XXXII, 17 : *Et erit opus justitiæ pax* : sed beatissima Virgo habuit justitiam in summo : ergo habuit pacem in summo.

4. Item, In Psalmo LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus* : sed improportionabiliter fuit locus Deo gratus in beatissima Virgine : ergo improportionabiliter pax.

5. Item, Mundus pacem ejus turbare non potuit : quia pauperrima spiritu fuit. Item, diabolus pacem ejus turbare non potuit : quia humilis in summo fuit. Sed nec caro eam turbare potuit : quia fomes in ea exstinctus fuit.

Et sic patet quomodo beatissima Virgo fructum pacis in summo habuit [1].

QUÆSTIO LXXXVI.

Utrum patientia fuerit in ipsa ?

Post hæc quæritur de patientia.

1. Psal. XCIII, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* : sed beatissima Virgo habuit dolorem passionis post Filium in summo : ergo fructum patientiæ in summo.

2. Item, Sicut se habet passio ad passionem, ita consolatio ad consolationem : Christus autem in passione summum dolorem habuit et summam consolationem : sed passio beatæ Virginis simillima fuit illi passioni : ergo consolatio consolationi.

3. Item, Proverb. XXXI, 6 : *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo :* sed beatissima Virgo habuit amaritudinem passionis in summo : ergo et siceram et vinum consolationis in summo.

4. Item, Isa. LXI, 3 : *Dabit eis Dominus coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris* : sed beata Virgo habuit luctum et mœrorem in summo : ergo et gaudium et consolationem in summo [2].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

[2] Ibidem.

QUÆSTIO LXXXVII.

Utrum longanimitas fuerit in ipsa ?

Post hæc quæritur de longanimitate. Glossa : « Longanimitas est in exspectatione boni. » Inde sic :

1. Bonum exspectatum reficit : sed beatissima Virgo improportionabile gaudium aliis exspectavit : ergo fructum longanimitatis improportionabiliter habuit.

2. Item, Bonum exspectatum non reficit nisi aliquo modo certum sit haberi : ergo ubi major certitudo de habendo, ibi major refectio in exspectando : sed beatissima Virgo habuit exspectationem omnibus aliis improportionabiliter certiorem : ergo omnibus aliis improportionabilem fructum habuit longanimitatis.

3. Item, Omnis alterius viatoris exspectatio est per modum esurientis : exspectatio autem Mariæ Virginis fuit per modum comedentis : sed improportionabiliter magis delectat exspectatio in comedendo quam in esuriendo.

Patet igitur, quod beatissima Virgo fructum longanimitatis habuit improportionabiliter viatoribus universis [1].

QUÆSTIO LXXXVIII.

Utrum bonitas fuerit in ipsa ?

Post hæc quæritur de bonitate. Glossa : « Bonitas est dulcedo animi : » sed

1. Secundum Philosophum dulce est, quod amaro est impermixtum : dulcius, quod amaro impermixtius : dulcissimum, quod amaro impermixtissimum : sed animus beatissimæ Virginis solus fuit omni amaritudine culpæ impermixtissimus : ergo ejus solius animus fuit dulcissimus.

2. Item, Hæc dulcedo est de bonis cognitis et habitis : sed beatissima Virgo bona nobilissima in se cognovit et habuit : ergo dulcissimi animi fuit.

3. Item, Psal. xxx, 20 : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te !* sed beatissima Virgo nobilissimum timorem, scilicet reverentiam habuit in summo : ergo habuit dulcedinem in summo.

4. Item, Judicum, vi, 36 et seq., legi-

[1] Pro solutione objectorum, vide notam post Quæst. XCIV.

tur, quod vellus dulci rore repletum, post hoc totam aream implevit. Per vellus significatur beatissima Virgo, quæ totum mundum dulcedine replevit : plus igitur dulcedinem habuit.

5. Item, ad Hebr. ix, 4 : In arca fuit urna *aurea habens manna.* Per arcam beata Virgo, per manna dulcedo summa signatur : ergo et ipsa in summo habuit dulcedinem.

6. Item, Eccli. xxiv, 27 : *Spiritus meus super mel ducis* : sed per mel communiter intelligitur quid dulcissimum, juxta illud Judicum, xiv, 18 : *Quid dulcius melle ?* ergo beata Virgo habuit majorem dulcedinem super omnem dulcedinem.

7. Item, Quanto arbor altior, tanto fructus ejus dulcior : sed fructus beatissimæ Virginis fuit altissimus : ergo fuit dulcissimus : quia ipse solus dulcissimus. Sed si fructus fuit dulcissimus : ergo et rami, juxta illud Jacobi, iii, 11 : *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam ?* Quasi diceret : Qualis intra, talis et extra : ergo cum ex beatissima Virgine summa dulcedo exivit, patet quod dulcissima fuit.

Patet igitur, quod dulcissima Virgo bonitatem et dulcedinem animi habuit in summo super omnes viatores[1].

QUÆSTIO LXXXIX.

Utrum mansuetudo fuerit in ipsa?

Post hæc quæritur de mansuetudine.

Est autem mansuetudo secundum Glossam tractabilitas :

1. Tractabilis autem est, qui habet bonos mores : boni autem mores sunt per virtutes : beatissima autem Virgo habuit virtutes in summo : ergo tractabilis fuit in summo.

2. Item, Jacob. i, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Glossa : Cum mansuetudine contra iram. Qui minus habet de ira, magis habet de mansuetudine : beatissima autem Virgo minus habuit de ira, imo omnino caruit ira : ergo habuit mansuetudinem in summo.

3. Item, Proverb. xiii, 10 : *Inter superbos semper jurgia sunt.* Ergo superbia per se est causa jurgiorum : ergo ubi plus est de superbia, plus de jurgiis : et ubi plus de jurgiis, minus est de mansuetudine : ergo per oppositum, ubi minus est de superbia, minus est de jurgiis et plus de mansuetudine : sed in beata Virgine fuit humilitas in summo : ergo et mansuetudo.

4. Item, Tractabilis dicitur, qui est omnibus conformis et conformabilis. Tractabilis igitur est, qui est omnibus omnia. Istud autem potest esse duobus modis, vel secundum genera singulorum, sicut Paulus qui effectus est *Judæis tamquam judæus* [2], etc. : vel secundum singula generum, et ille est simpliciter omnia omnibus : et hoc fuit beatissima Virgo : ergo beatissima Virgo fuit tractabilis in summo. Unde, Bernardus :

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

[2] I ad Corinth. ix, 20.

« Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est[1]. » Et infra : « Omnibus omnia facta est : sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona humanæ carnis substantiam. »

Item, Argui potest ex eo quod Ecclesia interpretatur eam diversis statibus et proprietatibus assimilando, dicens : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*[2], etc. Item, *In me gratia omnis viæ*[3], etc. Item, *Quasi cedrus exultata sum in Libano*[4], etc. Ex quibus omnibus argui potest ; quod ipsa est omnibus conformabilis : et ideo omnibus in summo tractabilis.

Item, Paulus fuit omnia in omnibus secundum assimilationem[5] : beatissima autem Virgo secundum veritatem. Item, Paulus diversis hominibus et statibus se pro tempore et loco conformavit secundum similitudinem et consuetudinem et condescensionem[6] : beatissima autem Virgo simul et semel diversis temporibus et etiam oppositis se conformavit secundum rem et veritatem rei simul : etenim secundum rem et matribus et virginibus se conformavit et viduis et hominibus et Angelis : et ideo fuit improportionabiliter tractabilior aliis viatoribus.

Sic igitur patet, quod beatissima Virgo habuit fructum mansuetudinis in summo[7].

QUÆSTIO XC.

Utrum benignitas fuerit in ipsa?

Post hæc : quæritur de benignitate quæ est, ut dicit Glossa, largitas rerum.

Quod autem illa fuerit in beatissima Virgine in summo, probatur hoc modo :

1. Largitas rerum consistit in dando : sed beatissima Virgo improportionabiliter omnibus dedit : ergo improportionabiliter plus omnibus larga fuit. Minor patet hoc modo : De Deo Patre dicit Apostolus : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit*[8]? Sed Deus dedit nobis Filium generando ipsum secundum divinam naturam, et ejus incarnationem operando : ergo et beata Virgo dedit nobis Filium ipsum generando secundum naturam humanam, ad ipsius incarnatio-

[1] S. Bernardus, Sermo de Assumptione : *Signum magnum*, etc.

[2] Eccli. xxiv, 23.

[3] Ibid., v. 25.

[4] Ibid., v. 17.

[5] Cf. I ad Corinth. ix, 19 et seq.

[6] Cf. Ibid.

[7] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

[8] Ad Roman. viii, 32.

nem carnem virgineam ministrando : ergo et ipsa Filium suum nobis dedit, et in eo nobis omnia contulit.

Item, Beatissima Virgo dedit omne dabile : ergo fuit magis larga omni viatore. MEDIA patet. Omne enim dabile est Deus vel creatura : ipsa autem dedit Deum mundo, et mundum et omnia Deo. De primo dicitur in libro Sapientiæ, VII, 12 : *Quoniam bonorum omnium mater est.* De secundo, ibidem, ℣. 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

2. Item, Psal. L, 20 : *Benigne fac.* Glossa : « Filium mittendo, et peccata dimittendo. » Sed inter omnes creaturas beatissima Virgo ad Filii missionem et peccati dimissionem sola officium et ministerium exhibet : ergo improportionabiliter plus omnibus dedit et dimisit : ergo improportionabiliter plus omnibus benigna fuit.

3. Item, I ad Corinth. XIII, 4 : *Charitas patiens est, benigna est.* Hæ sunt propositiones per se : ergo ubi charitas major, benignitas major : sed beatissima Virgo in summo habuit charitatem : ergo et benignitatem.

4. Item, Matth. V, 45 : *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Glossa : Benignus, quia *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*[1], etc. Sed post Deum beatissima Virgo in summo suo modo dedit nobis filios Dei fieri, per gratiam nos regenerando : ergo post Deum nobis in summo benigna fuit. MEDIA patet : Deus enim dedit nobis potestatem filios Dei fieri, per gratiam regenerando : beatissima autem Virgo dedit nobis potestatem filios Dei fieri, regeneratorem nostrum generando : unde, Luc. II, 7 : *Maria peperit filium suum primogenitum.* Unum filium secundum carnem genuit, in quo nos omnes secundum spiritum in filios Dei regeneravit[2].

QUÆSTIO XCI.

Utrum fides fuerit in ipsa ?

POST HÆC quæritur de fide.

Dicitur autem fides secundum Glossam, invisibilium certitudo. Intenditur autem delectatio ex certitudine tribus modis :

Primus modus est per scibilium pluralitatem, ut si est delectatio in sciendo, quanto plura sciuntur, tanto major est delectatio : sed beatissima Virgo plus aliis omnibus scivit : ergo plus omnibus hunc modum delectationis habuit.

Secundus modus est per nobilitatem et melioritatem scitorum, ut si est delectatio in sciendo talia, major delectatio erit in sciendo nobiliora et meliora : sed beata Virgo scivit improportionabiliter nobiliora et meliora ad sciendum aliis, scilicet Deum et Trinitatem et suam beatitudinem propriam : ergo ejus delectatio

[1] Joan. I, 12.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

quam habuit in sciendo, omnium aliorum delectationibus fuit improportionabilis : nihil enim delectabilius scire animæ quam scire Dominum Deum, et se ab ipso scire numquam separandam.

Tertius modus est per modum sciendi perfectiorem, ut si delectat aliquid scitum taliter scitum, plus delectat quod scitur perfectius : sed beatissima Virgo improportionabiliter plus scivit perfectum : ergo improportionabiliter perfectiorem habuit delectationem in sciendo.

Item, Munditia præcedit visionem, visio certitudinem, certitudo delectationem : sed beata Virgo habuit improportionabilem munditiam : ergo visionem : ergo certitudinem : ergo delectationem.

Sic igitur patet qualiter beatissima Virgo et plura scivit, et delectabiliora ad sciendum, et perfectiori modo sciendi omnibus aliis : et sic certitudinem invisibilium habuit excellentius omnibus aliis : ergo fructum fidei in summo habuit[1].

QUÆSTIO XCII.

Utrum modestia fuerit in ipsa?

Post hæc quæritur de modestia quæ, ut dicit Glossa, consistit in dictis, et in factis, et in sermone : sed hæc fuerunt in summo in beatissima Virgine, ut probatum est supra : ergo debebatur ei refectio in summo. Probatur :

1. Sicut enim se habet cibus ad cibum, ita delectatio ad delectationem.

2. Item, Sicut se habet virtus ad virtutem, ita actio ad actionem, et modus actionis ad modum : sed beatissima Virgo virtutes habuit in summo : ergo et actiones et modum : sed penes modificationem consistit modestia : ergo eam habuit in summo : ergo et fructum modestiæ.

3. Item, In virtutibus politicis virtus est medietas duorum extremorum : unde et in his modus consistit circa medium. In virtutibus autem theologicis tanto perfectius est virtutis esse, quanto major est elevatio et extensio ad consecutionem finis : unde modus ibi attenditur secundum majorem elevationem virtutis : fides enim tanto magis est virtus, quanto magis elevat potentiam ad credendum. Et simili modo spes tanto perfectius habet esse virtutis, quanto magis elevat potentiam ad sperandum. Similiter in amore modus est per modum in statu viæ elevare potentiam ad perfectissimum actum qui potest esse in statu viæ : hujusmodi autem elevatio fuit tantum in beatissima Virgine : ergo ipsa habuit modum tantum in summo : ergo ipsa habuit modestiam tantum in summo.

4. Item, Ad Roman. XII, 1 : *Rationabile sit obsequium vestrum*. Glossa : Ne quid minus vel nimis : hoc autem solum convenit beatæ Virgini præcise : ergo beata Virgo sola habuit fructum modestiæ in summo.

5. Item, In aliis viatoribus modestia est cohibitio et restrictio appetituum

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

inordinatorum a concupiscentia surgentium, et fructus modestiæ est refectio vel delectatio de hujusmodi cohibitione vel restrictione motuum inordinatorum, unde est quasi delectatio pugnatorum post victoriam, et sic est delectatio per modum pœnitentiæ. Modestia autem beatissimæ Virginis non est de restrictione appetituum inordinatorum qui in ea esse non possunt, sed est subjectio carnis perfecta et sensualitatis ad spiritum, secundum tale et tam plenum rationis dominium, quod non est possibile irascibilem vel concupiscibilem vel etiam rationalem excedere suum modum : et fructus modestiæ in ipsa non est super cohibitione vel restrictione motuum inordinatorum qui in ea non sunt, sed in ea est delectatio super eo quod hujusmodi motus ei non insunt nec inesse possunt. Et sic sua refectio est per modum innocentiæ : refectio autem aliorum fuit per modum pœnitentiæ : sed status innocentiæ excellit improportionabiliter statum pœnitentiæ in dignitate : ergo refectio per modum innocentiæ refectionem per modum pœnitentiæ, quia pœna potest demi, culpa perennis erit.

Sic igitur patet, quod beatissima Virgo fructum modestiæ imporportionabiliter excellentius omni viatore habuit [1].

QUÆSTIO XCIII.

Utrum continentia fuerit in ipsa ?

Post hæc quæritur de continentia quæ, ut dicit Glossa, est a licitis abstinere : et intelligitur de licitis et placitis : quia est virtus placitis abstinuisse bonis : et intelligitur hoc de placitis secundum sensum : quia non est virtus abstinuisse a bonis placitis secundum intellectum : illa enim sunt simpliciter bona et secundum virtutem appetenda : a bonis autem delectabilibus secundum sensum abstinendum : summe vero delectabile secundum sensum est actus generationis : ergo ab hoc abstinere est maximum virtutis.

1. Hoc autem est tribus modis secuncundum abstinentiam perfectam, vel perfectiorem, vel secundum perfectissimam : perfectam in conjugatis, perfectiorem in viduis, perfectissimam autem ut in virginibus, et ibi perfectior secundum quod virginitas perfectior : ergo simpliciter in summo, ubi est virginitas in summo : sed hæc in beatissima Virgine fuit in summo : ergo habuit fructum continentiæ in summo.

2. Item, Virtus est circa arduum et difficile : sed continentia secundum abstinentiam actus generationis maxime est ardua et difficilis naturæ corruptibili, præcipue circa partem quæ est corrupta et infecta : ergo ubi est illa abstinentia in summo, ibi erit continentia in summo : hæc autem fuit in beata Virgine : ergo ipsa habuit continentiam in summo.

3. Item, Licitum est quod nulla lege prohibetur : sed beatissimæ Virgini non est lex imposita : *justis enim non est lex*

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

posita [1]. Unde, ad Galat. v, 23, enumeratis fructibus subjungitur : *Adversus hujusmodi non est lex*. Ergo ei omnia licebant : omnibus autem aliis erat lex posita : ergo omnia erant ei improportionabiliter magis licita : ergo improportionabiliter aliis continentiæ ejus fructus erat major.

4. Item, Augmentat virtutem continentiæ abstinere a rebus non tantum licitis et placitis, sed ab aliquibus etiam debitis : erit ergo virtus continentiæ perfecta abstinere a licitis, placitis, et debitis : ergo a magis debitis abstinere erit major virtus : sed beata Virgo improportionabiliter abstinuit ab honoribus et rebus sibi debitis plus omnibus aliis creaturis : ergo sua continentia fuit improportionabilis omnibus aliis creaturis.

5. Item, Ubi augmentat virtutem continentiæ abstinere a magno et digno sib debito et licito in summo, ibi erit continentia in summo : sed honor et reverentia quæ debebatur ei in quantum era mater Dei, excellit omnem reverentian et omnem honorem debitum creaturæ ergo ipsa habuit fructum continentiæ ii summo.

Sic igitur patet qualiter beatissim Virgo abstinuit a summe licitis, a summ placitis, a summe arduis, a summe debitis, a summe dignis : et sic fructum continentiæ excellentius habuit omnibu creaturis [2].

QUÆSTIO XCIV.

Utrum castitas fuerit in ipsa ?

Post hæc quæritur de castitate quæ, ut dicit Glossa, est recte uti licitis.

Quod autem fuerit in beatissima Virgine in summo, probatur hoc modo :

1. Triplex est status, scilicet ante gratiam vel præter gratiam, in gratia, et in gloria. In primo statu fit operatio secundum naturam, in ultimo fit operatio secundum gloriam : sed inter hæc duo extrema, scilicet omnia operari secundum naturam, et omnia operari secundum gloriam sunt duo media, scilicet operari quandoque secundum naturam, quandoque secundum gratiam, et operari omnia super naturam semper et semper secundum gratiam : omnia operari secundum gloriam convenit comprehensoribus, secundun naturam corruptam vel incorruptam con venit hominibus sive peccatoribus siv non peccatoribus : operari vero quan doque secundum naturam, quandoqu secundum gratiam communiter conve nit viatoribus : ergo operari omnia supe naturam vel semper secundum gra tiam vel numquam sine gratia conve nit statui medio inter comprehensores e viatores : ille autem est status beatiss mæ Virginis : ergo id operari conven beatissimæ Virgini tantum : et illud ope rari est summe recte uti licitis : ergo e soli convenit recte uti licito : ergo et con venit castitas in summo.

[1] I ad Timoth. i, 9.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. XCIV.

2. Item, Omnes actiones humanæ sunt referibiles secundum actum viæ : ergo summe perfectus secundum statum viæ omnes actiones refert : hæc autem fuit beatissima Virgo : ergo ipsa retulit omnes actiones suas. Item, Apostolus, I ad Corinth. x, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite* : hoc autem est referre omnia ad gloriam Dei : et hujusmodi referre est uti : ergo contingit omnibus recte uti. Sed cum uti consistat in referendo, est enim secundum Augustinum [1] uti, id quod in usum venerit, referre ad obtinendum illud quo fruendum est, vel quod amatur, si tamen amandum est, sicut contingit referre differenter, ita contingit differenter uti : sed viatores contingit omnia referre habitualiter : solam Virginem contingit omnia referre etiam actualiter : ergo convenit ei uti omnibus improportionabiliter.

Quod autem nulli viatori conveniat posse referre actualiter, sic patet : Omnem alium necesse est peccare venialiter aliquando : sed quicumque peccat venialiter, non refert illum actum actualiter : ergo quemcumque necesse est aliquando venialiter peccare, illum impossibile est omnia referre actualiter : sed omnem viatorem, excepta beata Virgine, necesse est aliquando peccare venialiter : ergo ipsa sola potuit omnia referre actualiter.

Item, Inter habitum et statum medius est actus : ergo inter statum fruendi et habitum referendi medius est actus referendi : ergo inter frui Deo et omnibus in Deo actualiter, et inter omnia referre ad Deum habitualiter, medium est referre actualiter omnia ad Deum : primum pertinet ad statum comprehensoris, secundum ad statum viatoris : ergo medium ad statum medium : hic autem est status beatissimæ Virginis : ergo omnia opera sua in Deum retulit actualiter : et hoc est recte uti licitis in summo : ergo ipsa sola habuit in summo fructum castitatis [2].

Patet igitur, quod ipsa habuit omnes fructus Spiritus in summo.

Plenior solutio præcedentium quæstionum de gratiis gratum facientibus.

§ I.

Hæc autem concedimus omnia, et credimus esse vera, sicut ex veris et probabilibus per ordinem sunt probata.

Ad expressiorem tamen prædictorum intelligentiam, et ad videndum gratuitorum perfectionis differentiam, quam in plenitudine gratiæ beatissimæ Virginis omnifariam disputamus esse comprehensam, nota quod gratuita perfectio potest comparari ad duo, ad illud in quo est ut in subjecto, vel ad illud ad quod est vel ad quod ordinat ut ad actum, objectum, vel finem. Secundum comparationem quam habet ad illud in quo est, sumuntur fructus : perfectio enim gratuita delectat proprium subjectum et reficit ipsum, et secundum hoc appellatur *fructus*. Comparatio autem ad id ad quod est vel ad quod ordinat, potest esse duobus modis : potest enim esse illa comparatio vel secundum statum, vel secundum actum. Si secundum statum, sic sunt beatitudines, quæ determinant statum perfectum secundum perfectionem gratuitam per modum viæ, et est determinatio status per effectus completissimos et excellentissimos viæ, ut est omnia relinquere, sua et aliorum peccata deflere, et animam pro proximo ponere, et horum similia. Si autem illa fuit secundum actum, hoc potest esse dupliciter : potest enim perfectio esse gratuita quantum ad actus primos primo in agere gratuito perficientes, vel quoad actus secundos secundo quoad consequentes actus

[1] S. Augustinus, Lib. I de Doctrina christiana, cap. 4.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra immediate.

et excellentes perficientes. Si secundo modo, sic sunt dona. Si primo modo, hoc potest esse dupliciter : quia primo ista perfectio in esse gratuito potest esse liberando a malo et sanando, vel ad bonum ordinando. Primo modo sunt gratiæ sacramentales, secundo modo virtutes.

§ II.

Sufficientia autem horum omnium hæc est : Et primo, sacramentorum. Cum enim sacramentum sit medicina contra læsionem a malo, aut est contra indigentiam membrorum secundum se sigillatim, vel in corpore Ecclesiæ. Si secundum quod in corpore, sic dividitur duobus modis. Aut enim ad multiplicationem fidelium carnalem, et sic est matrimonium : vel spiritualem, et sic est ordo. Si autem est contra indigentiam membrorum secundum se, ista quadruplex erit. Prima est defectus originalis justitiæ per originalem culpam. Secundo, ex illo sequitur pronitas ad peccatum, ad quam tertio sequitur actuale peccatum, post quod quarto sequitur infirmitas ad recidivum. Contra primum defectum ordinatur baptismus, contra secundum confirmatio, contra tertium pœnitentia, contra quartum sacramentum Eucharistiæ. Post hæc est quædam pœnalitas quæ non tollitur omnino, ut quædam infirmitas ex parte orporis, et infirmitas venialis peccati ex parte animæ. Contra hanc ordinatur Extrema unctio.

§ III.

Sufficientia virtutum sumitur hoc modo : Virtutum quædam immediate sunt in Deum, quædam mediate. Immediate autem virtutes distinguuntur secundum delectabile trium virium motivarum, fides respectu veritatis, spes respectu arduitatis, charitas respectu bonitatis. Mediatæ vero sunt secundum tres actus trium virium, scilicet rationalis, irascibilis, et concupiscibilis, qui sunt discernere, aggredi, concupiscere. Penes discernere prudentia, penes concupiscere temperantia, penes aggredi fortitudo. Quarta, scilicet justitia, sumitur secundum ordinem ad alterum.

§ IV.

De sufficientia donorum. Donorum multiplicatio sic sit : Primus enim doni actus est aversio a malo pœnæ, aut a malo culpæ, aut ejus actus est in bonum. Si primo modo, erit donum timoris. Si autem fuerit in bonum, aut est ad bonum quod est ad finem, aut est ad bonum consilii, vel præcepti. Si est ad bonum præcepti, aut erit ut dirigens, aut ut exsequens. Si ut dirigens, est donum scientiæ. Si ut exsequens, sic est donum pietatis. Item, si ad bonum consilii, aut erit ut dirigens, aut ut exsequens. Si ut dirigens, sic est donum consilii. Si ut exsequens, sic est donum fortitudinis. Si autem est ad bonum ut est finis, aut erit ut dirigens, aut ut exsequens, Si ut dirigens, sic erit donum intellectus. Si ut exsequens, sic erit donum sapientiæ.

§ V.

Actus beatitudinum hoc modo sumuntur : Actus beatitudinum viæ, aut est in bonum, aut est in malum pœnæ, vel culpæ. Malum autem pœnæ, aut est ex compassione rei delectabilis, aut ex compassione rei tristabilis. Tristabile vero aut est ex compassione in præsenti inflicta, aut ex pœna originali contracta. Si

autem fuerit ex compassione rei delectabilis, abdicatio ejus est beatitudo paupertatis. Si ex compassione inflicta in præsenti, sic est militas. Si ex compassione originali contracta, sic est luctus. Si autem fuerit in bonum, aut in bonum increatum, aut in bonum creatum. Si autem fuerit in bonum increatum, aut in bonum consilii, aut in bonum præcepti. Si præcepti, sic est esuries justitiæ. Si consilii, sic est misericordia. Si autem fuerit in bonum creatum, aut quantum ad intellectum, aut quantum ad affectum. Si quantum ad intellectum, sic est munditia cordis. Si quantum ad affectum, sic est pacificatio. Et sic patet sufficientia beatitudinum.

§ VI.

Perfectio in virtutibus, aut est quantum ad actus interiores, aut quantum ad actus exteriores. Si ad exteriores, vel quantum ad gustum, vel tactum, vel quantum ad alios sensus. Si quantum ad gustum, vel tactum, sic erit abstinere a licitis, et hæc est continentia : vel recte uti licitis, et hæc est castitas. Si autem quantum ad alios sensus, sic est modestia. Si autem quantum ad actus interiores, aut ille erit irascibilis, aut concupiscibilis, aut rationalis. Si irascibilis, aut respectu illorum quæ sunt contra finem, et sic est patientia : vel respectu finis, et sic est longanimitas. Si autem est actus rationalis, vel est quoad Deum, vel quoad seipsum, vel quoad proximum. Si ad Deum, sic est fides : si ad seipsum, sic est bonitas quæ est dulcedo animi. Si autem est ad proximum, tunc vel est in bonum regendo motus concupiscentiæ, et sic est benignitas : vel in bonum regendo motus irascibilis, et sic est mansuetudo. Si autem sit actus concupiscentiæ, aut erit ad Deum, et sic est charitas : aut ad seipsum, et sic est gaudium : aut ad proximum, et sic est pax.

Concedimus ergo, quod istæ perfectiones secundum omnes status et diversitates excellentissime fuerunt in beata Virgine.

QUÆSTIO XCV.

Qualiter gratiæ gratis datæ fuerunt in B. Virgine ?

Viso de gratiis gratum facientibus qualiter fuerunt in beatissima Virgine, videndum est de gratiis gratis datis.

Et primo de his quas ponit Apostolus, I ad Corinth. xii, 8 et seq. : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ*, etc.

Primo igitur quæritur de sapientia quam habuit beatissima Virgo in contemplatione æternorum : et quæritur primo, an viderit Angelos et spiritualia per species proprias ?

§ I.

Utrum viderit Angelos et spiritualia par species proprias ?

Et videtur, quod sic :

1. Ipsa enim videre potuit et vidit spiritum increatum per speciem propriam : ergo et quemlibet alium.

2. Item, Gregorius : « Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident [1] ? » Sed ipsa videt videntem omnia : ergo vidit omnia.

3 Item, Philosophus dicit, quod intellectus cognoscit omnia propter seipsum cognoscendum : quidquid autem est secundum naturam cognoscitivum alicujus, cognoscit illud nisi impediatur : illa autem impedimenta secundum quod in superioribus dictum est, secundum Augustinum, sunt phantasmata corporalium, animæ per amorem conglutinatæ, quibus abstractis ipsa seipsam videt : sed ab his anima beatissimæ Virginis potuit seipsam abstrahere : ergo potuit seipsam videre per speciem propriam.

4 Item, Augustinus in libro de *Spiritu et Anima* : « Anima concupiscibilitatem, rationabilitatem, et irascibilitatem habet antequam corpori infundatur [2]. » Et intelligitur, quod non eam habet a corpore, sed a sua natura in se : ergo anima in se naturaliter est cognoscitiva. Et posito per impossibile, quod non infunderetur corpori, adhuc esset cognoscitiva, si non esset coarctata per aliam naturam : ergo apta nata est cognoscere omnia : sed inordinatum esset, quod aliquid esset cognoscitivum omnium aliorum, et non suiipsius : ergo naturaliter anima cognoscitiva est suiipsius et omnium aliorum : ergo cognoscet omnia et seipsam, nisi impediatur : hoc autem est impedimentum quod dictum est supra : sed in anima beatæ Virginis hoc fuit sublatum : ergo vidit seipsam et omnes Angelos et omnia creata. Unde Augustinus in libro de *Spiritu et Anima* : « Animus corporis dominator, rector, et habitator videt seipsum per semetipsum. Non quærit auxilium corporalium oculorum, imo vero ab omnibus corporeis sensibus tamquam impedientibus et perstrepentibus abstrahit se ad se, ut videat se in se, et noverit se apud se. Et cum vult Deum cognoscere, elevat se super se mentis acie [3]. »

5. Item, Philosophus dicit [4], quod non omnino et penitus difficillimorum est cognoscere, et aliquam fidem accipere de anima. Et intelligitur secundum suam substantiam : operationes enim et potentias ipsius et accidentia cognoscere non est difficilllimorum. Sic igitur cognoscere animam in se per suam speciem est de numero difficillimorum : ergo est de numero cognoscibilium : ergo secundum Philosophum, qui non habuit respectum ad gratiam, possibile est animam cognoscere per speciem propriam, licet difficulter : sed illa difficultas removetur per abstractionem a phantasmatibus corporalibus. Sed illa abstractio fuit completissima in contemplatione beatæ Virginis : ergo vidit Angelos et spiritus et animas in sui contemplatione, et substantias incorporalium.

6 Item, Philosophus in III de *Anima* ponit intellectum agentem. Et quod ille non sit pars animæ, sic probatur : Sicut in omni natura causa formalis quæ est faciens omnia, penitus alia est in essentia a causa materiali in qua fiunt omnia, et ex his duobus numquam componitur unum : ita se habet intellectus universaliter agens et intellectus possibilis in anima : ergo neque sunt idem in essentia, neque sunt partes componentes unum totum : ergo intellectus agens non est pars animæ, nec potentia.

Item, Nulla ars neque mechanica, neque liberalis, eadem est in essentia cum anima in qua est, neque est eadem in essentia cum materia quæ sustinet operationes venientes ab ipsa : sed intellectus agens se habet ita ad possibilem sicut ars ad materiam : ergo non sunt eadem in essentia, neque constituunt aliquid totum ut partes animæ.

Item, Nulla potentia est habitus : et

[1] S. Gregorius M., Lib. IV Dialog. cap. 33, et II Moral. cap. 3.

[2] S. Augustinus, Lib. de Spiritu et Anima, cap. 5.

[3] Idem, Ibid., cap. 2.

[4] Aristoteles, I de Anima, tex. 5.

intellectus possibilis dicit potentiam per se, intellectus vero agens ut habitus : ergo non sunt idem in essentia.

Item, Numquam lumen quod facit potentia colores actu esse colores, est idem in essentia cum coloribus qui fiunt actu, neque in sensitivo visus susceptivo coloris, neque constituunt aliquid unum essentialiter cum altero illorum : sed intellectus universaliter agens se habet ad species intelligibiles sicut lumen ad colores, et se habet ad intellectum possibilem ut lumen ad sensitivum visus : ergo non est essentia eadem intellectus possibilis et agentis, neque constituunt unum ut partes animæ.

Ex his rationibus et ex dictis Philosophi inductis patet, quod intellectus agens non sit pars animæ.

Item, Omnia quæ intus sunt in anima, proportionabilia sunt eis quæ sunt extra, et anima quodammodo est omnia, quia omnia cognoscit : ergo sicut est una omnia tamen faciens, sic species ipsius accepta in anima et intellectu omnia erit faciens in intellectu. Major patet in capitulo de *reminiscentia*. Minor in tractatu de *intellectu agente*. Intellectus enim per cognitionem creatorum venit in cognitionem primi principii secundum quod est causa omnium, et suscipit in se speciem intelligibilem ab ipso, et intellectus iste acquisitus in anima omnia facit in anima, eo quod dicitur intellectus agens universaliter facere.

Etsi quæritur, utrum contingat aliquem habere intellectum agentem, qui non novit primam causam, neque habet speciem acceptam ad cognitionem primæ causæ ? Dicimus quod homines non habent complete intellectum agentem hujusmodi, sed habent dispositionem quamdam fluentem a prima causa quæ dicitur lumen illuminans intellectum possibilem.

Et si quæratur, cum intellectus sit nobilissima pars animæ perfectissime cognoscens, minus indigens exteriori adminiculo quam aliæ partes, quare indigeat hujusmodi lumine, sensus autem et phantasia minime ? Dici oportet, quod minime indigeat hujusmodi lumine ad cognoscendum species intelligibiles, quæ prius sunt phantasmata, quia sic est minoris et debilioris potentiæ quam sensus et phantasmata, sed indiget lumine hujusmodi ad cognoscendum talia quæ sunt occulta naturæ, quæ non possunt apprehendi sensu vel phantasia, cujusmodi sunt substantiæ quæ in rebus sunt naturalibus phantasmata facientibus, ipsæ vero minime phantasmata facere possunt, et substantiæ hujusmodi sunt separatæ, ut Angeli, et separabiles, ut animæ, in quarum cognitione indiget intellectus tali lumine a primo principio infuso, et ad cognitionem ipsius primi principii. Et de hoc verum est quod dictum est quantum ad cognitionem talium specierum : quia sicut facit lumen potentia colores, actu colores, ita hujusmodi lumen impressum intellectui a primo principio facit hujusmodi species occultas potentia intelligibiles, actu intelligibiles.

Ex his etiam patet, quod physice procedendo, possibile est animam existentem in corpore spiritus et spiritualia et substantias corporis videre etiam sine præsentia gratiæ : ergo multo fortius anima beatissimæ Virginis elevata et abstracta gratiæ plenitudine.

Item, Secundum philosophiam oportet dici, quod intellectus habet duplicem potentiam, phantasticam dum in corpore est, et non phantasticam dum est separatus a corpore. Et sic ejus potentia phantastica est corruptibilis mediante phantasia, et in quantum talis, corruptibilis est, potentia vero sua per naturam simpliciter inest ei per naturam suæ substantiæ et non alio mediante, unde et ista potentia incorruptibilis est sicut sua substantia. Inde sic : Omne principium quod habet potentiam unam per se et secundum suam naturam, aliam vero mediante alio et per accidens, essentialius uti debet potentia quam habet per se, quam illa quam habet mediante alio et per accidens : sed intelle-

ctus hujusmodi potentiam habet duplicem : ergo utilius, nobilius et melius uti debet potentia quam habet per se, quam illa quam habet per accidens.

Item, Omnis intellectus qui habet unam potentiam per se, aliam per accidens, melius et verius uti debet et cognoscere per illam quam habet per se, quam per illam quam habet per accidens : ergo si est per accidens in corpore, nihil aufertur ei, sed magis confertur : quia dicitur de anima existente in corpore, quod omnia cognoscit et quodammodo dicitur omnia : ergo melius et verius cognoscet per potentiam non phantasticam, quam per potentiam phantasticam : ergo melius cognoscet spiritualia quam phantastica.

§ II.

Solutiones

Ad hæc dicimus, quod inconveniens est ponere substantiam sine potentia, et ponere substantiam perpetuam et potentiam ipsius non esse perpetuam. Similiter inconveniens est ponere potentiam intelligendi quam habet intellectus in corpore, esse perpetuam.

Unde nota, quod qualitates naturales sensibus propriis proportionabiles sunt, et appropriantur, quantitates vero sensui communi, substantiæ vero intellectui : hic enim est ordo cognitionis ipsius animæ dum est in corpore. Intellectus autem separatus a corpore, aut habebit eumdem ordinem intelligendi quem habuit in corpore, aut contrarium. Si eumdem : ergo erit idem modus intelligendi in corpore et extra corpus, quod est impossibile. Sed si proprium est ei cognoscere substantiam, et hoc est ei principale secundum se, tunc extra corpus habebit principaliter potentiam intelligendi substantiam, et secundum posterius accidentia : hæc autem potentia simul est creata cum intellectu, et est perpetua sicut intellectus perpetuus. Alterata autem hæc est potentia ex conjunctione ipsius cum corpore : ex conjunctione enim cum corpore cognoscit accidentia et substantias eo modo quo extra corpus cognoscere non potest : quia cognoscit accidentia non solum in illa habitudine in qua se habent ad substantias in quibus sunt, sed etiam in illa comparatione qua sunt principia permutationum, secundum quod generant suas species in aliis substantiis corporeis et incorporeis : secundum enim hanc habitudinem generant suas species in sensibus, ex quibus generatis in sensibus fiunt phantasmata in phantasia, et postea accipiuntur in intellectu, et per hujusmodi phantasmata cognoscuntur substantiæ, quæ phantasmata facere non possunt. Et sic ex conjunctione ipsius cum corpore potentia ipsius creata non phantastica incipit esse phantastica, id est, phantasmatum et per phantasmata aliorum cognitiva.

Et sic patet, quod per conjungi cum corpore alteratur potentia non phantastica in phantasticam : et sicut alii majores motus in anima quibus intendit anima, impediunt minores percipi ab anima, ita dum est in corpore manifestiores motus et majores rerum facientium phantasmata circa animam, impediunt percipi ab anima manifeste ea quæ phantasmata facere non possunt. Unde aliquando cum intellectus contrahit se in seipsum abstrahendo speculationem suam a sensu, multa percipit occulta, quæ per speculationem ipsius conjunctam speculationi sensuum percipere non potest.

Et sic iterum patet physice, quod anima in corpore etiam citra auxilium gratiæ gratum facientis, in contemplationem spirituum et spiritualium adspicere potest et adspectum dirigere et videre : ergo multo fortius beatissima Virgo auxilio gratiæ potuit hoc facere in sua contemplatione.

Item, Paulus scribitur in raptu vidisse

dispositionem cœlestis hierarchiæ et beato Dionysio revelasse : ergo multo fortius beatissima Virgo vidit statum Angelorum et triumphantis Ecclesiæ. Item, Martinus vidit dæmones. Item, Jacob vidit Angelos quando dixit : *Castra Dei sunt hæc* [1].

Ex his autem concluditur, quod beatissima Virgo in sua contemplatione poterat videre Deum, Angelos, et dæmones, et animam propriam, et substantias rerum corporalium per seipsas [2].

QUÆSTIO XCVI.

Utrum B. Virgo sciverit omnes artes mechanicas?

Post hæc quæritur de scientia quæ pertinet ad actionem. Et primo de mechanicis, et post hoc de liberalibus.

Quæritur igitur, utrum beatissima Virgo sciverit omnes artes mechanicas?

Et videtur, quod sic :

1. Omnis scientia de numero bonorum est : sed et nullum bonum defuit : ergo omnes scientias habuit.

2. Item, Bonum additum bono, facit ipsum magis bonum : ergo aut defuit ei aliquod bonum, scilicet scientia, vel non. Si non, habeo propositum. Si sic, illa addita magis bonum fieret.

3. Item, Natura non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis : ergo multo fortius gratia : sed quædam mechanicæ artes fuerunt beatæ Virgini necessariæ, sicut muliebres : quædam superfluæ, sicut viriles : ergo illas habuit, et non alias.

4. Item, Bernardus : « Quidam volunt scire ut sciant, et est curiositas : quidam volunt scire ut sciantur, et est vanitas : quidam ut ædificentur, et est sapientia : quidam ut ædificent, et est charitas [3]. » Et hi tantum duo ultimi modi non sunt in abusione scientiæ. Ergo omnis scientia non abusiva debet esse ad ædificationem sui et aliorum : sed scire mechanicas scientias viriles a beatissima Virgine non est ordinatum ad sui vel aliorum ædificationem : ergo ipsas nescivit [4].

[1] Genes. XXXII, 2.

[2] Pro solutione objectorum, vide etiam infra post Quæst. CXI.

[3] S. Bernardus, Serm. 36 super Cantica.

[4] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

QUÆSTIO XCVII.

Utrum sciverit mechanicas muliebres subtiliores et nobiliores, sicut eas quæ fiunt aurifrigiis, et sericis operationibus, et subtilibus suturis et texturis, et hujusmodi ?

Post hæc quæritur, utrum sciverit mechanicas muliebres subtiliores et nobiliores, sicut eas quæ fiunt aurifrigiis, et sericis operationibus, et subtilibus suturis et texturis, et hujusmodi ?

Et videtur, quod sic :

1. Ipsa enim, ut dicit Damascenus, a nullo illustrium vincitur : hæ autem sunt scientiæ et opera illustrium fœminarum : ergo, etc.

2. Item, Ipsa sua operatio fuit nobilissima : ergo humillima : sed major humilitas apparet scire nobilia et subtilia et operari vilia et communia, quam tantum scire vilia et operari talia : ergo videtur, quod beatissima Virgo debuit scire nobilia et operari vilia.

3. Item, Ista subtilia magis ordinantur ad vanitatem quam ad utilitatem : operatio autem Virginis gloriosæ tantum ad necessitatem fuit : ergo non erat circa talia.

4. Item, Beatissima Virgo perfecta fuit secundum actionem et contemplationem : unde, Luc. x, 42 : *Optimam partem elegit*. Bona est pars activorum, melior contemplativorum, sed optima ejus quæ perfecta in actione et contemplatione fuit, sicut fuit beatissima Virgo : ergo ipsa debuit habere opera actionis quæ contemplationi minime repugnarent : hæc autem sunt opera manualia grossa et communia quæ non requirunt multam attentionem cogitationis : ergo videtur, quod circa hujusmodi debet esset opus beatissimæ Virginis.

Quæritur autem, si scientiam mechanicarum habuit improportionabiliter aliis et excellenter ?

Et videtur, quod sic. Sicut se habet effectus ad effectum, ita causa ad causam : sed effectus causatus ab arte mechanica beatæ Virginis improportionabiliter excellit effectum causatum ab artibus mechanicis in aliis : ergo scientia mechanica in beatissima Virgine excellit scientiam mechanicam in quocumque. Minor patet ex hoc quia dignissimum ad quod ordinantur mechanicæ, est vestimentum : primo est anima, secundo corpus, tertio vestimentum : sed dignissimum omnium vestimentorum fuit tunica inconsutilis quam fecit beatissima Virgo : ergo ejus ars mechanica causabat nobilissimum effectum : ergo habuit scientiam artis mechanicæ in summo[1].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

QUÆSTIO XCVIII.

Utrum B. Virgo artes liberales sciverit in summo?

Post hæc quæritur de artibus liberalibus, utrum et illas scivit in summo beatissima Virgo ?

Et videtur, quod sic :

1. Proverb. ix, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem* : illa domus est beata Virgo, septem columnæ sunt septem liberales scientiæ : ergo beata Virgo habuit septem liberalium artium scientiam.

2. Item, Exod. xi, 2 : *Mulier petat a vicina sua vasa argentea et aurea.* Hoc exponunt Glossæ et sancti de scientiis sæcularibus : ergo debent secum scientias sæculares de mundo portare sancti : ergo et beatissima Virgo.

3. Item, Cantic. iv, 4 : *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Turris David est sacra Scriptura, clypei scientiæ physicæ : ergo scientiæ liberales pertinent ad munitionem Scripturæ sacræ : ergo sanctorum est illas scire : ergo et beatissimæ Virginis.

4. Item, Quidam sancti laudantur a talibus scientiis, sicut beatus Dominicus documentis artium eruditus satis, transivit ad studium summæ veritatis. Item, de beato Gregorio, studiis liberalibus nulli secundus. Ergo, etc. Item, de beato Vincentio et de sancta Catharina et multis aliis : ergo beatæ Virgini non debet deesse ista materia laudis [1].

QUÆSTIO XCIX.

Utrum sciverit Grammaticam ?

Post hæc quæritur de istis scientiis specialiter, et primo de grammatica, utrum illam sciverit beata Virgo ?

Et videtur, quod sic :

1. Luc. ii, 51 : *Maria conservabat omnia verba hæc.* Glossa : « In diversis prophetis : » ergo scivit legere. Et constat, quod intellexit : quia legere et non intelligere, negligere est : ergo scivit grammaticam.

2. Item, Damascenus dicit, quod in templo fuit enutritata, ubi virgines instruebantur.

3. Item, De Susanna legitur, quod

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

erudierunt filiam suam secundum legem Moysis[1] : principium autem eruditionis est grammatica : ergo beata Virgo scivit grammaticam in summo.

4. Item, Numquam peccavit in loquendo : ergo grammaticam scivit[2].

QUÆSTIO C.

Utrum sciverit Rhetoricam?

Post hæc quæritur de rhetorica.

Augustinus dicit de doctrina Christiana, quod in sacra Scriptura sunt diversi colores rhetorici : sed sacram Scripturam perfecte scivit beata Virgo : ergo et rhetoricam[3].

QUÆSTIO CI.

Utrum sciverit in summo jura civilia, leges et decreta?

Item, Quod jura civilia leges et decreta scivit in summo, patet hoc modo :

1. Sapientia advocati manifestatur in tribus. Unum, quod obtineat omnia contra judicem justum et sapientem. Secundo, quod contra adversarium astutum et sagacem. Tertio, quod in causa desperata. Sed beatissima Virgo contra judicem sapientissimum Dominum, contra adversarium callidissimum diabolum, in causa nostra desperata sententiam optatam obtinuit : ergo sapientissima advocata fuit.

2. Item, Sapientis est eligere advocatum sapientem : sed istam advocatam Spiritus sanctus elegit nobis, qui omnia cognovit : ergo ipsa sapientissima fuit.

3 Item, Aliqui advocati possunt injustum justum esse probare sophistice et non facere : sed beata Virgo hoc de nostra injustitia fecit : ergo improportionabiliter omnibus optime allegare scivit.

4. Item, Ipsa imperatrix fuit : ergo leges condere potuit, et legis interpretatio penes ipsam fuit, et omnia jura in arca sui cordis clausa habuit : ergo et beatissima Virgo jura omnia et rhetoricam in summo scivit[4].

[1] Daniel. XIII, 3.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

[3] Ibidem.

[4] Ibidem.

QUÆSTIO CII.

Utrum sciverit Logicam?

Post hæc quæritur de logica, quam quod sciverit, probatur hoc modo :

1. Hæc enim perutilissima est ad scientiam sacræ Scripturæ, et ad hæresum destructionem, et fidei confirmationem, et rationis redditionem de ea quæ est in nobis fide : ergo ista scientia maxime necessaria est sanctis: ergo et beatissimæ Virgini.

2. Item, Hieronymus dicit, quod liber Job continet propositiones, assumptiones, conclusiones. Et idem patet de aliis libris sacræ Scripturæ, in quibus sunt viæ diffinitionum, divisionum, argumentationum : hæc igitur omnia necessaria sunt ad sacram Scripturam : ergo et logica in qua docentur ista : sed beatissima Virgo perfecte scivit sacram Scripturam : ergo et logicam.

3. Item, Patet percurrendo logicæ partes, quæ sunt tentativa, sophistica, demonstrativa, dialectica. Tentativam enim in summo scivit : quia numquam in tentatione succubuit. Sophisticam in summo habuit : quia omnes astutias diaboli cognovit, et omnia sophismata sua patefecit. Dialecticam in summo habuit : quia nullius proprie ignorantiam habuit, et problemata solvere scivit. Demonstrativam habuit in summo : quia nobilissimam propriam passionem de nobilissimo proprio subjecto per semetipsam conclusit. Summe nobile subjectum est prima et summa bonitas : nobilissima propria passio est misericordia sive miseratio : hanc igitur propriam passionem de hoc subjecto beatissima Virgo conclusit, quando per eam tamquam per medium summe bonus Deus, in opere nostræ redemptionis summam misericordiam in se demonstravit. Quasi tali uteretur demonstratione : Quicumque aufert omne malum auferibile, et confert omne bonum conferibile, ipse est summe misericors : Deus homo in nostra redemptione abstulit omne malum auferibile, et contulit omne bonum conferibile: ergo est summe misericors Deus.

Sic igitur patet, quod beatissima Virgo habuit omnes partes logicæ in summo [1].

QUÆSTIO CIII.

Utrum sciverit Physicam et Medicinam?

Post hæc quæritur de physica et medicina.

1. Philosophus dicit, quod cognitio animæ ad omnina valet, maxime ad

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

scientiam naturalem : sed beatissima Virgo perfectissimam cognitionem animæ habuit : perfectissime enim cognovit se.

2. Item, Per diversas proprietates lapidum, specierum lignorum, et animalium, et cæterorum naturalium, diversa figurantur mysteria in sacra Scriptura : ergo sine notitia rerum, non est perfecta notitia Scripturarum sacrarum : sed beatissima Virgo perfecte sacram Scripturam scivit : ergo scivit naturas rerum.

3. Item, Nullus morbus eucratici adeo incurabilis quin sciret et posset eum curare : ergo habuit in summo scientiam medicinæ.

4. Item, Ipsa scivit curare solo verbo : ergo scivit medicinam in summo.

5. Item, Ipsa scivit curare corpus et animam : ergo scivit perfecte medicinam.

6. Item, Ipsa scivit sanare ad immortalitatem : ergo in summo habuit medicinam [1].

QUÆSTIO CIV.

Utrum scientiæ quadriviales fuerint in B. Virgine?

Post hæc quæritur de scientiis quadrivialibus, utrum fuerunt in beatissima Virgine?

Et videtur, quod non :

1. Quidquid enim est plenum gratia, nihil habet impertinens ad gratiam : beatissima Virgo fuit plena gratia, et scientiæ quadriviales sunt impertinentes ad gratiam : ergo beatissima Virgo non habuit scientiam quadrivialem.

2. Item, Nullus sanctorum laudatur de hujusmodi scientiis.

3. Item, Hieronymus cum studuisset in Cicerone, et in raptu cujus conditionis esset requireretur, respondit : « Christianus : » et dictum est ei : « Non es Christianus, sed Ciceronianus. »

4. Item, Sancti hujusmodi scientias appellant *curiosas*.

5. Item, Philosophus dicit, quod in mathematicis non est bonum : quia neque motus, neque operatio.

6. Item, Ibi nihil est utilitatis, neque delectatio : quia de talibus cogitatio est mentis perfectæ ad creaturas inclinatio, et consequenter delectationis quæ est in Deo interruptio et diminutio.

Ex his igitur videtur, quod beatissima Virgo non scivit mathematicas scientias.

Sed contra :

1. Ipsa fuit perfectissima secundum affectum : ergo et secundum intellectum : sed dilexit omnia diligibilia : ergo cognovit omnia cognoscibilia.

2. Item, Bonum additum bono, facit ipsum magis bonum, ut supra.

3. Item, Dicitur de Abraham, quod scivérit hujusmodi scientias, et per eas ditatus est : ergo beatissima Virgo eas scire debuit, cui bonum non defuit quod in aliis fuit [2].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

[2] Ibidem.

QUÆSTIO CV.

Utrum sciverit Musicam ?

Post hæc quæritur specialiter de musica.

Et videtur, quod in beatissima Virgine fuerit ejus cognitio.

1. Nam tam in veteri lege quam in nova fuerunt cantores et usus cantus ad cultum Dei : cantus autem recte scitur per musicam : ergo ad cultum Dei pertinet scientia musicæ : ergo fuit in beatissima Virgine.

2. Item, Quidquid perfectissimo auditui fuit delectabilius ad audiendum, illud maxime harmonicum fuit : sed auditus Filii Dei nobilissimus auditus fuit, vox matris sibi ad audiendum delectabilissima : ergo summe harmonica : ergo beatissima Virgo effectum musicæ habuit in summo[1].

QUÆSTIO CVI.

Utrum sciverit Astronomiam ?

Post hæc quæritur de astronomia.

Cum enim legitur, Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, etc., exponunt ibi sancti expositores plures cœlos.

Item, ibidem, ℣. 16 : *Fecit Deus duo luminaria magna.*

Item, ibidem, ℣ 14 : *Ut sint in signa et tempora.*

Item, ibidem, ℣. 7 : *Divisit aquas quæ erant sub firmamento*, etc.

Ex his omnibus patet, quod in sacra Scriptura agitur de sideribus et stellis, de quibus sunt scientiæ astronomiæ : ergo astronomia est necessaria ad theologiam : ergo beatissima Virgo scivit eam[2].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

[2] Ibidem.

QUÆSTIO CVII.

Utrum sciverit Arithmeticam?

Post hæc quæritur de arithmetica quæ est de numeris.

1. Numeri in sacra Scriptura sunt mystici, et secundum diversitatem numerorum diversa per eos signantur, ut patet in ternario, senario, et denario, et hujusmodi, ut patet in multis Scripturis et Glossis. Ergo cognitio numerorum necessaria est in sacra Scriptura: ergo arithmetica.

2. Item, Computationes annorum fiunt sæpe in sacris Scripturis, ut de Jacob, de Isaac, et sic de aliis: ergo scientia algorismi necessaria est ad sacram Scripturam.

3. Item, Festa diversa aguntur et in Scriptura agi describuntur, ad quæ necessaria est scientia Computi: ergo et illa necessaria est ad sacram Scripturam.

Ex his igitur manifestum est, quod scientia arithmeticæ utilis et necessaria est theologiæ: ergo fuit in beata Virgine[1].

QUÆSTIO CVIII.

Utrum sciverit Geometriam?

Post hæc quæritur de geometria.

In sacra Scriptura sunt diversæ mensuræ et mensurationes. Mensuræ ephi, bati, cori, modii, et consimiles mensurationes, ut patet in tabernaculo, et in templo[2]. De hujusmodi autem est scientia geometriæ et consimiles: ergo hujusmodi scientiæ necessariæ sunt theologiæ[1].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

[2] Cf. Ezechiel. XLV, 10 et seq.

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

QUÆSTIO CIX.

Utrum sciverit perfecte Theologiam ?

Post hæc quæritur de metaphysica et primo de theologia.

Quod autem perfecte scivit beata Virgo theologiam, videtur :

1. Psal. cxviii, 104 : *A mandatis tuis intellexi* : ergo impletio mandati intellectum auget operanti : sed beatissima Virgo mandatum in summo implevit : ergo theologiam in summo intellexit.

2. Item, Psal. cxviii, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum* : sed beata Virgo sola numquam pede affectus offendit : ergo lucerna verbi perfectissime eam illuminavit.

3. Item, In Ezechiele, i, 19 : *Cum ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea.* Quæ exponens beatus Gregorius dicit, quod cum elevantur doctores in vita, honoratur et exaltatur in eis scientia : sed beatissima Virgo habuit elevatissimam vitam : ergo talem habuit scientiam theologiæ.

4. Item, Apostoli sciverunt theologiam, cum non didicissent : ergo multo fortius beata Virgo.

5. Item, Ipsa habet aureolam prædicatorum : ergo scivit scientiam theologiæ.

6. Item, De Cæcilia legitur : « Virgo gloriosa semper Evangelium Christi in pectore portabat : » ergo multo fortius beatissima Virgo.

7. Item, I Joan. ii, 27 : *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Glossa : « Ad salutem pertinentibus : » sed beata Virgo improportionabiliter fuit uncta : ergo omnia improportionabiliter scivit ad salutem pertinentia : hæc autem est theologia : ergo scivit theologiam.

8. Item, Deuteronomius est in arca : arca figurabat beatam Virginem, Deuteronomius legem : ergo beatissima Virgo scivit totam legem. Item, Exod. xii, 10, legitur : *Residuum igne comburetis* : ergo non omnia Scripturæ mysteria agnoscere possumus. Sed, ibidem : *Non remanebit ex eo quidquam usque mane.* Glossa, id est, indiscussum usque mane resurrectionis. Ex his duabus auctoritatibus videtur, quod scivit super communem statum sanctorum omnes Scripturas intelligere. Et cum inconveniens sit ponere, quod aliquid a Spiritu sancto sit dictum, quod a nullo sit intellectum, juxta illud Isaiæ, lv, 10 et 11 : *Quomodo imber et nix descendit de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram... : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum.* Ex hoc autem concluditur, quod perfecta cognitio omnium Scripturarum secundum intellectum ipsius Spiritus sancti loquentis per Scripturas, pertinet ad statum qui est super communem statum viatoris : hic autem est status beatissimæ Virginis : et sic theologiam scivit improportionabiliter universis[1].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXI.

QUÆSTIO CX.

Utrum sciverit materiam libri Sententiarum?

Post hæc quæritur de materia libri *Sententiarum*.

Materia enim primi libri ad duo reducitur, ad materiam de Trinitate, et ad materiam de prædestinatione et potentia Dei et voluntate: sed de hac materia plurimum scivit, quæ potentiam Dei et bonitatem in summo experta fuit in se.

Secundus liber est de Angelis et de operibus sex dierum et de statu hominis: sed hæc omnia scivit perfectissime beata Virgo: ergo secundum librum Sententiarum scivit in summo.

In tertio agitur de Incarnatione Verbi et virtutibus: sed in summo illam scivit, quæ Incarnationem per experientiam cognovit, et virtutes in summo in se novit.

In quarto legitur de sacramentalibus gratiis et resurrectione: gratias sacramentales in summo habuit, ut patuit in superioribus: corpus etiam habuit post corpus Dei simillimum corporibus resurrectionis quæ sunt immunia a culpa et a pœna, corpora aliorum sanctorum in via sunt obnoxia culpæ et pœnæ: et inter hæc fuit corpus beatissimæ Virginis medium, existens in pœna et a culpa immune: et ita habuit corpus simillimum corporibus resurrectionis, et ita maxime cognovit naturam corporum resurrectionis.

Ex his igitur patet, quod beatissima Virgo Bibliam et Sententias in summo habuit[1].

QUÆSTIO CXI.

Utrum sciverit omnia?

Ultimo quæritur, utrum sciverit omnia?

Et videtur, quod sic:

Joan. xvi, 13: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: ergo creatam et increatam. Sed si dicitur, quod non intelligatur de omni veritate simpliciter et universaliter, hoc non potest dici: quia quod Scriptura promittit, universaliter promittit: quare glossaretur particulariter, cum beneficia principum sunt largissime interpretanda.

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post quæst. CXI.

Item, Intellectus est pure naturaliter cognoscitivus omnium : ergo habebit proprie cognoscibile oppositum : sed constat, quod non est restrictus ad cognoscendum aliqua, ita quod aliqua et non alia : ergo naturaliter omnia cognoscit : et videtur, quod sit Deus ejus oppositum : ergo anima beatissimæ Virginis potuit scire omnia divina.

Item, Omnia laudant Deum et sunt homini materia laudis divinæ : ergo homo tenetur in omnibus et de omnibus Deum laudare : ergo omnia tenetur anima cognoscere.

Item, Omnia facta sunt propter hominem : ergo homo tenetur de omnibus gratias agere : ergo omnia cognoscit.

Item, Scire omnia est quoddam bonum. Aut igitur anima beatissimæ Virginis fuit capax illius boni, aut non. Si sic : ergo summe bonus hoc ei communicavit. Si non, quæritur quod sit id quod beatissima Virgo non potuit scire, et cujus non fuerit capax per modum viæ, nec erit assignare.

Item, Inter scire quædam ex parte, et scire omnia perfecte, est medium, scire omnia per modum viæ. Primum pertinet ad communem statum in via, secundum pertinet ad comprehensores in patria : ergo medium pertinebit ad statum medium : hic est status beatissimæ Virginis : ergo beatissima Virgo scivit omnia per modum viæ.

Item, Christus scivit omnia per modum patriæ, Apostoli per modum viæ : ergo beatissima Virgo quæ fuit media, scivit omnia per modum viæ.

Item, Sicut persona ad personam, ita scientia ad scientiam, et gratia ad gratiam : sed post personam Filii Dei non potest esse persona dignior et similior ei quam persona matris Dei : ergo sicut persona immediate se habet ad personam, ita gratia ad gratiam, et scientia ad scientiam : sed ad scire omnia per modum patriæ immediatum est scire omnia per modum viæ : sed Christus scivit omnia per modum patriæ : ergo beatissima Virgo scivit omnia per modum viæ.

Item, Anima Christi scivit omnia quæ Deus, nec tamen æqualis est ei in scientia per modum sciendi : sed sicut anima Christi immediate se habet ad Deum, ita anima beatissimæ Virginis ad animam Christi : ergo anima beatissimæ Virginis scivit omnia quæ anima Christi, sed imperfectiori modo.

Sed contra :

1. Sancti in patria nihil sciunt nisi ad beatitudinem pertinentia : ergo sancti in via tantum pertinentia ad beatitudinem viæ sciunt.

2. Item, Scire omnia per modum viæ aut esset scientia tantum secundum habitum, quæ non exit in actum, et sic est frustra : aut secundum actum, et sic esset scientia distractiva viatoris circa hujusmodi particulares creaturas, et esset elevationis et conjunctionis mentis cum Deo impeditiva : ergo nociva. Sed contra illud videtur esse, quod in Angelis est duplex scientia, scilicet vespertina et matutina, et una non est impeditiva alterius. Sed hoc non est simile ad propositum : quia comprehensores vident omnia uno intuitu, sed non viatores.

3. Item, In patria evacuabitur omne impertinens ad gloriam : ergo in beatitudine viæ evacuabitur omne impertinens ad gratiam.

4. Item quæritur, Utrum beatissima Virgo habuit cognitionem vespertinam et matutinam [1] ?

Responsio ad Quæstiones XCV, XCVI, etc., de scientia.

Ad solutionem horum notandum est, quod beatissima Virgo in cognitione sua plura habuit privilegia.

[1] Pro solutione objectorum, vide infra immediate.

Primum est perfecta cognitio Trinitatis Dei sine medio, quam habuit in via per specialissimam gratiam.

Secundum est perfecta cognitio mysterii Incarnationis : et hanc habuit per gratiam et singularem experientiam.

Tertium est cognitio suæ prædestinationis, quam habuit per revelationem et causam.

Quartum est animæ suæ et spirituum per proprias species cognitio, quam habuit dispositive per naturam, completive per gratiam, et per hanc vidit Angelos et animas et dæmones.

Quintum est perfecta cognitio omnium ad statum viæ pertinentium, quam habuit per gratiæ infusionem et inspirationem : et hæc comprehendit perfectam cognitionem Scripturarum, operandorum, et contemplandorum.

Sextum est cognitio omnium circa se futurorum, quam habuit per revelationem et in speculo lectionum.

Septimum est omnium ad statum patriæ pertinentium cognitio, quam habuit per contemplationis revelationem.

Octavum est omnium creaturarum cognitio, quam habuit per naturam et gratiam et contemplationem.

Nonum est, quod habuit vespertinam et matutinam cognitionem, matutinam per gratiam, vespertinam per naturam et per gratiam.

Decimum est conclusio ex prædictis omnibus, quod nullius proprie habuit ignorantiam.

Unde ad objecta solventes dicimus, quod beata Virgo sufficienter perfecta fuit per habitum naturæ et gratiæ in operationes exire, et finem consequi cujuslibet scientiæ : et hæc scientia exivit in actum et operationem, quando, ubi, qualiter, et quantum ordinabatur sibi in beatitudinem et aliis in salutem. Habuit etiam perfectam cognitionem omnium ad suam beatitudinem secundum statum viæ pertinentium, et nullorum inutilium et ad gratiam impertinentium : unde ipsius anima beatissima nulla habuit in se inutilia vel impertinentia, sed per totum gratiæ fuit plena : unde omnia quæ fuerunt in ipsius anima, vel naturalia, vel acquisita, sic erant gratia informata vel cum gratia conjuncta, ut omnia essent gratuita : unde omnis scientia ejus gratuita, omnis dilectio gratuita, omnis operatio gratuita, ut sine omni restrictione largissima et verissima interpretatione esset omnifaria gratia plena.

Ex his patet solutio ad objecta.

QUÆSTIO CXII.

Utrum B. Virgo habuerit fidem, quæ est gratia gratis data?

SEQUITUR in epistola I ad Corinth. XII, 9 : *Alteri fides*. Glossa : « Constantia fidei vel sermo fidei. »

Quod autem beatissima Virgo plus habuit de fide sic sumpta, sic probatur, quia

1. Ejus fides numquam defecit nec fuit intercepta : aliorum constantia fuit deficiens et intercepta : ergo ipsa vicit omnes in fidei constantia. Unde illud solet exponi de ea, Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat.*

2. Item, Aliorum fides amissibilis fuit : ipsius inamissibilis : ergo ejus fidei constantia fuit aliorum improportionabilis.

3. Item, Latera civitatis *sunt æqualia*, sicut dicitur in Apocalypsi, xxi, 16 : sed charitas omnino improportionabilis fuit aliorum charitati : ergo et fides fidei.

4. Item, I ad Corinth. xiii, 7 : *Charitas omnia credit.* Item, Marc. ix, 22 : *Omnia possibilia sunt credenti.* Sed ex ejus fide secutus est effectus improportionabilis fidei aliorum.

5. Item, Matth, xvii, 19 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit : et nihil impossibile erit vobis* [1] : sed ad ipsius dictum quando dixit, Luc. i, 38 : *Fiat mihi secundum verbum tuum*, summus montium tulit se et misit se in mare amarum, id est, Mariam : ergo ejus fides habuit maximum effectum : ergo major fuit aliorum.

6. Item, Abraham ponitur in exemplum maximæ fidei : *qui contra spem in spem credidit* [2], scilicet quod credidit seni de vetula filium nasciturum. Sed beata Virgo credidit de se Virgine nasciturum Deum : ergo ipsa improportionabiliter superavit Abraham in fide : ergo et omnes alios : quidquid enim superius est superiore, superius est et inferiore.

7. Item, Gregorius : « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum : » sed illud creditum maxime fuit super rationem et experimentum : ergo habuit maximum meritum et maximum fidei habitum et actum.

Ex his omnibus manifestum est, quod beata Virgo imperatrix omnium in constantia fidei superat omnes viatores [3].

QUÆSTIO CXIII.

Utrum habuerit gratiam sanitatum?

Sequitur : *Alii gratia sanitatum* [4]. Glossa : « Curandi infirmos. »

Quod autem hæc maxime fuerit in beata Virgine, patet :

1. Ipsa enim totum hominem sanum fecit in anima et corpore. *Altissimus creavit medicamenta de terra* [5]. Illa, inquam, medicamenta de quibus dicitur, Eccli. xliii, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ*, id est, caro Christi, de terra quidem nata, sed nullo pondere prægravata, ultra puritatem Angelorum exaltata, subito Spiritu sancto operante formata et lineamentata.

2. Item, Eccli. xxiv, 41 : *Ego quasi fluvii dioryx*, quod est medicamentum generationis, *exivi de paradiso*, id est, de beata Virgine, quæ fuit paradisus voluptatis a principio, in quo posuit Deus hominem, id est, Christum quem formaverat.

3. Item, Nullus morbus fuit ei incurabilis : ergo vicit omnes in gratia sanitatis.

[1] Cf. Marc. xi, 23.
[2] Ad Roman. iv, 18.
[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.
[4] I ad Corinth. xii, 9.
[5] Eccli. xxxviii, 4.

4. Item, Etiam post mortem curat morbos et mortem fugat.

5. Item, Quos curat, sanat ad immortalitatem : ergo superavit omnes in gratia sanitatis. Sic igitur patet qualiter beatissima Virgo habet gratiam sanitatis in summo[1].

QUÆSTIO CXIV.

Utrum habuerit operationem virtutum?

Sequitur : *Alii operatio virtutum*[2]. Glossa : « Operatio miraculorum contra naturam. »

Quod autem habuerit in summo hanc beata Virgo, patet

1. Ex eo quod omnium miraculorum miraculosissimum et novissimum est illud quod ejus fide media constat esse factum, scilicet quod Deus homo, mater virgo. Unde, Isa. LXVI, 8 : *Quis audivit umquam tale ?* Jerem. XXXI, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fæmina circumdabit virum.* Ergo ipsa habuit gratiam miracula faciendi in summo :

2. Item, Miraculum est arduum et insolitum super facultatem consistens admirantis : hoc autem totum fuit hic in summo.

3. Item, Alii fecerunt miracula præter naturam, vel contra naturam, sed ipsius fide factum est miraculum super naturam : ergo patet qualiter excellit omnes in opere virtutum[3].

QUÆSTIO CXV.

Utrum habuerit prophetiam?

Sequitur : *Alii prophetia*[4]. Glossa : « Prædicere futura. »

Quod autem hanc habuit in summo Virgo beata, videtur quod sic : quia

1. Prophetia est divina inspiratio : ergo ubi improportionabiliter Spiritus sancti præsentia est et gratia et inhabitatio, ibi improportionabiliter inspiratio et

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

[2] I ad Corinth. XII, 10.

[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

[4] I ad Corinth. XII, 10.

prophetia : hæc autem fuit in beatissima Virgine, juxta illud Lucæ, I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. : ergo in summo ipsa habuit spiritum prophetiæ.

2. Item, Spiritus sanctus *in animas sanctas se transfert, et amicos Dei et prophetas constituit*, sicut dicitur, Sapient. VII, 27. Ubi igitur improportionabiliter translatio, ibi improportionabilis prophetia et amicitia : hoc autem totum fuit in sanctissima anima Dominæ omnium creaturarum : ergo habuit prophetiam in summo.

3. Item, Matth. XI, 13 : *Prophetæ et lex usque ad Joannem.* Et ille fuit propheta et plusquam propheta : quia solem digito demonstravit : sed improportionabiliter plus est solem generare et nobis dare, quam demonstrare : ergo si propter demonstrationem Joannes dictus est propheta et plusquam propheta, multo fortius beata Virgo propter generationem prophetissa dicetur.

4. Item, Isa. VIII, 3 : *Accessi ad prophetissam.* Glossa : « Virginem Mariam : » dicitur enim ipsa propter excellentiam prophetissa : ergo ipsa excellit in prophetia.

5. Item, Si Caiphas eo *quod esset Pontifex anni illius* prophetizavit, ut dicitur, Joan. XI, 49 : ergo improportionabiliter beata Virgo omnium regina imperatrix in æternum, super omnes gratiam prophetiæ debet habere.

6. Item, Quod hanc gratiam habuerit, per effectum demonstravit, quando conscia secretorum et præscia futurorum ministris nuptiarum dixit : *Quodcumque dixerit vobis facite* [1], ut prævidens spiritu prophetiæ, quod Filius ejus aquam in vinum voluit convertere [2].

QUÆSTIO CXVI.

Utrum habuerit discretionem spirituum?

Sequitur : *Alii discretio spirituum* [3]. Glossa : « Ut discernant quo spiritu fiant. »

Quod autem hanc habuerit in summo beatissima Virgo, probatur hoc modo :

1. I ad Corinth. II, 15 : *Spiritualis homo judicat omnia* : sed ipsa improportionabiliter aliis spiritualis fuit : ergo ipsa improportionabiliter aliis omnia judicavit : ergo super omnes discretionem spirituum habuit.

2. Item, Paulus non ignoravit *astutiam* sapientium, sicut dicitur, I ad Corinth. III, 19. Et ecce plusquam Paulus.

3. Item, In Vitis patrum : Quis evitabit hos laqueos? Responsum est : Sola humilitas : sed ipsa improportionaliter omnibus fuit humilis : ergo improportionabiliter fuit indeceptibilis universis.

4. Item, Numquam fuit decepta.

[1] Joan. II, 5.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

[3] I ad Corinth. XII, 10.

3. Item, Proprium est spiritus nequam tentare de superbia : ipsa autem summe fuit humilis : ergo a spiritu superbiæ maxime fuit invincibilis. Sic patet, quod discretio spirituum in summo fuerit in beatissima Virgine[1].

QUÆSTIO CXVII.

Utrum habuerit genera linguarum?

Sequitur : *Alii genera linguarum*[2]. Quod autem hanc gratiam non habuerit in summo, videri potest :

Linguæ enim *in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus*[3]. Sed ipsa fidelissima fuit : ergo donum linguæ non debuit habere.

2. Item, Ipsa non debuit prædicare : ergo non debuit donum linguæ habere. Item, Glossa, ibidem : « Ut euntes per mundum intelligant linguas hominum. » Sed ipsa non debuit sic ire per mundum : ergo non debuit habere donum linguarum.

Sed contra :

1. Ipsa est advocata omnium : ergo debet scire linguas singulorum.

2. Item, Act. II, 3 : *Seditque supra singulos eorum* Spiritus sanctus : sed ipsa fuit cum eis quando *apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis* : ergo accepit donum linguæ cum ipsis.

3. Item, Cum diversis hominibus conversabatur : ergo indiguit dono linguæ.

4. Item, A nullo illustrium vincitur in aliquo : ergo habuit donum istud omnibus aliis excellentius[4].

QUÆSTIO CXVIII.

Utrum habuerit interpretationem sermonum?

Sequitur : *Alii interpretatio sermonum*[5]. Glossa : « Exponere Scripturas. »

Sed quod hanc in summo habuit beata Virgo, patet ex determinatis, ubi probatum est quod omnes Scripturas intellexit.

2. Item, Non est verbum quod Domi-

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

[2] I ad Corinth. XII, 10.

[3] I ad Corinth. XIV, 22.

[4] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

[5] I ad Corinth. XII, 10.

nus non revelavit servis suis, sicut testatur Amos, III, 7 [1]. Ergo multo plus matri. Cætera ut supra.

Sic igitur manifestum est, quod beata Virgo omnium gratiarum gratis datarum perfectionem in summo possedit, etiam hunc gratiarum novenarium [2].

QUÆSTIO CXIX.

Utrum conveniat B. Virgini quod sit Apostola ?

Consequenter quæritur de illis gratiis quæ ponuntur in epist. ad Ephes. IV, 11 : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos.*

Et videtur primo, quod non conveniat beatissimæ Virgini, quod sit Apostola :

1. Hoc enim opus est ministeriale : unde ibidem subjungitur, ℣. 12 : *In opus ministerii* : sed ministerium non cadit in operationes omnium : ergo nec apostolatus.

2. Item, Super illud Dionysii : « Hierarchia est ordo divinus, scientia, et actio [3], » dicit Commentator, quod officium sine actione negligentia est : sed beatissima Virgo non exercuit actum prædicationis : ergo nec debuit habere officium.

3. Item, Luc. VI, 13 : *Elegit duodecim ex ipsis*, scilicet discipulis, *quos et Apostolos nominavit* : ergo beatissimæ Virgini non convenit donum apostolatus.

Contra :

1. Joannes de se dixit, Joan. I, 23 : *Ego vox clamantis*, etc. Quasi diceret : Non prædico tantum voce oris, sed ego ipse totus sum vox, ita quod omnia mea, vita, victus, vestitus, locus prædicant pœnitentiam : sed sicut omnia Joannis prædicant pœnitentiam, ita omnia beatæ Mariæ Virginis prædicant innocentiam. Si igitur Joannes habet gratiam et donum prædicationis, qui est *vox clamantis in deserto* : ergo multo fortius beata Virgo habet donum apostolatus : ergo est vox clamantis in cœlo.

2. Item, Proprietas Apostolorum est, quod sunt lux mundi : sed beatissima Virgo in summo illuminavit mundum : ergo prædicationis in summo exercuit officium.

3. Item, Officium Apostolorum vel prædicatorum est reconciliare peccatores : sed hoc convenit beatæ Virgini in summo : ergo habuit in summo apostolatum.

4. Item, Dominus dicit, Joan. VII, 16 : *Mea doctrina non est mea*, illi attribuens a quo habuit essentiam : sed sicut habuit naturam divinam a Patre, ita habuit humanam naturam a matre : ergo sicut sua doctrina in quantum Deus fuit a Patre, ita doctrina sua in quantum fuit homo, fuit a matre : ergo mater omnia quæ Filius docuit, prædicavit nobis.

5. Item, Joan. XVI, 13 : *Non enim loquetur a semetipso*, dicit Dominus de

[1] Amos, III, 7 : *Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.*

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

[3] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 3.

Spiritu sancto : ergo sicut Spiritus loquitur ab illo a quo est, ita Filius loquetur a matre in quantum homo est.

Cætera ut supra in aureola prædicatorum[1].

QUÆSTIO CXX.

Utrum conveniat ei quod sit Prophetissa ?

Sequitur : *Alios Prophetas*[2]. Glossa : « Scripturæ explanatores : » sed

1. Ipsa Maria est totius legis explanatrix : ergo in summo est propheta vel prophetissa.

2. Item, Joannes dicitur propheta et plusquam propheta[3], quia Deum digito demonstravit : ipsa autem eum genuit, et sic seipsam matrem et virginem demonstravit corpore, et sic ipsum Filium virginis in prophetis et scripturis promissum corpore et opere demonstravit, et sic summa prophetissa fuit.

3. Item, Quod sexus non repugnat, patet : quia in Novo et in Veteri Testamento prophetissæ fuerunt. Unde, Luc. ii, 36, Anna prophetissa commemoratur. In Actibus Apostolorum, xxi, 9, Philippus qui filias habuit quæ prophetabant.

Cætera vero ut supra de prophetia[4].

QUÆSTIO CXXI.

Utrum conveniat ei quod sit Evangelista ?

Sequitur : *Alios vero Evangelistas*[5].

Lucæ, ii, 51 : *Et mater ejus*, scilicet Maria, *conservabat*, etc. Ut cum tempus prædicandæ vel describendæ incarnationis adveniret, sufficienter omnia prout essent gesta, posset explicare.

Cætera ut supra de aureola prædicatorum[6].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

[2] Ad Ephes. iv, 11.

[3] Matth. xi, 9 et Luc. vii, 26.

[4] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

[5] Ad Ephes. iv, 11.

[6] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXII.

QUÆSTIO CXXII.

Utrum habuerit donum pastoris?

Sequitur : *Alios autem pastores*[1].

Qualiter hoc donum habuit beatissima Virgo, quære in tractatu de *sacramento ordinis*, et qualiter nos pavit, in tractatu de *beatitudinibus* in gradibus paupertatis. Sic igitur habuit etiam beatissima Virgo hunc quaternarium gratiarum.

Responsio ad quæstiones de gratiis gratuitis et gratis datis.

Ex his manifestum est, quod beatissima Domina habuerit universitatem gratiarum gratuitarum et gratis datarum : quod omnifarie credimus esse verum.

Solutio objectorum

Ad solutionem objectorum in contrarium, dicimus taliter distinguendo, quod donorum gratis datorum et non gratum facientium, quædam in ministerium dantur et non in proprium profectum, ut prophetia Balaam et Caiphæ : quædam in proprium profectum sui et non aliorum, ut dona instructionis beatissimæ Dominæ. Et talium quædam dantur ad perficiendam indigentiam, quædam ad decorandam potentiam, et quædam ad nobilitandam creaturam et honorandam personam. Et sic habuit beatissima Virgo hujusmodi dona non ad ministerium, sed ad decorationis cumulum, ad perfectionis et delectationis augmentum, in materiam laudis et honoris incrementum et omnium bonorum spiritualium complementum.

QUÆSTIO CXXIII.

Qualiter B. Virgo fuerit multifarie præfigurata?

Dicto qualiter beatissima Virgo habuit omnes gratias communes, sequitur videre qualiter habuerit speciales, quas in aliis sanctis est reperire. Talium autem quædam sunt quæ pertinent ad generationem sive vitæ ingressum, quædam ad conver-

[1] Ad Ephes. iv, 11.

sationem, quædam autem ad mortem.

Circa generationem inveniuntur quinque quæ sunt præfiguratio, prophetizatio, annuntiatio, miraculosa conceptio, in utero sanctificatio.

Primo igitur, quod qualiter beatissima Virgo multifarie præfigurata fuerit, sic erit manifestum :

1. Numer. XVII, 8 : *Invenit*, scilicet Moyses, *germinasse virgam Aaron*. Glossa : « Mariam quæ sine virili semine genuit Verbum. » Ecce qualiter in textu cum Glossa sequitur, quod illa virga fuerit figura Virginis gloriosæ.

2. Item, Exod. III, 2 : *Et videbat*, scilicet Moyses, *quod rubus arderet, et non combureretur*. Quod hoc fuerit figura beatissimæ Virginis, probat Ecclesia non disputando, sed cantando et determinando : « Rubum quem viderat Moyses incombustum, » etc.

3. Item, Luc. I, 5 : *Et nomen ejus Elisabeth*. Glossa : « Elisabeth, Dei mei saturitas, et Mariam significat, quæ Deo plena fuit. »

4. Item, Si annuntiatio et conceptio Isaac signat conceptionem Christi : ergo et Sara signat Mariam.

Ex his patet, quod beatissima Virgo fuit præfigurata.

Qualiter autem et quibus figuris, multifariam multisque modis patet, videlicet in creatis, in factis, in visis, et conjugatis.

In creatis, Genes. I, 1 et seq : *In principio creavit Deus cælum et terram*, id est, beatam Virginem, quæ cælum et terra fuit, id est, cælestem et terrestrem simul duxit vitam, id est, angelicam et humanam habuit conversationem. Item, Cælum et terra fuit : quia simul et altissima dignitate et infima humilitate. Item, Cælum et terra fuit : quia purissima virginitate et fecundissima maternitate Virgo et mater simul fuit : ergo, etc. Item, Hac prima die facta est nubecula, de qua postea factus est sol. Quid autem est nubecula materia corporis solaris, nisi beata Virgo mater et materia corporis Salvatoris?

In secundo die positum est *firmamentum in medio aquarum*, quod habet fixas stellas in sui ornamentum, *et dividit aquas ab aquis*. Et quid est nisi beatissima Virgo quæ habet stellas duodecim, id est, coronam duodecim stellarum, id est, omnium sanctorum in capite suo positam in medio aquarum, id est, sanctorum viæ et sanctorum patriæ, divisa prius ab utrisque existens supra communem statum viæ et infra statum patriæ, communicans cum utrisque, habens cum superioribus virtutum perfectionem, cum inferioribus merendi conditionem. Item, Cum superioribus securitatem contra casum, in inferioribus possibilitatem ad meritum. Item, Cum superioribus exsultationem, cum inferioribus cordis compassionem.

Tertiæ diei opus est congregatio aquarum *in locum unum*, id est, in virginalem uterum congregativum omnium gratiarum, sed in hoc est differentia, quod congregatio gratiarum vocatur Maria, media correpta, congregatio gratiarum appellatur Maria, media producta. Illa congregatio aquarum brevis est et transitoria, juxta illud Apocalypsis, XXI, 1 : *Et mare jam non est*. Hæc autem est perpetua, juxta illud Lucæ, X, 42 : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*.

Quarto die fecit Deus duo luminaria magna, majus ut præesset diei, minus ut præesset nocti, solem scilicet et lunam. Quid autem per lunam nisi Virgo beatissima luci conformissa et divina claritate plena figuratur? Luna, ut legitur in libro *Sententiarum*, facta est propter diei et noctis vicissitudinem, propter noctis declarationem, propter operantium in nocte consolationem, et quia quædam animalia sunt quæ lucem diei ferre non possunt. Hæc autem omnia operatur Virgo lucidissima. Est enim quies laborantium, quies et decus mortalium, solatium operantium, umbraculum infirmorum, refri-

gerans misericordiæ umbra quos reverberat sol radiis justitiæ.

Quintæ diei opus est formatio avium et piscium. Et quid sunt aves et pisces, nisi beata Virgo, quæ ut piscis natabat in mari tribulationum, et ut avis volavit super pennas ventorum in cœlo contemplationis?

Sextæ diei opus est formatio hominis, et positio in paradiso voluptatis. Quid autem est paradisus voluptatis, nisi beatissima Virgo, in qua Deus Pater posuit hominem, id est, Christum in die conceptionis?

Sic igitur beatissima Virgo in omnibus operibus sex dierum est expressissime figurata.

Non tantum in creatis, sed etiam in factis est præfigurata, ut patet in arca Noe, in iride, in tabernaculo Moysi, in arca testamenti, in candelabro, in propitiatorio, in templo, in throno Salomonis, in ostio, in domo Salomonis, et in multis aliis.

Similiter in visis et imaginatis invenitur figurata, ut est rubus Moysis [1]. Sedes sapphirina super firmamentum [2]. Mons de quo pretiosus lapis est abscissus sine manibus [3]. Figurata est etiam in arbore tangente cœlum [4] : in porta clausa [5] : in vellere Gedeonis [6] : in fonte parvo qui crevit in fluvium maximum [7] : in porta templi speciosa [8] : in muliere amicta sole [9].

Similiter et in conjugatis Rebecca et Rachele, in Judith vidua, et in Esther conjugata, in Sara sterili, et in Elisabeth matre Joannis Baptistæ.

Ex his omnibus sufficienter manifestum est, quod beatissima Virgo in creatis, et factis, visis, et conjugatis est multipliciter figurata.

QUÆSTIO CXXIV.

Utrum fuerit prophetata?

Post hæc videtur, quod fuerit prophetata.

Isa. xi, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse.* Glossa : « Virgo Maria. » Vel alia Glossa : « Virgam et florem Judæi Christum suum interpretantur : quia in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo. Nos vero per virgam Mariam intelligimus, cui nullus frutex peccati adhæsit. » Vel alia Glossa : *Egredietur virga.* Glossa : « Prophetia de nativitate, ut tota Ecclesia cantat, Virgo Dei genetrix virga est, flos Filius ejus. »

Item, Numer. xxiv, 17 : *Orietur stella ex Jacob.*

Item, Isa. iv, 2 : *Fructus terræ sublimis.* Glossa : « Virginis Mariæ. »

Item, Isa. viii, 3 : *Accessi ad prophetissam.* Glossa : « Virginem Mariam ».

Ex his patet, quod nativitas beatæ Virginis est multipliciter prophetata.

[1] Exod. iii, 2.
[2] Ezechiel. i, 26.
[3] Daniel. ii, 34.
[4] Ibid., iv, 17.
[5] Ezechiel. xliv, 2.
[6] Judicum, vi, 36 et seq.
[7] Esther, x, 6.
[8] Act. iii, 10.
[9] Apocal. xii, 1.

QUÆSTIO CXXV.

Utrum fuerit annuntiata?

Post hæc probatur, quod fuerit annuntiata, hoc modo :

1. Joannes fuit annuntiatus et alii sancti minores, ut Isaac et Samson : ergo et beatissima Virgo debuit annuntiari.

2. Item, Appropinquante lucifero annuntiatur aurora : sed Joannes fuit lucifer et fuit annuntiatus : beatissima autem Virgo aurora : ergo potius debuit annuntiari.

3. Item, Laborantibus maxime debuit annuntiari ortus auroræ, juxta illud Genesis, xxxii, 26 : *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Ergo nobis debuit maxime annuntiari ortus consurgentis auroræ, quæ quando surrexit, nos secum surgere fecit, et ad surgendum excitavit.

4. Item, Damascenus : « Joachim ergo venerandam et dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum vetus Anna sterilis facta per votum et repromissionem habuit Samuelem, ita et hæc per supplicationem et repromissionem a Deo Deiparam profert, ut et in hoc a nullo illustrium vincatur[1]. » Ecce expresse patet, quod beata Virgo fuit annuntiata.

QUÆSTIO CXXVI.

Utrum fuerit miraculose concepta?

Post hæc probatur, quod erat miraculose concepta : quia

1. Si a nullo illustrium vincitur, et minus illustres sunt miraculose concepti : ergo et ipsa.

2. Item, Dicit Damascenus, quod per supplicationem et repromissionem fuit nata : ergo supernaturaliter.

3. Item, Signatum perfectius est signo : sed figuræ beatissimæ Virginis fiebant divina voluntate per se operante et non humana : ergo beata Virgo exivit in esse, natura superiori agente contra inferiorem : ergo supernaturalis fuit ejus conceptio.

[1] J. F. Damascenus, Lib. IV de fide orthodoxa, cap. 15.

QUÆSTIO CXXVII.

Utrum fuerit in utero sanctificata ?

Post hæc probatur, quod fuerit in utero sanctificata, hoc modo :

1. Ecclesia celebrando festivat ejus nativitatem : ergo fuit sancta quando fuit nata : ergo fuit sanctificata in utero.

2. Item, Joannes fuit sanctificatus in utero : ergo et beata Virgo. Prima patet, Luc. i, 15 : *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.*

Item, Jeremias fuit sanctificatus in utero. Ergo et beatissima Virgo. Prima patet, Jerem. i, 5 : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te.*

3. Item, Omnis sanctificatus in utero, ordinatur ad sanctum in utero : ergo quod immediatiorem et propinquiorem relationem habet ad sanctum in utero, illud potissimum debet sanctificari in utero : sed non potuit immediatior esse revelatio ejus quod uniebatur verbo ad aliquid aliud quam ad illud unde sumebatur illud sanctum quod uniebatur : hoc potissimum fuit beata Virgo : ergo potissimum fuit et debuit in utero sanctificari.

4. Item, Jeremias dicitur in utero sanctificatus propter expressiorem prophetiam de sancto in utero. Item, Joannes in utero sanctificatus propter digiti demonstrationem. Ergo multo fortius beatissima Virgo propter ipsius conceptionem et generationem.

5. Item, Dicit Anselmus : « Ea puritate beata Virgo nitebat, qua major sub cœlo nequit intelligi [1]. » Sed puritas Dei hominis est peccatum originale nec habere nec umquam habuisse : major quidem post illam est originale habuisse, sed statim et ab illo omnino mundatum esse : ergo beata Virgo debuit quidem in originali concipi, sed statim ab illo mundari : ergo debuit in utero sanctificari.

6. Item, Bernardus ad Canonicos Lugdunenses : « Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in ipsam descenderit, quæ non solum ipsius sanctificaret ortum, sed etiam vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod alteri nemini in natis mulierum creditur esse donatum, etc., ut supra. » Ex ultima auctoritate manifestum est, quod beatissima Virgo in utero sanctificata fuit.

Quod autem ejus sanctificatio omnes excellit, in hoc notatur, quod alii post talem sanctificationem ad minus venialiter peccaverunt : unde dicitur de Joanne :

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.

Ipsa autem ita sanctificata fuit, quod peccare non potuit, ut infra inter privilegia patebit.

Sic igitur manifestum est qualiter beatissima Virgo fuit præfigurata, et prophetata, et annuntiata, et miraculose con-

[1] S. Anselmus, Lib. de Conceptu virginali, cap. 18.

cepta, et in utero sanctificata : et sic constat eam omnes speciales gratias habuisse, quas contingit ortum sanctorum decorare.

QUÆSTIO CXXVIII.

Utrum B. Virgo habuerit speciales gratias quæ circumstant conversationem ?

Post hæc videndum est de specialibus gratiis quæ circumstant conversationem : quæ specialitas gratiæ innuitur quoties aliquis sanctorum specialiter a Deo diligitur vel amicus Dei appellatur. Verbi gratia, in veteri Testamento dicitur Dominus specialiter amare Abraham, et hoc propter fidem, juxta illud Genesis, xv, 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* : et amicus Dei appellatus est [1]. Sic enim Deus loquebatur cum eo.

Item, Moyses propter mansuetudinem, quia mitissimus fuit hominum qui fuerunt in terra, amicus Dei appellatus est, cum quo loquebatur facie ad faciem sicut solet homo loqui amico suo [2].

Item, David propter humilitatum : invenit enim *virum secundum cor suum Dominus* [3].

Item, In Novo Testamento Joannes Evangelista propter virginitatem, quem scilicet specialis prærogativa castitatis speciali dilectione fecerat dignum, et erat discipulus quem diligebat Jesus [4].

Item, Legitur, Joan. xi, 5, quod diligebat *Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum* : et constat, quod hoc fuit propter hospitalitatem per quam ipsi et alii quidam placuerunt Deo.

Item, Nicolaus propter misericordiam appellatus est *amicus Dei.*

Sed hæc dona excellentissime fuerunt in beata Virgine. Si enim dilexit Dominus Abraham propter fidem qua credidit de vetula et vetulo filium nasciturum, vel qua credidit filium moriturum et resurrecturum, multo fortius diligebat beatam Virginem propter fidem qua credidit se Virginem Deum parituram et Virginem permansuram.

Item, Si dilexit Moysen propter mansuetudinem, et hanc dilexit, quia est Virgo singularis inter omnes mitis.

Item, Si dilexit David propter humilitatem, hanc etiam dilexit, quia, ut dicit Augustinus, numquam exaltata super choros Angelorum fuisset, nisi fuisset humillima omnium hominum.

Item, Si dilexit Joannem propter virginitatem : et ecce plus Joanne : hæc enim Virgo virginum : hoc autem Joannes non fuit.

Item, Si Mariam, Martham et Lazarum propter hospitalitatem dilexit, hæc ipsum in utero suo hospitavit, carne vestivit, lacte cibavit : quod Martha non fecit.

Item, Si Nicolaum propter misericordiam dilexit : et hanc, quia regina misericordiæ.

[1] Cf. Judith, viii, 22.
[2] Cf. Exod. xxxiii, 11.
[3] I Regum, xiii, 14.
[4] Joan. xxi, 20.

Ex his omnibus manifestum est, quod omnes speciales gratiæ quas circa conversationem aliorum sanctorum est reperire, in nostra gratiosissima Virgine superant et eminent manifeste.

QUÆSTIO CXXIX.

Utrum mortem præsciverit?

Post hæc quæritur de gratiis specialibus circa mortem, quæ videntur etiam esse quinque, scilicet mortem præscire, morituram invitare, mori sine dolore, statim evolare, in anima et corpore statim resurgere.

Ad primum, scilicet quod mortem suam præsciverit, videtur a minori:

1. De sancto Martino legitur et cantatur: « Beatus Martinus longe ante obitum suum præscivit. » Item, Beatus Petrus scivit, quod velox esset dispositio tabernaculi sui [1]. Item, Joannes scivit supervenisse diem mortis suæ. Cum igitur omnes isti præsciverunt diem mortis suæ, ergo et beata Virgo omnium aliorum Domina præscivit.

2. Item, Proverb. xiii, 12 : *Spes quæ differtur, affligit animan.* Si igitur tempus præscitum et determinatum, et præscientia pœnæ auferendæ lætificat, et incertitudo anxietatem generat, ergo ad beatitudinem viæ pertinet præscire mortem determinate. Sic igitur patet, quod beatissima Virgo habuit primam gratiam quæ circumstat mortem.

3. Item, Ad hoc idem : Omnis homo mortem suam vellet præscire libenter : ergo et ipsa : sed quidquid voluit scire, fuit ei revelatum nisi aliqua ratio hoc impediret : sed illud nulla ratio impedivit : ergo ei revelavit.

4. Item, Quæ est ratio quare aliquibus revelatur, aliquibus non ? Si dignitas, et ipsa dignissima. Si charitas, et ipsa charissima. Si desiderium, juxta illud Danielis, ix, 23, qui fuit *vir desideriorum*, et ipsa cupiebat summe dissolvi et esse cum Christo. Quæcumque igitur causa assignari potest, in beatissima Virgine excellentior fuit quam in aliis : ergo sibi potius debuit revelari quam aliis.

5. Item, Inter præscire transitum et operari, et inter nec præscire nec operari, medium est præscire et non operari : primum convenit Christo, secundum aliis viatoribus : ergo medium convenit beatissimæ Virgini quæ habet statum medium [2].

[1] II Petri, i, 14.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXXII.

QUÆSTIO CXXX.

Utrum Dominus matrem suam invitatam deduxerit?

Post hæc quæritur de invitatione et deductione.

Quod autem Dominus matrem suam invitatam deduxerit, videtur per locum a minori : quia

1. Dominus apparuit charo suo Joanni, et dixit : Dilecte mi, veni, etc. Si hoc fecit Christus Joanni, ergo potius matri. Item, si Joanni quia charus, ergo potius matri quæ in infinitum charior fuit.

2. Item, Dicitur, I Paralip. xv, 3, quod David deduxit arcam in suam domum, etc. Item, ibidem, ỳ. 29, qualiter luserit ante arcam, etc. : ergo Christus matrem suam specialiter deduxit.

3. Item, Opus misericordiæ est sepelire mortuos : ergo et Pater misericordiarum potissime debuit exsequiis matris interesse, et eam sepulturæ commendare : sed ipsius sepeliri, fuit in cœlo super omnes choros Angelorum assumi : ergo debuit hoc Filius in persona propria et corporali præsentia facere[1].

QUÆSTIO CXXXI.

Utrum B. Virgo mortem sine dolore subierit?

Post hæc quæritur de ipsius morte, si fuerit sine dolore?

Et videtur primo, quod non :

1. Ita enim se habet mors ad mortem, sicut vita ad vitam : sed vita Dominæ nostræ inter omnes vitas simillima fuit vitæ Domini nostri Jesu Christi : ergo mors morti : sed ista dolorissima fuit : ergo et illa.

2. Item, Ratio assignatur quare mors Domini fuit dolorissima sive asperrima : dicitur enim, ut oportet, quia ubi est nobilior naturarum conjunctio, ibi major est delectatio : sed in quorum conjunctione major est delectatio, in illorum separatione major est dolor : unde cum anima Christi nobilissima fuerit conjuncta nobilissimo corpori, et in illorum conjunctione maxima fuit delectatio, et in separatione maximus fuit dolor. Unde, Thren. i, 12 : *O vos omnes qui transitis per viam*, etc. Sed eadem causa fuit in

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. CXXXII.

beatissima Virgine secundo loco in summo. Ergo in ipsius morte maximus fuit dolor post dolorem Christi.

3. Item, Inter quæcumque major est pax, illorum delectabilior est commansio : sed in corpore beatissimæ Virginis et in anima sua maxima pax fuit ad invicem, quia spiritus adversus carnem non concupivit, nec e converso : ergo et delectabilior commansio : ergo et maximus in separatione dolor.

In contrarium est quod

1. Legitur in prologo super Joannem de Joanne, quod facta oratione positus est ad patres suos, tam extraneus a dolore mortis, quam a corruptione carnis : sed improportionabiliter beata Virgo aliena fuit a corruptione carnis : ergo improportionabiliter plus debuit esse aliena a dolore mortis.

2. Item, Damascenus [1] : « Sed ipsa beata et super naturam donorum digna effecta dolores quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens : et quem Deum per nativitatem agnovit, illum ut maleficum interfectum videns, tamquam gladio cogitationibus decerpitur. Et hoc est : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*[2]. » Ex hac auctoritate infertur, quod si dicimus, quia Dominus non judicabit bis in idipsum, et ille dolor reputatur ei gladius. Ergo sicut post gladium non est dolor, ita nec post istum gladium debuit sustinere dolorem mortis.

3. Item, Ille gladius reputatur ei per æquipollentiam pro martyrio : sed post martyrium non est dolor mortis : ergo neque post hunc gladium qui æquipollet ei.

4. Item, Ratione hujus doloris debetur ei aureola martyrum : ergo post hunc non est dolor mortis.

5. Item, Moyses propter abstractionem spiritus secundum actum a viribus inferioribus non sensit defectum sitis et famis quadraginta diebus et noctibus [3]. Similiter et Elias [4]. Ergo si delectatio spiritus talis et tanta taliter et tantum abstraxit hic sensum passionis, et tantum et tamdiu interrupit : ergo major magis abstrahit et magis interrumpit, et improportionabiliter major improportionabiliter magis abstrahit et interrumpit : sed improportionabiliter abstrahi a corpore super illud abstrahi quod est secundum actum, est istud abstrahi quod est secundum substantiam, et improportionabiliter interrumpi quod est semper, est super illud interrumpi quod est ad tempus : ergo improportionabiliter delectatio major potest abstrahere animam a corpore secundum substantiam et excludere omnem pœnam : ergo beatissima Virgo mortua fuit præ amore sine dolore.

6. Item, Paulus nescivit in raptu utrum in corpore vel extra corpus [5] : ergo intensior raptus animam secundum substantiam abstrahere potest.

7. Item, Majores motus impediunt minores, et natura inclinat ad carnem et ad corpus : sed charitas inclinat a corpore ad Christum, juxta illud Apostoli, ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo :* ergo tantum potest intendi inclinatio sursum, quod separatur et abstrahitur ab inclinatione deorsum : ergo charitas tantum potest sursum trahere, quod anima separetur a corpore, et sic morietur præ amore.

8. Item, Duorum dolorum major est medicina minoris : sed anima secundum charitatem dolet esse separata a Deo, secundum naturam vero dolet dividi a corpore : ergo ille tantum potest intendi, quod istum non contingit sentiri : ergo potest mori sine dolore.

9. Item, Quidquid aptum natum est

[1] S. J. Damascenus, Lib. IV de fide orthodoxa, cap. 15.

[2] Luc. II, 35.

[3] Exod. XXXIV, 18.

[4] Cf. III, Regum, XIX, 8.

[5] II ad Corinth. XII, 2.

inducere languorem si continuetur et intendatur, potest inducere mortem : sed amor potest inducere languorem : ergo et mortem. Minor patet, Cantic. II, 5: *Quia amore langueo*. Glossa : « Præ amoris magnitudine omnia temporalia fastidio. »

Ex his patet, quod beatissima Virgo præ amore et sine dolore mortua fuit [1].

An autem statim evolaverit, disputabile non est : quia nihil purgabile habuit.

QUÆSTIO CXXXII.

Utrum statim in corpore et anima assumpta fuerit?

Postea quæritur, si statim in anima et corpore assumpta fuerit?

Et videtur, quod non.

1. Primo per sermonem Hieronymi : « Cogitis me, o Paula, » etc. ubi dicit : « Multi nostrorum dubitant. »

2. Item, Augustinus : « Vera de ejus assumptione sententia hæc esse probatur, ut secundum Apostolum sive in corpore, sive extra corpus, ignorantes, assumptam super Angelos eam esse credamus [2]. » Item, Hieronymus : « Humanum judicium non apponat manifestum, quod Deus voluit esse occultum.

3. Item, Quidquid non separatur a culpa, nec a pœna : sed omnes in Adam peccaverunt : ergo omnes in suo peccato vel pro suo peccato puniri debent : sed ei imponitur pœna, Genes. III, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, etc. : ergo omnes in peccato nati corporaliter debent incinerari.

Contra :

1. Gregorius in *Collecta* : « Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Dominum nostrum Jesum Christum de se genuit incarnatum. » Modo quæro, quid appellatur *nexus mortis*? vel est bonum, vel est malum. Non bonum : quia omnis boni capax fuit. Item, bonum non deprimit, sed elevat. Ergo nexus non nominat ibi aliquid boni. Si autem est malum, aut est malum culpæ, aut malum pœnæ. Non culpæ : quia mors non est nexus ad culpam : quia post mortem non est status culpæ, sed pœnæ. Item, nihil dictum esset, quod post mortem non posset peccare, quia esset mater Dei, cum post mortem nullus peccet. Si autem est malum pœnæ, quæro quam pœnam importat? Non gehennæ : quia ad illam non nectit mors : quia multi moriuntur, qui non vadunt ad gehennam. Eadem ratione nec ad purgatorium : quia multi moriuntur, qui non vadunt ad purgatorium. Nec etiam potest dicere pœnam temporalem : quia ad illam non nectit mors, sed absolvit ab illa. Item, non potest dicere pœnam mortis : quia beatissima Virgo vere mortua fuit. Ergo relinquitur, quod non potest significare nisi incinerationem : ergo erit sensus : Non potuit nexibus mortis deprimi, id est, non potuit incinerari. Et nisi statim resurrexis-

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXXII.

[2] S. Augustinus, Serm. 2 de Assumptione

set, fuisset incinerata ut alia corpora. Ergo vere surrexit.

2. Item, Quod non fuerit incinerata, intelligitur manifeste in figura de arca fœderis Domini, per quam significabatur Maria, quæ quidem arca constructa fuit de lignis setim, quorum natura talis est, quod numquam a vermibus roduntur nec perforantur, nec in aquis submersa umquam putrescunt, sicut solent alia ligna facere : ergo sine omni putrefactione surrexit.

3. Hoc idem etiam et clara luce prævidens Psalmista, clamat cum audacia, Psal. CXXXI, 8 : *Surge, Domine, in requiem tuam.* Et statim subinfert : *Tu et arca sanctificationis tuæ.* Quæ manifeste dicta creduntur et in figura de Maria, cujus corpus fuit arca corporis Christi : sed cœlum nulla figura, sed solum rei veritas possidet.

4. Item, Augustinus : « Maria quadam speciali prærogativa honoratur a Filio, possidens in Christo corpus suum quod genuit : quare non et corpus per quod genuit ? Nisi obviaverit auctoritas nondum perspecta, vere credo quod et per quod genuit [1]. » Item, Idem in eodem : « Thronum Dei, thalamum Domini, domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse ubi ipse est. Tam pretiosum enim thesaurum dignius est cœlum servare quam terra. » Item, Augustinus in eodem : « Videtur lætari Maria lætitia inenarrabili, anima et corpore [2]. » Et infra : « Sit integraliter vivens, quæ omnium integram perfectamque genuit vitam. »

5. Item, Dionysius in libro de *Divinis nominibus* : « Quoniam et apud ipsos Deo acceptos nostros hierarchas, quando et nos, ut nosti, et ipse et multi sanctorum nostrorum fratrum convenimus ad visionem corporis, vitæ principis, et quod Deum susceperat. Aderat autem et frater Domini Jacobus et Petrus summa et provectissima Theologorum summitas [3]. » Super hunc locum Glossa Maximi vult, quod in dormitione nostræ Dominæ fuerunt Apostoli et beatus Dionysius et magister suus Ierotheus, et post assumptionem corporis fecerunt collationem, et Ierotheus raptus fuit. Et sic videtur approbare iste textus Dionysii cum suis Glossis illud quod invenitur de assumptione beatæ Mariæ Virginis corporali.

6. Item, Bernardus : « Non decuit ut carnem matris sine honore in terra relinqueret, qui honorem parentum sub præcepti districtione posuit. » Item, Bernardus : « Si anima parvuli nondum nati liquefacta est ut Maria locuta est, quid putas quænam illa fuerit exsultatio cœlestium civium, qui vocem audire et faciem videre et beata ejus præsentia frui meruerunt ? » Item, Bernardus : « Nec in terris locus dignior virginali templo in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio in quo Mariam Mariæ Filius sublimavit [4]. » Item, Bernardus : « Tempus loquendi est omni carni cum assumitur incarnati Verbi mater in cœlum : nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura super immortales spiritus exaltatur in Virgine Maria [5]. »

7. Item, Augustinus : « Tantam integritatem merito incorruptibilitas, non aliqua resolutio putredinis sequitur [6]. » Item, Augustinus : « Qui in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honoravit, pium est credere singulari salvatione eam in morte et speciali gratia honorasse. Item, « Si merito vivens præ omnibus dotata est gratia, cur mortua non erit honoranda ? » Item, Idem in eodem : « Quid æstimandum est de matre

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. de Assumptione, cap. 6.
[2] IDEM, Ibidem, cap. 8.
[3] S. Dyonisius, Lib. de Divinis nominibus, cap. 5.
[4] S. BERNARDUS, Serm. 1 de Assumptione.
[5] IDEM, Serm. 4 de Assumptione.
[6] S. AUGUSTINUS, Lib. de Assumptione, cap. 6.

ubi digna sit haberi, nisi in præsentia Filii? »

Item, Quæcumque sunt ejusdem naturæ, eumdem locum occupant. Si igitur mater et Filius sunt ejusdem naturæ, necesse est ut sit cum Filio mater.

Item, Si quis diceret, quod bene posset esse opinio et non manifesta veritas. Contra: Dicit, Bernardus: « Sane ibi unusquisque in suo sensu abundat, ubi vel certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod sentitur non obviat [1]. » Item, Augustinus ad idem: « Quærendum est ratione quod conveniat veritati: fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua nec est, nec valet auctoritas. Si ergo voluit servare integrum Mariæ virginitatis pudorem, cur non velit incorruptam a putredinis servare fœtore? « Item, Augustinus: « Si vera sunt quæ scripsi, tibi gratias ago, Christe, quia de sancta Virgine matre tua, nisi quod pium est ac dignum visum, sentire non potui [2]. »

Ecce testimonio ipsius Papæ Gregorii et duorum Episcoporum, Augustini et Dionysii, et unius abbatis Bernardi, imo ipsorum Apostolorum Petri et Jacobi, probatum est beatam Virginem in corpore et anima gloriosissime esse assumptam.

8. Quod et rationibus perspicuum est. In peccato enim duo sunt, scilicet aversio a bono incommutabili, et conversio ad bonum commutabile. Istis respondent duo in pœna: quia anima avertit se a sua vita, incidit in necessitatem aversionis a corpore cujus anima est vita: ex conversione ad nihilum, incidit in necessitatem redeundi in quasi nihilum, id est, in pulverem. Sed beatissima Virgo aversa fuit per originale, unde debuit mori: sed numquam fuit conversa actualiter ad aliquod nihilum: ergo non debuit incinerari.

9. Item, Anselmus: « Ad omne conveniens Deo cui major ratio non repugnat, sequitur necessarium: istud est tale: ergo istud necessarium. »

10. Item, A nullo illustrium vincitur: sed dicit Evangelium, Matth. xxvii, 52: *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt*, scilicet cum Jesu, etc. Ergo et ipsa hoc accepit.

11. Item, Dionysius dicit: « Omnes proprietates inferiorum habent superiores cum excellentia: » ergo cum illud datum est sanctis inferioribus, ut dicit Evangelium, ergo et supremæ omnium in patria.

12. Item, Ecclesiæ argumentum est illud: Joannes sanctificatus est in utero: ergo et beata Virgo: sed Ecclesia conclusionem concedit et celebrat ejus nativitatem: ergo hoc modo arguo a simili: multa corpora sanctorum surrexerunt: ergo et beatissimæ Virginis corpus surrexit [1].

His rationibus et auctoritatibus et multis aliis manifestum est, quod beatissima Dei mater in corpore et anima super choros Angelorum est assumpta. Et hoc modis omnibus credimus esse verum.

Satis ergo patet qualiter beatissima Virgo habuit omnes gratias speciales mortem circumstantes.

Solutio objectorum.

Ad illud autem quod objectum est de ejus morte, credimus quod mortua est præ amore sine dolore. Et non est etiam eadem ratio de morte Domini: quia cum illa debuit esse satisfactoria in summo, conveniebat et oportebat, quod esset pœnalis in summo, et etiam voluntaria in summo: unde ita fuit spiritu permit-

[1] S. Bernardus, Epist. 77 ad magistrum Hugonem de S. Victore.

[2] S. Augustinus, Lib. de Assumptione, cap. 8

[1] Pro solutione objectorum, vide immediate infra.

tente carni impropria, ut ibi simul in summo fuerit motus naturalis et rationalis : unde summum gaudium et summus dolor : et unum fuit materia alterius : quia summe gaudebat, quod per summum dolorem humanum genus redimebat : hic autem, scilicet in Maria, motus rationalis gratia informatus motum naturalem sopiebat et vincebat, ita ut cum esset charitate vulnerata in summo, et in sursum trahebatur, et vinculum impediens, scilicet alligantiam corporis, dissolvebat.

Ad auctoritates quæ oppositæ sunt ad carnalem assumptionem Virginis Mariæ, respondemus quod quatuor sunt genera supponibilium.

Primum est quod ex sacra Scriptura ita expresse est determinatum, quod nec dubitatio nec opinio potest circa contrarium. De hoc dicit Damascenus : « Omnia quæ tradita sunt per legem, per Prophetas, per Apostolos, et Evangelistas, suscipimus et veneramur et cognoscimus, nihil ultra requirentes. »

Alterum genus per oppositum ad hoc est, quod est omnino incertum et quantum ad sententiam et auctoritatem, et hoc est simpliciter apocryphum : vel est incertum quantum ad auctoritatem, sed non quantum ad sententiam, et hoc est apocryphum secundum quid, et illud ponitur dubium. Inter hæc duo sunt duo media.

Tertium igitur et primum medium est, quando aliquid non est determinatum ex Scriptura, nec per rationem necessariam potest probari, nec etiam patet ex evidentia sui, sed ex consequentiis Scripturarum et apparentiis rationum potest et ipsum et suum oppositum æqualiter videri et persuaderi, et hoc proprie potest vocari opinabile, ut sunt quædam opiniones sanctorum, ut est illa, utrum omnia simul sunt creata ? et illa, utrum Angeli sunt in gratuitis creati ? et similia.

Quartum genus et secundum medium est, quod quidem in Scriptura Bibliæ non est expresse determinatum, nec ex evidentia sui manifestum, tamen ex consequentia Scripturæ et apparentia rationum ita est probabile, quod nulla Scriptura et nulla ratio habet aliud opponere in contrarium, et illud est pie credendum.

Unde primum est expresse determinatum, secundum est pie credendum, tertium opinatum, quartum apocryphum. Hieronymus igitur qui fuit interpres Bibliæ, loquitur ut interpres, nihil volens interserere nisi quod per Bibliam est expressum. Augustinus autem ut expositor et investigator, non tantum ponit vel supponit ea quæ sunt principia scientiæ, sed ea quæ necessario consequuntur, nulla ratione vel auctoritate repugnante.

Et sic manifestum est qualiter beatissima Virgo habuit gratias omnium communes et speciales.

QUÆSTIO CXXXIII.

Utrum B. Virgo fuerit a peccato immunis ?

Post hæc quæritur de suis privilegiatis gratiis, quas ipsa sola et nulla alia creatura possidet.

Primo igitur quæritur de hoc privilegio quod est peccati immunitas, utrum hoc fuerit privilegium imperatricis ?

Et videtur, quod non :

1. Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Item, Job, XXV, 4 : *Numquid potest apparere mundus natus de muliere?* Item, Job, XV, 15 : *Cœli non sunt mundi in conspectu ejus.* Item, Apostolus, ad Romanos, III, 23 : *Omnes peccaverunt.*

2. Item, Luc, VII, 42 : *Quis ergo eum plus diligit?* Et respondetur, ℣. 43 : *Æstimo quia is cui plus donavit.* Sed beatissima Virgo plus omnibus dilexit : ergo ipsi plus donavit : ergo et ipsa peccavit.

3. Item, Ad Roman. VIII, 28 : *Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Glossa : « Etiam peccata. » Sed omnia quæ cooperantur in bonum, habuit beata Virgo : ergo peccata habuit. Item, Glossa ibidem : « Sine quibus non vivitur. » Item, Glossa : « Impossibile est quemcumque sanctum aliquando non cadere. »

4. Item, I Joannis, I, 7 : *Sanguis Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Glossa : « Tamen nos non debemus putare, quamdiu vivimus, omnino posse a peccato mundari. »

5. Item, Joan. II, 4 : *Quid mihi et tibi est, mulier?* Super hoc dicit Chrysostomus, quod aliquid humani passa fuit, quasi propter vanitatem voluerit Christum miraculum facere.

6. Item, Proverb. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum?* Item, Eccle. VII, 21 : *Non est homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet.* Item, Proverb. XXIV, 16 : *Septies*, scilicet in die, *cadet justus.*

ITERUM. Quod non sit ipsius privilegium videtur, quod

1. Non convenit ei soli : quia multi Angelorum numquam peccaverunt.

2. Item, Aliquis infans baptizatus statim evolat si moritur : ergo ille numquam peccavit actualiter.

Item, Job, XXVII, 6 : *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

CONTRA :

1. Augustinus dicit : « De qua propter honorem Filii cum de peccatis agitur, nullam volo fieri mentionem [1]. »

2. Item, Bernardus : « Ego puto, quod copiosior, etc. [2]. »

3. Item, Ut supra de sanctificatione in utero.

4. Item, Peccatum veniale non habuit : ergo, etc. : quia ubi aliquid de peccato veniali, ibi aliquid vacuum de gratia : sed ipsa plena gratia fuit : ergo nihil de peccato fuit in ipsa.

5. Item, Augustinus : « Inde scimus, quod plus ei gratiæ collatum sit ad vincendum omni ex parte peccatum : quoniam concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. »

6. Item, Necessitas peccandi relinquitur in exercitium eorum qui cadere possunt : sed ipsa cadere non potuit : ergo illud exercitium habere non debuit.

7. Item, Anselmus : « Ea puritate beata Virgo nitebat, qua sub Deo major nequit intelligi [3]. » Sed major potest intelligi si peccavit. Ergo non peccavit.

QUOD per omnia verum esse credimus. Sol

Et ad auctoritates in contrarium adductas, respondemus quod omnes illæ de peccatorum juste loquantur viatorum hominum. Illud autem beatissimæ Virginis est proprium et speciale privilegium respectu omnium viatorum, et speciale derogat generali. Quod autem Chrysostomus dicit, quod aliquid humani passa fuit, hoc est verum : quia ut homo hominibus compassa fuit. Sed quod aliquid vani passa fuit, per omnia falsum est, et contra Augustinum.

[1] S. Augustinus, Lib. de Natura et gratia, cap. 36.

[2] S. Bernardus, Epist. 184 ad canonicos Lugdunenses.

[3] S. Anselmus, Lib. de Conceptu virginali et peccato originali, cap. 18.

QUÆSTIO CXXXIV.

Utrum B. Virgo potuerit peccare?

Post hæc quæritur de privilegio quod est peccandi impossibilitas, Utrum scilicet beatissima Virgo potuerit peccare?

Et videtur, quod sic: quia

1. Ipsa potuit mori: ergo potuit peccare.

2. Item, Augustinus dicit, quod Adam mori potuit, quia peccare potuit: et quod non potuit reduci in actum potentia moriendi, nisi prius reduceretur in actum potentia peccandi: sed beatissima Virgo potuit mori: ergo potuit peccare.

3. Item, Augustinus quærit, quare Deus non fecerit homines qui peccare non possent? Et respondet, quod illud gloriosius fuit omnibus creaturis: ergo illud debuit convenire omnibus et beatissimæ Virgini, quæ gloriosior omnibus creaturis fuit.

4. Item, In laudem aliorum sanctorum cantatur: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus* [1]. Ergo et illud convenit illi quæ est omni laude dignissima.

5. Item, Si peccare non potuit, hoc non tantum fuit propter fomitis exstinctionem: quia Angeli numquam fomitem habuerunt, et tamen peccaverunt. Item, Hoc non propter excellentiam potuit esse: quia Angeli fuerunt in gratia, et tamen peccaverunt.

6. Item, Damascenus: « Omne creabile est vertibile secundum esse, et secundum electionem. » Secundum esse ut corporalia. Secundum electionem ut rationalia. Sed beatissima Virgo fuit ex utroque composita. Ergo fuit vertibilis utroque modo.

7. Item, Gloriosius habetur quod habetur cum victoria, quam quod habetur sine victoria: sed in beatissima Virgine maxima fuit gloria: summa ergo et victoria et pugna: ergo et potuit peccare.

8. Item, Excellentior fuit status innocentiæ quam iste: et tamen Adam et Heva potuerunt peccare.

9. Item, II *Sententiarum*, distinct. xxv dicitur, quod quatuor sunt status liberi arbitrii. Primus est posse peccare, et posse non peccare: hic status innocentiæ est. Secundus est posse peccare et non posse non peccare damnabiliter: hic ante tempus gratiæ. Tertius est posse peccare et posse non peccare damnabiliter saltem: hic in tempore gratiæ. Quartus est non posse peccare, et hic in tempore gloriæ [2].

Contra:

1. Quod nobiliori similatur, hoc est melius nobilius et honorabilius: sed hoc est non posse peccare: ergo hoc est melius, nobilius, et honorabilius: sed beata Virgo secundum locum habuit post Deum: ergo non potuit peccare.

2. Item, Augustinus: « Concedimus quidem naturam omnino meliorem, quam omnino peccare nollet: concedant et ipsi talem non esse malam, quæ talis

[1] Eccli. xxxi, 10.

[2] Cf. Opp. B. Alberti Magni, Tom. XXVII in edit. nostra, pag. 431, litt. G. Cf. etiam Hugo. de S. Victore, Lib. III Sententiarum, cap. *Præterea sciendum.*

facta est ut posset non peccare si vellet. »

3. Item, Frustra esset potentia quæ numquam reduceretur ad actum : sed ipsa numquam fuit peccatrix : ergo frustra fuisset in ea potentia peccandi.

4. Item, Philosophus in IX *Metaphysic.* dicit, quod potentia est principium transmutandi alterum : sed beatissima Virgo nullum habuit principium transmutandi in peccatum : ergo nullam potentiam peccandi.

5. Item, Loquendo ex parte rei, potentia secundum quod est in prædicamento qualitatis, est qualitas disponens ad actionem vel ad passionem : sed nulla talis qualitas fuit in beatissima Virgine ad peccandum : ergo non fuit in ipsa potentia peccandi.

6. Item, Cuicumque inconveniens est inesse actum, eidem inconveniens est inesse potentiam : sed beatissimæ Virgini inconveniens est inesse actum peccandi : ergo et potentiam.

7. Item, Inter non posse peccare et non posse mereri, et inter posse peccare et posse mereri, medium est non posse peccare et posse mereri : sed primum pertinet ad statum comprehensorum simpliciter, secundum ad statum viatorum simpliciter : ergo medium pertinet ad statum medium : sed ille est beatissimæ Virginis, quæ simpliciter viatrix et secundum quid comprehendens : ergo ipsa non habuit potentiam peccandi.

Solutio. Quod dicimus esse verum, distinguendo tamen, quod non posse peccare quatuor modis dicitur. Primo modo non posse peccare per se sequitur naturam immutabilem : et hoc modo dicitur Deus Trinitas non posse peccare. Secundo modo dicitur non posse peccare, quod habet conjunctionem vel conversionem ad naturam invertibilem, per medium quod est de sui natura inseparabile, ut habitus gloriæ : et hoc modo dicuntur sancti et Angeli non posse peccare. Tertio modo dicitur non posse peccare, quod habet conjunctionem ad naturam invertibilem, per medium quod per sui naturam et in se quidem est separabile, sed non est separatum, defendendo se semper a contrario resistente vel impugnante vel impediente : et licet non summe et propter hoc et quoad quid aliquando separabile, tamen in his sine quibus ad vitam non pervenitur, semper inseparabile, ut dicit Gregorius super Job. Et hoc modo sancti patres non potuerunt peccare. Quarto modo dicitur non posse peccare, quod habet conjunctionem ad naturam invertibilem, per medium quod secundum naturam sui et in se quidem est separabile, ut dictum est, sed omnino non est separatum ab aliquo contrario repugnante, vel resistente, vel impediente, et præterea in summo in tali subjecto est inseparabile, ut est plenitudo gratiæ in beatissima Virgine : et hoc modo dicitur beatissima Virgo non posse peccare.

Omnes igitur auctoritates et rationes quæ videntur probare, quod peccare potuerit, loquuntur de potentia secundum quod opponitur ad non posse primo modo, vel secundo modo, vel tertio modo sumptum.

Patet igitur, quod tale non posse peccare conjunctum cum posse mereri, est proprium privilegium beatæ Virginis.

QUÆSTIO CXXXV.

Utrum B. Virgo habuerit pro privilegio, quod quolibet motu mereretur?

Post hæc quæritur, utrum habuerit pro privilegio, quod quolibet motu merebatur?

Et videtur, quod non :

1. Gratia enim est principium merendi, non natura : sed constat, quod aliquando movebatur motu naturali : ergo non quolibet motu merebatur. Si diceretur, quod simul moveretur gratia et natura, hoc videtur non posse esse : quia si sic esset, unus motus esset meritorius et non meritorius. Si autem duo sunt, non esset uterque meritorius : ergo altero eorum non mereretur.

2. Item, Cognitiva ordinata est ad operativam, et scientia ad operationem : sed cognitiva non fuit perfecta respectu omnium ut sciret omnia : ergo nec operativa erit perfecta respectu omnium, ut quolibet motu mereretur.

3. Item, Secundum hoc Dominus Jesus Christus non excelleret ipsam in operando, si ipsa quolibet motu mereretur sicut ipse : ergo non quolibet motu merebatur.

Contra :

1. Ad Coloss. III, 17 : *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Item, I ad Corinth. x, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Aut ergo aliquis implet, aut nullus. Si nullus : ergo frustra præcipitur, vel consulitur, vel monetur. Si aliquis : ergo beatissima Virgo : ergo in omni eo quod fecit, merebatur.

2. Item, Omnia sunt in se referibilia : ergo si non referuntur, hoc est propter defectum subjecti. Si igitur subjectum non refert, hoc est, vel quia non vult, vel quia non potest. Si non vult : ergo peccat, vel ad minus est imperfectum in bonitate quam posset habere. Si non potest, hoc non est nisi quia habet contrarium in se, quod necessario aliquando inclinat ad contrarium, ut fomes ad veniale. Sed illud non fuit in beatissima Virgine : ergo potuit omnia referre.

3. Item, Sapiens non facit aliquid sine causa : ergo prudentissima Virgo fecit omnia propter primam causam.

4. Item, Quolibet motu mereri est quoddam bonum : aut ergo est communicabile alteri creaturæ, aut non. Si est communicabile : ergo summa bonitas, scilicet Deus communicat alicui : ergo beatissimæ Virgini. Si autem non est communicabile, hoc non videtur, quia idem de quolibet opere contingeret dicere.

5. Item, Per hoc est mereri, ubi nulla est necessitas peccandi venialiter : hoc autem fuit in beatissima Virgine : ergo ipsa potuit quolibet motu mereri.

6. Item, Ubicumque non potest in discernendo ratio errare, et voluntas non potest eligere malum, ibi semper eligitur optimum et ultimum : sed utrumque horum fuit in beatissima Virgine : ergo omnia fecit propter optimum : ergo in quolibet opere merebatur.

7. Item, Sicut se habet anima ad corpus, ita ad animam charitas : ergo sicut

elicit anima omnes operationes a corpore, ita charitas ubi plene habet esse formæ, ibi elicit omnes operationes ab anima : et sic quolibet motu merebatur : hoc autem in beatissima Virgine : ergo quolibet motu merebatur.

8. Item, Philosophus : Intellectus semper rectus est, nisi quando se immiscet phantasiis et deducitur ab illis : sed intellectus beatissimæ Virginis numquam se immiscuit phantasiis ut deduceretur ab illis : ergo semper rectus fuit : sed rectum est, cujus medium non exit ab extremis : ergo semper fuit erectus in summum bonum : ergo semper merebatur [1].

QUÆSTIO CXXXVI.

Utrum qualibet passione merebatur?

Post hæc quæritur, utrum qualibet passione merebatur?

Et videtur, quod non.

Philosophus dicit, quod passionibus non meremur.

Item, Nullum necessarium non voluntarium est meritorium : ergo passionibus non meremur.

Item, A parentibus contraximus passiones : ergo non sunt meritoriæ.

Contra :

Passio latronis fuit necessaria, et tamen meritoria. Item, II ad Timoth. II, 12 : *Si sustinebimus, et conregnabimus*, et cætera plurima.

Solutio. Ad hoc dicimus, quod beata Virgo quolibet motu liberi arbitrii ad agendum vel patiendum merebatur : unde non motibus naturalibus in quantum naturalibus, sed rationalibus gratia informatis : unde motibus gratuitis liberi arbitrii merebatur, ubi etiam liberum arbitrium et gratia operabantur. Sed liberum arbitrium est ut jumentum, gratia ut sessor secundum Anselmum. Unde Apostolus, I ad Corinth. XV, 10 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Et sic merebatur secum, et sic merebatur in quolibet motu quo contingit mereri. Non tamen in hoc Domino nostro Jesu Christo æquabatur in operatione, qui operabatur naturalia et supernaturalia et sine sui indigentia, et hoc improportionabili charitate. Passionibus autem in quantum ab extrinsecis inferuntur, vel necessario contrahuntur, non meremur : sed in quantum voluntas rationalis informata gratia ad illarum sufferentiam libertate propria inclinatur.

Ex his patent solutiones ad objecta.

[1] Pro solutione objectorum, vide infra ad quæst. sequentem.

QUÆSTIO CXXXVII.

Utrum puritas in summo debeat assignari B. Virgini pro privilegio?

Post hæc quæritur de hoc quod est puritas in summo, utrum debeat assignari beatissimæ Virgini pro privilegio? Et videtur, quod non: quia

1. Si intensio puritatis est recessus a contrario, sicut albius quod nigro est impermixtius, et purius quod est impuro impermixtius, tunc quæritur, quid sit illud impurum per cujus impermixtionem sit puritas hæc in summo? Et videtur, quod non posset dici proprie aliud impurum nisi in corporalibus opacum vel opaco mixtum, in spiritualibus pœna vel culpa. Si primo modo, tunc sol fuit purior beata Virgine. Si secundo modo, tunc in statu innocentiæ, et omnes animæ beatæ a corporibus separatæ, et etiam Angeli qui fuerunt sine pœna, eamdem puritatem habuerunt. Si igitur tertio modo, tunc omnes sancti patriæ etiam eamdem puritatem habuerunt, et etiam illi qui sunt in purgatorio, qui omnes sunt sine culpa.

2. Item, Si dicatur, quod hæc puritas sit major post Deum a recessu originalis: quia Christus habuit recessum et puritatem ab origine talem quod numquam et nullo modo habuit originale, alii omnes baptizati habent puritatem ab originali, ita quod peccatum originale habuerunt, et adhuc aliquo modo habent quantum ad pœnam fomitis. Sed inter nullo modo habere nec habuisse, et inter habere et habuisse, quodammodo medium est, scilicet quodammodo habuisse, et non habere: et hæc fuit puritas beatissimæ Virginis immediata post puritatem Christi. Si sic dicatur, contra est quod dicit Anselmus: « Non post Christum, sed post Deum. » Item, secundum hoc Angeli majori puritate lucerent: quia peccatum originale numquam habuerunt: vel secundum hoc etiam bruta et inanimata majori puritate lucerent: quia peccatum originale nec habent nec habere possunt. Item si dicatur, quod intelligitur de hominibus, hoc adhuc non potest stare: quia Adam in statu innocentiæ secundum hoc majori nitebat puritate: quia tunc nullo modo habuit nec habuerat originale.

3. Item, Si puritas dicitur per recessum ab impuro, secundum hoc magis recedit quod recedit et quantum ad actum et quantum ad dispositionem, et adhuc plus quod recedit quantum ad actum et quantum ad potentiam et dispositionem omnem. Illud igitur purissimum est inter alia. Sed tale purum est sol, qui recedit ab impuro et quantum ad actum et dispositionem et potentiam, et quocumque modo dicatur impurum, sive dicatur ubi est mixtio naturarum contrariarum, opacæ scilicet et luminosæ, sive ubi est mixtio naturæ et pœnæ, sive etiam naturæ et culpæ, sive etiam scientiæ et ignorantiæ vel nescientiæ, nulla istarum impuritatum in sole est, qui nec in se mixtus, nec alteri miscibilis est, et non habet pœnam, nec culpam, nec ignorantiam: et sic purior esset beatissima Virgine, si puritas hæc esset recessus ab impuritate.

4. Item, Si forte diceretur, quod hæc

puritas dicitur per recessum ab impuro, ubi aptum natum esset inesse impurum, secundum hoc in Christo vel etiam Deo non est major puritas quam in quovis homine : quia vel in Christo vel in Deo non potest aliqua impuritas esse.

Ex his igitur patet, quod puritas non dicitur per recessum ab impuro tantum, sed etiam per approximationem et accessum ad summum purum : ergo, etc. [1].

QUÆSTIO CXXXVIII.

Utrum niteret secundum statum illum ea puritate, scilicet qua sub Deo nequit major intelligi ?

Secundum hoc quæritur, utrum beatissima Virgo niteret secundum statum illum ea puritate, scilicet qua sub Deo major nequit intelligi ?

Et videtur, quod non : quia

1. Etiam ipsa post in statu gloriæ nitebat majori puritate, et tamen sub Deo.

2. Item, Omnes sancti patriæ in sua puritate plus videntur appropinquare puritati patriæ quam quæcumque puritas viæ : illa enim sufficit ad hoc ut possint primam lucem per speciem videre : hæc autem non ita : ergo Virgo beatissima non nitebat summa sub Deo puritate.

3. Item, Si dicatur, quod intelligitur secundum statum viæ, adhuc non videtur, quod possit stare : quia anima Christi quæ creatura fuit, in statu viæ majori nitebat puritate quam beatissima Virgo.

Contra prædicta objicitur in hunc modum :

1. Puritas, ut videtur, sequitur naturam luminis vel luminosi, ut quod plus participat de natura lucis, plus habeat puritatis, ut summa lux vel summe luminosum, summe sit lucidum et purum, et ubi magis proprie et vere est proprietas lucis, ibi magis proprie et vere est natura puritatis et proprietas : unde cum lux sit corporalis et lux spiritualis, et ut dicit Augustinus super *Genesim ad litteram*, magis proprie dicatur lux spiritualis quam lux corporalis, erit etiam puritas corporalis et spiritualis : sed major puritas corporalis est secundum majorem convenientiam ad summam corporalem lucem, et secundum hoc aqua purior est terra, aer aqua, ignis aere, firmamentum quam ignis, cœlum aqueum quam firmamentum, cœlum empyreum quam aqueum. Et illud patet ad sensum. Similiter erit major puritas spiritualis secundum majorem convenientiam ad summam lucem spiritualem, quæ Deus est, qui lux est in tenebris, in quo tenebræ non sunt ullæ [2]. Secundum hoc igitur purior est anima sensibilis quam vegetativa, rationalis quam sensibilis, rationalis angelica quam rationalis humana secundum naturam. Secundum gratiam autem, quæ est quasi lumen creatum procedens a luce increata, ubi major est participatio, ibi major ad primam lucem

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXXXIX.

[2] I Joannis, I, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.*

propinquatio : ergo ubi gratia in summo, ibi appropinquatio in summo et ritas in summo. Sed in beatissima irgine respectu omnium aliarum creurarum non unitarum fuit gratia in mmo : ergo appropinquatio in summo primam lucem : ergo puritas in summo.

2. Item, I ad Timoth. I, 5 : *Charitas de corde puro*. Ergo ubi charitas in mmo, ibi puritas in summo : sed in atissima Virgine, ut ostensum est sua, fuit charitas in summo : ergo puris in summo.

3. Item, Effectus hierarchicæ actionis nt purgare, illuminare, et perficere : d beatissima Virgo fuit summe illumita et perfecta : ergo in summo purta : ergo in summo pura.

4. Item, Ad dationem doni supremi quitur collatio omnium inferiorum, xta illud Apostoli ad Romanos, VIII, 32 : *ui proprio Filio suo non pepercit*, etc., *uomodo non etiam cum illo omnia nos donavit ?* sed Deus beatissimæ Virni summum donum donavit, cujus ra creatura capax fuit, scilicet Dei aternitatem : ergo et summam puritam.

5. Item, Dionysius dicit, quod superores habent proprietates inferiorum m excellentia[1] : unde Seraphim qui cellit charitate, excellit omnibus donis feriores omnes : ergo et beatissima irgo cum excellit Seraphim in charite, excellit etiam puritate.

6. Item, Cantatur in prosa Pentecoes : « Tu purificator omnium flagitiom Spiritus. » Ergo effectus Spiritus ncti est purificatio, finis et effectus puficationis est puritas : sed beatissima irgo super omnem creaturam habuit piritum sanctum, juxta illud Lucæ, I, 5 : *Spiritus sanctus superveniet in te*. lossa : « Quod numquam in aliquem enit, veniet in te. » Ergo in summo fuit ura.

7. Item, Virginitas est puritas cordis, fides est virginitas mentis : sed beatissima Virgo virginitatem habuit in summo et etiam fidem : ergo et puritatem habuit in summo.

8. Item, Puritas est pars pulchritudinis : et pars proportionabilis non debet esse minor suo toto : ergo ubi pulchritudo in summo, ibi puritas in summo : sed beatissima Virgo fuit in summo pulchra : ergo et pura in summo. Minor patet per figuras ipsius. De Rebecca, quæ figurabat ipsam, dicitur, quod fuit puella decora nimis, virgo pulcherrima. Item, Esther, II, 15 : *Erat formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur*. Item, Idem patet per Judith et Rachel.

9. Item, Puritati sive munditiæ cordis attribuitur videre Deum, juxta illud Matthæi, v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et illud : « Da puræ mentis oculos in te defigere. » Sed beatissima Virgo in summo vidit Deum : ergo in summo habuit purum oculum.

10. Item, Ponamus secundum statum viæ, quod anima beatissimæ Virginis sine omni additione gratiæ vel gloriæ separetur a corpore, constat quod tunc deiformissima esset in puritate : sed eamdem habuit in corpore : ergo et tunc super omnes creaturas nitebat puritate.

11. Item, Quod non obstat, quod sua puritas non plene apprehendat per speciem lucem increatam, hoc videtur per simile. Videmus enim, quod quandoque major lux minus illuminat, et minor lux magis illuminat, propter conjunctionem cum aere obscuro vel claro : unde quandoque illuminat magis luna in nocte, aere puro, quam sol in die cum aere obscuro : et tamen improportionabiliter est major lux solis quam lunæ. A simili ergo non videtur inconveniens, si major lux gratiæ in subjecto passibili conjuncto corpori passibili et grosso, minus immu-

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 2.

tat et movet actualiter, quam minor lux gloriæ in subjecto impassibili et glorioso.

Ex his igitur omnibus videtur et probatur etiam, quod simpliciter verum sit, quod beatissima omnium Domina, etian in statu viæ, super omnem creaturam ea puritate nitebat, qua sub Deo major nequit intelligi [1].

QUÆSTIO CXXXIX.

Utrum simul vel successive acceperit istam puritatem, quam in summo habuit?

Juxta hoc quæritur, quando accepit istam puritatem in summo, utrum simul, vel successive?

1. Constat enim, quod in utero fuerit sanctificata et purgata : sed status in utero in quantum hujusmodi non est status ad operandum : ergo illa purificatio non fuit per virtutem hujusmodi, sed per gratiam operantem simul ad gratiam sacramentalem.

2. Item, Constat, quod postea etiam operabatur secundum virtutes : et illa operatio est ipsius animæ purificatio : unde, Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum.*

3. Item, Constat, quod in perfectionibus gratuitis ad operandum gradus sunt : eo quod dona sunt virtutibus superiora, et beatitudines donis : ergo secundum hoc gradus potuit habere purificatio, quæ his perfectionibus est effecta.

4. Item, Si purificatio est ordinatio ad illuminationem et perfectionem : ergo quando fuerunt illæ in complemento, tunc etiam puritas erat in summo : sed hoc fuit in conceptione lucis æternæ : ergo impleta tunc fuit hæc puritas in summo.

5. Item, Hujusmodi puritatis caus est, ut dicit Anselmus, quod debuit esse mater Dei : sed effectus non est prius in re quam in sua : ergo non debuit prius pura esse puritate qua major sub Deo major nequit intelligi, quam tunc cum debuit et incepit esse mater Dei [2].

Responsio ad quæstiones CXXXVII, CXXXVIII, CXXXIX, de puritate.

Ad hoc dicimus solvendo, sicut dici Anselmus [3] : « Nempe decens erat ut e puritate qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pate unicum Filium suum quem de corde su æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communi Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi ma

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. sequentem.

[2] Pro solutione objectorum, vide immediate infra.

[3] S. Anselmus, Lib. de Conceptu virginali et peccato originali, cap. 18.

rem eligebat, et de qua Spiritus sanctus volebat, et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille de quo procedebat. » Dicimus igitur, quod puritas hæc est ab originali non dico distantia, sed segregatio, et ad primam lucem, quantum possibile est puræ creaturæ, deiformis approximatio. Unde secundum rem nihil est hæc puritas aliud, nisi peccati originalis deletio, fomitis exstinctio, gratuitarum perfectionum ultimatio.

Ex his patet, quod nihil est ad propositum quod objicitur de aliis sanctis, vel de inanimatis, vel Christo, vel Angelis, vel Deo.

Et concedimus etiam, quod in beatissima Virgine secundum statum viæ fuit gratia deiformior quam in Angelis : et hoc dico quantum ad substantiam, sed non quantum ad actum qui est operatio, ut supra plene dictum est in materia de *charitate*.

Dicimus etiam, quod ad hanc puritatem in summo quatuor gradibus ascendit beata Virgo. Primo enim purificata fuit per sanctificationem in utero. Secundo, in virtutum exercitatione. Tertio, in Spiritus sancti superventione. Quarto, in Filii conceptione. In primo gradu est perfectio graduum vel sacramentalium gratiarum. In secundo, perfectio donorum et virtutum. In tertio, perfectio fructuum. In quarto, perfectio beatitudinum.

De primo dicitur in Canticis, IV, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. Tota pulchra es ab originali, tota pulchra es a mortali, et macula, id est, veniale peccatum non est in te.

De secundo, ibidem, ℣. 1 : *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es !... absque eo quod intrinsecus latet*. Quasi diceret : Quam pulchra es corpore per castitatem, quam pulchra in opere per charitatem, quam pulchra in corde per humilitatem ! Item, de eodem, Esther, I, 7 : *Erat enim Esther formosa valde*, etc. Formosa in opere per charitatem quæ est forma omnium virtutum, et incredibilis pulchritudinis in corpore per insolitam virginitatis castitatem, juxta illud Sapientiæ, IV, 1 : *Quam pulchra est casta generatio cum claritate* ! Omnium oculis gratiosa et amabilis propter cordis humilitatem, juxta illud Lucæ, I, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Item, de eodem, Judith, XI, 19 : *Non est talis mulier super terram in adspectu, in pulchritudine, et in sensu*. In adspectu conversationis in opere, in pulchritudine castitatis in corpore, in sensu verborum, id est, in exterioribus verbis, et in puritate cogitationis in corde.

De tertio gradu dicitur in Psalmo XLV, 5 : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Item, ibidem, ℣. 6 : *Deus in medio ejus, non commovebitur*. Item, Luc. I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te*. Item, Isa. XI, 2 : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus*. Haud dubium est quin etiam super eam.

De quarto dicitur, Ezechiel. XLIII, 4 : *Majestas Domini ingressa est templum per viam portæ quæ respiciebat ad Orientem*. Et post, ℣. 5, sequitur : *Et ecce repleta erat gloria domus Domini*. Item, Jerem. XIV, 21 : *Ne facias nobis contumeliam, solii gloriæ tuæ recordare*. Item, Isa. LX, 7 : *Domum majestatis meæ glorificabo*. Et, in eodem, XVI, 5 : *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit*. Item, Apostolus, ad Hebr. IV, 16 : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*, etc.

Item, Anselmus dicit, quod « ea puritate nitebat, qua sub Deo major nequit intelligi. »

Ex his manifestum est, quæ et qualis et quanta est puritas in summo quam habet gloriosa Virgo pro privilegio.

QUÆSTIO CXL.

Utrum major gratia possit intelligi participari puræ creaturæ, quam esse matrem Dei?

Deinde quæritur de privilegio quod est matrem Dei esse, ratione cujus etiam dicitur principaliter *gratia plena* beatissima Virgo. De qua quæritur, utrum major gratia possit intelligi participari puræ creaturæ, quam esse matrem Dei?

Et videtur, quod sic:

1. Gratia enim immediata est post Filium Dei per naturam, et ita videtur, quod plus sit esse Filium Dei per gratiam adoptionis, quam esse matrem Dei per naturam creatam.

2. Item, Videtur quod plus sit dari alicui esse Angelum, quam esse matrem Dei: quia natura angelica est supra humanam.

3. Item, Plus est elevari in substantiam quam in accidens: fieri autem Angelum est elevari in substantiam superiorem, fieri autem matrem est elevari secundum accidens tantum: ergo major gratia conferretur beatissimæ Virgini si fieret Angelus, quam quod esset mater Dei.

4. Item, Cum Spiritus sanctus sit tertia persona in Trinitate secundum ordinem naturæ, et Filius secunda secundum illum modum: ergo sub illa gratia qua aliquis fuit Filius Dei Patris immediate, videtur esse illa qua aliquis fieret Spiritus sanctus: et sic post esse Filium Dei potest gratia major intelligi, quam esse matrem Dei, scilicet esse Spiritum sanctum: et ita videtur non immediata gratia beatissimæ Virginis esse post gratiam Filii Dei Domini nostri Jesu Christi.

5. Item, Cum post proprietates personarum sint cujuslibet personæ proprietates appropriatæ, videtur quod post conjunctionem personarum proprietatum, immediatus sit proprietatum appropriatarum conjunctio quam esse matrem Dei. Et sic post fieri Deum Patrem vel Deum Filium vel Deum Spiritum sanctum, esset fieri omnipotentem, summe sapientem, summe bonum.

6. Item, Si beatissima Virgo adhuc post Christum filium purum hominem genuisset, ille esset filius Virginis et frater Dei, et illius gratia major esset gratia beatissimæ Virginis quæ fuit mater Dei, sed non filia Virginis[1].

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXLI.

QUÆSTIO CXLI.

Utrum si aliqua creatura esset pater Dei secundum humanitatem, utrum hoc plus esset hominem esse patrem Dei quam esse matrem ?

Item, Juxta hoc quæritur, si aliqua pura creatura esset pater Dei secundum humanitatem, utrum hoc esset plus, scilicet hominem esse patrem Dei, quem esse matrem Dei ?

Et videtur, quod sic : quia majus et dignius est esse patrem quam esse matrem : ergo eodem addito eadem maneret beatitudo : ergo majus est esse patrem Dei quam matrem Dei.

Item, Si diceretur, quod impossibile est hominem esse patrem Dei, respondetur quod ita impossibile fuit Virginem esse matrem Dei secundum naturam : sed sicut nec illud fuit Deo impossibile, ita nec istud. Isa. LXVI, 9 : *Ego qui generationem cæteris tribuo*, numquid *sterilis ero ?* Ex quo consuevit tradi, quod generationis æternæ, ubi unus de uno, expressissimum exemplum est generatio temporalis ubi una persona de una sola : sed in divinis non est maternitas, sed tantum paternitas : ergo expressius illam generationem repræsentaret homo pater Dei, quam homo mater Dei : ergo esset nobilius et dignius esse patrem Dei, quam matrem Dei : ergo hæc non est major gratia quæ participari potest a pura creatura [1].

Responsio ad quæstiones CXL et CXLI.

Contra prædicta objicitur in hunc modum :

1. Inter matrem et filium est conjunctio substantialis : inter patrem et filium adoptivum est participatio accidentalis : ergo majus est esse matrem Dei per naturam, quam esse filium Dei per adoptionem.

2. Item, Illud ad quod sequitur majus bonum, est eligendum : sed ad esse matrem Dei sequitur majus bonum quam ad esse Angelum : ergo hoc melius est et magis eligendum. Minor patet : quia ad esse matrem Dei sequitur esse dominam omnium Angelorum.

3. Item, Inter esse Filium Dei per naturam et esse Deum, et esse filium Dei per adoptionem et non esse Deum, medium est esse Dei matrem per naturam, et non esse Deum : ergo immediate post esse Deum, est esse matrem Dei.

4. Item, Quidquid claudit alterum in se, plus est eligendum quam illud quod non claudit alterum in se : sed esse matrem Dei per naturam, necessario claudit in se esse filium Dei adoptivum.

5. Item, Causa in quantum causa, dignior est suo effectu in quantum effectus : ergo dignius est esse causam boni quam

[1] Pro solutione objectorum, vide immediate infra ad 10.

causatum a bono : sed mater Dei est causa Dei et origo Dei secundum illud quod natum est : frater autem Dei non est causa vel origo Dei, sed causatus ab eadem origine : ergo plus est esse matrem Dei quam fratrem Dei.

6. Item, Mater Dei respectu filii Dei dicit relationem superpositionis, frater æquiparantiæ.

7. Item, Dicitur, Deuter. v, 16 : *Honora patrem tuum et matrem.* Non autem præceptum est de honorandis fratribus. Manifestum igitur est, quod dignius est esse matrem Dei, quam fratrem Dei.

8. Item, Si beatissima Virgo fieret Spiritus sanctus, tunc ipsa esset et ipse, et tunc fieret confusio sexus.

9. Item, Si duo essent filii in Trinitate, alter major esset qui esset filius Dei, alter minor qui esset filius Virginis beatissimæ matris.

10. Item, Quod non posset homo esse pater Dei, sic probatur : Dicit Philosophus, quod masculus est, qui generat in alio : ergo ille qui esset pater Dei, aut generaret in alio, aut in seipso. Si in alio : ergo duo, unus generans in alio, et unus vel una ab altero generans : ergo esset ibi masculus et fœmina. Si autem ille pater generaret in se : ergo non esset masculus : ergo non esset pater.

11. Item, Quæ est ratio quare plus diceretur pater quam mater ?

12. Item, Cum non sit in viro locus conceptionis et formationis et nutritionis, si fieret subita formatio, non esset generatus.

13. Item, Cum non sit ibi organum partus, indifferens esset ratio virginitatis : et sic non esset virginis filius.

14. Item, Esset nec pater nec mater.

15. Item, Si exclusus esset sexus fœmineus ab incarnatione, tunc incarnatus non esset fœmina, nec de fœmina incarnatus.

Ex his manifestum est, quod non potest intelligi puræ creaturæ major participari gratia, quam esse matrem Dei : unde hoc est privilegium beatissimæ Virginis Dominæ nostræ.

QUÆSTIO CXLII.

Qualiter illud privilegium quod est mater et virgo, ponatur inter privilegia gratiæ, cum non videatur esse gratuitum ?

Sequitur videre de illo privilegio quod est mater et virgo, de quo quæritur primo, qualiter ponatur inter privilegia gratiæ, cum non videatur esse gratuitum ?

Quod sic probatur :

1. Utrumque potest esse cum peccato, scilicet esse virginem et esse matrem : ergo neutrum potest esse gratuitum.

2. Item, Quælibet pars compatitur secundum se peccatum mortale : ergo et totum.

3. Item, Ex duobus indifferentibus non fit unum gratuitum. Ex his videtur, quod illa particula non debeat poni pro privilegio.

4. Item, Quod non conveniat ipsi soli, videtur : quia Philosophus dicit, quod sexus est in plantis, et est planta mascula et planta fœmina : et una planta generat aliam plantam sine corruptione, sine commixtione : ergo ibi simul est mater et virgo.

5. Item, Ecclesia est simul mater et virgo : ergo non solum beata Virgo. Si dicatur, quod Ecclesia dicitur mater et virgo spiritualiter, et beata Virgo corporaliter. Inde sic : Nobilior et verior et perfectior est maternitas et virginitas spiritualis quam corporalis : ergo Ecclesia verius et nobilius et perfectius dicitur mater virgo quam beata Virgo.

6. Item, Virgo nubens in charitate, nullam perdit virtutem : ergo si prius habuit virtuosam virginitatem, adhuc habet : et fit mater : ergo habet et maternitatem et virginitatem simul : ergo est mater virgo.

7. Item, Quidquid est in inferioribus pertinens ad dignitatem, est in superioribus : sed Angelus non generat Angelum: ergo hoc non pertinet ad dignitatem : ergo etiam hoc non debuit esse privilegium.

Contra :

1. Homo est dignissima creaturarum : ergo generatio hominis est nobilissimus effectus naturalis : ergo generatio nobilissimi cujusdam hominis est effectus nobilissimus : sed effectus nobilissimus non est nisi nobilissimæ substantiæ, juxta illud Lucæ, vi, 44 : *Unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur :* ergo generatio nobilissimi hominis erit nobilissimus effectus generantis hominis : sed unus solus est homo nobilissimus : ergo uni soli convenit esse matrem illius : ergo ejus maternitas est privilegium unius solius.

2. Item, Effectus hujusmodi generationis fuit perfectus in summo : sed perfectior generatio est ubi unus de uno, quam ubi unus de duobus : ergo in ista generatione debuit esse unus de una : ergo illa fuit mater virgo.

3. Item, Ad perfectam generationem sequitur secundum naturam perfectissima maternitas : sed perfectior et nobilior est maternitas cum incorruptione quam cum corruptione : sed ista fuit perfectissima : ergo debuit esse cum virginitate : ergo debuit esse mater virgo.

4. Item, Quidquid est in arte exemplari divina, totum debet esse exemplatum et declaratum in exemplo creato : ergo generatio divina debet aliquod habere exemplum in natura : sed ibi unus est de uno sine corruptione, divisione, vel mixtione : ergo et hic unus de una sine corruptione : ergo erit mater virgo.

5. Item, Prima dignitas in divinis quæ est communicabilis creaturis, est a quo alius per generationem : ergo et hæc prima et summa dignitas naturalis : ergo et in hoc potest esse dignitas et privilegium gloriosæ Virginis super omnia.

6. Item, Homo est minor mundus : creare autem mundum majorem est privilegium Dei : ergo generare mundum minorem privilegium potest esse hominis.

7. Item, Deus melior mundo est : ergo plus est Deum generare, quam creare mundum.

8. Item, Virginitas prout fuit in beatissima Virgine, fuit recessus ab omni malo : maternitas fuit ei collatio omnis boni : ergo omne eligendum et appetendum intelligitur in hoc privilegio.

9. Item, Quod hoc soli conveniat beatissimæ Virgini, probatur hoc modo : Isa. lxvi, 7 : *Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum.* Et infra, ℣. 8 : *Quis audivit umquam tale ?* etc. Item, Ecclesia cantat : « Nec primam similem habere visa est, nec habere sequentem. » Item, Dionysius dicit, quod hoc erat omnium novorum novissimum.

Ad hoc dicimus, quod privilegium beatissimæ Virginis est, quod sit mater Virgo, et quod nec sua virginitas nec sua maternitas fuit indifferens, sed utrumque meritorium. Ejus enim virginitas fuit perfectissima corporis integritas et cordis, ex radice summæ charitatis. Ejus quoque maternitas sibi fuit in meritum : quia ipsa cum congruo merito fidei, spei, et charitatis et suæ excellentissimæ humilitatis meruit fieri mater Dei. Solutio.

Item, Ex his patet solutio ad objecta de Ecclesia et de planta. Ecclesia enim non habet in omnibus membris integritatem carnis et mentis, et in nullo habet integritatem cordis et carnis cum summa fœcunditate spiritus et corporis, excepta perfectissima virginitate beatæ Virginis et fœcunditate. Sed et illam spiritualem virginitatem et fœcunditatem quam habet Ecclesia in aliis membris, habet beata Virgo in se excellentissime cum aliis communem, et insuper istam privilegiatam singularitatem. Sed nec etiam planta suo modo habet virginitatem et fœcunditatem. Et quidem suo modo virginitas et maternitas dici posset, si simul virorem floritionis cum partu fructificationis reservaret, ut dicere posset : *Flores mei fructus honoris et honestatis*[1]. Sicut amygdalus illa quæ virginis matris fuit figura, et eam quodammodo sub umbra et ænigmate quodam futuræ ostensionis conamine repræsentavit.

QUÆSTIO CXLIII.

Utrum Maria sit virgo virginum?

Nunc restat videre de isto privilegio quod est esse *Virgo virginum*.

Contra quod sic objicitur :

1. In hujusmodi locutionibus notatur excellentia, ut flos florum. Quasi dicat : excellens omnes alios flores. Similiter et *Rex regum et Dominus dominantium*[2]. Cum ergo nihil excellat seipsum, nihil est Virgo virginum. Si dicatur, quod beatissima Virgo dicitur Virgo virginum : quia excellit omnes virgines alias a se. Contra : Ergo excellit Christum in virginitate, quod est falsum. Item secundo, si dicitur *virgo virginum*, non quia excellit seipsam, vel Christum, sed inferiores se : ergo et beata virgo Catharina posset dici virgo virginum : quia excellit omnes inferiores : et quælibet virgo sic est virgo virginum. Quare igitur ibi assignatur hujusmodi habitudo ? Si dicatur quod habitudo originis, ut sit sensus, Virgo virginum, id est, mater vel origo omnium virginum, secundum hoc Heva debet dici virgo virginum : quia est origo et mater virginum et omnium viventium.

2. Item, Quod non excellat, videtur : quia dicit Philosophus, quod incontinens est qui patitur et deducitur, insensibilis est qui nec patitur nec deducitur, continens autem qui patitur et non deducitur : sed Virgo beatissima ab opposito virginitatis nec patiebatur, nec deducebatur : ergo fuit insensibilis : sed insensibilitas non est virtus : aliæ autem continentes patiebantur et non abducebantur, quod est virtus castitatis : ergo beatissima Virgo non excellit alias virgines in castitate et continentia.

Contra :

1. Genitus a generari dicitur quasi a prima sui nominis ratione, a qua etiam nomen accepit, et nominat habitudinem gignentis ad genitum, vel e converso : sed

[1] Eccli. xxiv, 23.

[2] I ad Timoth. vi, 15 et Apocal. xix, 16.

beatissima Virgo est mater omnium virginitate, quia sine præcepto, consilio, exemplo, et sola prima omnium gloriosum munus virginitatis Deo obtulit, per quod et omnes virgines per imitationem in virginitate genuit : ergo ei soli convenit quod sit Virgo virginum, id est, mater omnium virginum.

2. Item, Si notetur ibi excellentia, excellit omnes virgines in fomitis exstinctione et in summa puritate : ergo similiter convenit ipsi soli omnes citra Deum excellere virginitate.

3. Item, Victoria est delectatio potentiæ super adversarium : sed magis declaratur potentia, quando tanta est potestas in adversarium, quod non potest movere bellum, nec inire conflictum, quam tunc cum post ictus et vulnera vincit inimicum. Ex hoc patet, quod major fuit virtus castitatis in beatissima Virgine quam in aliqua virgine pura homine.

4. Item, Quod in virginitate excellit Angelos, sic videtur : quia Angelorum castitas est a natura : hæc autem a gratia : unde hæc nobilior quam illa. Item, Angelorum castitas necessaria : hæc autem voluntaria : unde hæc gratior illa. Item, Angelorum castitas non meritoria : hæc autem meritoria : unde hæc utilior illa. Item, Angelorum castitas est in natura impassibili : hæc autem fuit in carne fragili : unde hæc est mirabilior quam illa. Item, Angelorum castitas est cum arbitrio libero inflexibili : hæc cum libero arbitrio flexibili : ergo laudabilior hæc quam illa. Et sic est nobilior, laudabilior et integralior : quia hæc est in anima et corpore : ista autem in spiritu : ergo patet qualiter beatissima Virgo excellit omnes virgines in virginitate citra illum qui est Deus [1].

QUÆSTIO CXLIV.

Utrum posset dici mater matrum, sicut virgo virginum?

Juxta hoc quæritur, utrum beatissima Virgo possit dici *mater matrum*, sicut Virgo virginum? Et si potest, qualiter?

Quod possit, videtur :

1. Sicut enim excellit omnes virgines in virginitate, ita excellit omnes matres in maternitate.

2. Item, A digniori debet fieri denominatio : sed dignius est esse matrem Dei quam virginem : ergo dignior est excellentia maternitatis in beata Virgine quam excellentia virginitatis : ergo potius debuit dici mater matrum, quam Virgo virginum.

3. Item, Præcipua dignitas communicabilis est generatio : et huic ista est simillima : ergo beata Virgo deberet ab illa potius denominari.

4. Item, Omnium bonorum mater est [2]. Ergo et mater matrum.

Contra :

1. Quæ secundum prius et posterius et non univoce dicuntur, non sunt comparabilia : sed maternitas primo et princi-

[1] Pro solutione objectorum, vide infra in fine Quæstionis sequentis.

[2] Sapient. VII, 11.

paliter dicitur de beatissima Virgine, de aliis per posterius : ergo aliæ non sunt ei comparabiles in maternitate : sed res superlativi gradus comparantur rebus positivi gradus per genitivum : ergo nec proprie nec vere dicitur mater matrum.

2. Item, In virginitate beatissimæ Virginis fuit quod est in virginitatibus aliarum, scilicet integritas mentis et corporis, sed in ea perfectius et plus : sed maternitas non fuit in aliis ut fuit in ipsa : quia aliæ generaverunt ab alio homine, sed hæc non : et sic patet, quod comparabiliter dicitur virginitas de beata Virgine et de aliis, et non maternitas : ergo potest dici Virgo virginum, et non mater matrum.

3. Item, Ipsa non fuit prima mater matrum vel origo in maternitate : ergo beatissima Virgo non dicitur mater matrum, sed Virgo virginum.

Solutio. QUOD CONCEDIMUS, dicentes quod beatissima Virgo non dicitur mater matrum, sed Virgo virginum. Et notatur per genitivum duplex habitudo, generalis et specialis. Ratione habitudinis quam importat generaliter, notat originem. Ratione habitudinis specialis importat excellentiæ significationem. Ratione primi non convenit Christo, ut dicatur *virgo virginum* : quia ipse non fuit primus virgo : quia non generavit omnes alias per imitationem, sed ipsius mater quæ primo per votum virginitatis opprobrium virginitatis abstulit, et eam consecravit in se. Propter secundum, scilicet excellentiam nulla alia potest dici *virgo virginum* : quia ipsa sola excellit omnes alias virgines. Excellit autem in tribus, castitate, causalitate, fœcunditate, quæ tria non est in aliqua alia virgine invenire.

Concedimus etiam, quod in tantum beatissima Virgo excellit omnes matres in maternitate, quod etiam non videtur secundum eamdem rationem posse ei et aliis maternitas convenire, non quod aliquid ei deficiat quod exigitur ad perfectionem maternitatis, sed quia ipsa sola ita principaliter possidet rationem maternitatis, quod omnes aliæ matres dicuntur matres secundum diminutam rationem a ratione ipsius maternitatis, ut melius patebit infra in benedictionibus mulierum.

Aliorum solutio patet per ea quæ in contrarium sunt objecta.

QUÆSTIO CXLV.

Utrum ei conveniat esse matrem omnium?

NUNC restat videre de illo privilegio, secundum quod beatissima Virgo dicitur *mater omnium*. Quæritur, utrum illud ei conveniat ?

Et videtur, quod non :

1. Filii enim tempore non præcedunt matrem : sed multi tempore præcedebant Virginem Mariam : ergo non est mater omnium.

2. Item, Cum generatio sit ingressus in esse, et cum tantum triplex sit esse, scilicet naturæ, gratiæ, et gloriæ, beata Virgo non est mater omnium secundum esse naturæ : quia plurimi præcesserunt

eam secundum esse naturæ. Item, Nec secundum esse gratiæ: quia multi habuerunt gratiam antequam ipsa. Item, Eadem ratione nec secundum esse gloriæ: quia multi Angeli et homines habuerunt esse gloriæ antequam ipsa. Item, Si ipsa est mater per fidem: sed sunt multi qui numquam habuerunt vel habebunt fidem: ergo non mater omnium hominum. Item, Videtur quod non sit mater corporalium: quia corporalia non habent esse gratiæ: ergo non potest esse mater illorum in esse gratiæ. Et sic constat, quod nec in esse gratiæ, gloriæ, vel naturæ. Item, Animatum non proprie generat inanimatum. Item, Corporalia non habent fidem: ergo non est mater omnium istorum.

3. Item, Videtur quod nec mater omnium Angelorum: illi enim semper fuerunt in gloria: ergo nihil receperunt ab ipsa. Item, Angeli non sunt recreati: ipsa autem est mater per recreationem: ergo non est mater eorum. Item, Ipsa est mater per fidem: sed in Angelis non est fides: ergo non est mater Angelorum. Item, Quorumcumque ipsa est mater, illorum Christus est frater: sed Angelorum Christus non est frater: ergo ipsa non est Angelorum mater.

In contrarium objicitur:

1. Quod sit mater omnium: nam, Luc. II, 7: *Peperit filium suum primogenitum*. Ergo habuit secundo genitum: et constat, quod non corporaliter: ergo spiritualiter: sed generatio spiritualis una est omnium: ergo ipsa est mater omnium spiritualiter.

2. Item, Ad Hebr. II, 11: Filius ejus *non confunditur fratres eos vocare*, sicut dicitur, ad Roman. VIII, 29: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Genes. XXXVII, 27: *Frater enim et caro nostra est*. Sed ipsa est mater omnium suorum fratrum. Ergo ipsa est mater omnium hominum.

3. Item, Isa. LXVI, 8: *Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul?* Constat autem quod non quærit de terra secundum litteram: quia stulta esset quæstio: ergo intelligitur de terra secundum figuram: sed terra secundum figuram est beatissima Virgo: ergo ipsa pariet simul omnem gentem: ergo ipsa est mater omnium hominum.

4. Item, Marci, XI, 9: *Et qui præibant et qui sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna*, scilicet filio David. Dicit Augustinus, quod omnes sive præcederent, sive sequerentur incarnationem, salvabantur per fidem mediatoris Dei et hominum [1]: sed ad illam fidem necessario exigitur explicite vel implicite credere Deum incarnatum de Virgine: ergo per hoc regeneratio universalis: ergo fides incarnati de Virgine est, per quod est regneratio facta in esse gloriæ omnium hominum.

5. Item, Quod ipsa sit mater corporalium, sic probatur: Ipsa est mater innovationis corporalium juxta illud Apostoli, ad Roman. VIII, 22: *Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc*, quia *revelationem filiorum Dei exspectat* [2]: ergo ipsa est mater in esse innovationis omnium corporalium: quoniam omnis creatura renovabitur per ipsam, et liberabitur a servitute corruptionis in libertatem filiorum.

6. Item, Quod sit mater omnium, videtur: quoniam omnium bonorum mater est [3].

7. Item, Ipsa est mater grætiæ: sed per gratiam datur esse gratuitum et gloriosum: ergo ipsa est mater omnium bonorum bonitate gratiæ et gloriæ.

8. Item, De ipsa appropriate legitur: *Cum eo eram cuncta componens* [4]. Et tunc *Dominus possedit me in initio viarum suarum* [5]. Item, Eccli. XXIV, 5: *Primogenita ante omnem creaturam*. Ex his

[1] S. Augustinus, Lib. de Correptione et Gratia, cap. 7.

[2] Ad Roman. VIII, 19.

[3] Sapient. VII, 11.

[4] Proverb. VIII, 30.

[5] Ibid. ŷ. 22.

videtur, quod ipsa est mater omnium, et prior omnibus, et origo omnium.

9. Item, Bernardus : « Merito, o Domina, in te respiciunt oculi universæ creaturæ, in qua et ex qua benignissima manus Dei quidquid creaverat, recreavit. »

10. Item, Ipsa est mater omnium, et Deus Pater est origo omnium : quidquid autem per se origo et causa causæ est, per se est origo et causa causati : sed ipsa est mater ejus qui est causa et origo omnium : ergo ipsa per se est mater omnium.

11. Item, Angeli accipiunt a Domino Jesu illuminationem, perfectionem, beatitudinem : ipse enim est *in quem desiderant prospicere* [1], et per quem omnia restaurantur in cœlo et in terra [2]. Ergo et Angeli recipiunt quoddam esse gloriæ a beatissima Virgine : ergo ipsorum est mater in esse gloriæ.

12. Item, Ipsa est gratiæ mater : sed gratia generat gloriam : ergo ipsa est mater gloriæ : ergo ipsa est mater omnium quæ sunt in cœlo secundum esse gloriæ : ergo ipsa est mater Angelorum.

Solutio. Ad hoc dicimus respondendo, quod beatissima Virgo omnium bonorum mater est. Sed mater respectu filii quatuor habet proprietates, quæ sunt genitura, cura, prioritas, dignitas. Respectu alicujus habet omnes istas proprietates, et respectu alicujus aliquas et non omnes, et secundum magis et minus dicitur proprie omnium hominum mater. Item, Mater est secundum omnes proprietates maternitatis. Genitura : quia unum hominem genuit, in quo omnes regeneravit : et hoc est quod *peperit filium suum primogenitum*. Item, Mater nostra est cura : quia in uno nobis genuit quidquid ad hanc vitam vel futuram necessarium nobis fuit : unde dicit : *A generationibus meis implemini* [3]. Item, Quæ *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* [4] ? Item Ipsa est mater nostra prioritate : quia ipsa est *primogenita ante omnem creaturam* [5]. Ipsa est mater dignitate prædestinationis : ipsa enim ante sæcula prædestinata est, ut esset principium ex quo recreandum fuit omne creatum. Et secundum hoc loquuntur istæ auctoritates. Proverb. VIII, 15 : *Dominus possedit me*, etc., secundum quod de ipsa exponuntur.

Angelorum quoque mater dici potest genitura : quia generavit patrem Angelorum et restauratorem eorum. Similiter et corporalium mater genitura : quia genuit ipsorum innovatorem. Est etiam prior ipsis prioritate prædestinationis et dignitate prælationis. Item, universaliter : quia mater est creatoris omnium : ergo mater omnium creaturarum est. Et imo etiam, ut patet consideranti, mater est omnium dignitate.

Et sic patet qualiter proprium privilegium est beatissimæ Virginis, quoniam omnium bonorum mater est.

[1] I Petri I, 12.

[2] Cf. ad Ephes. I, 10 : *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso.*

[3] Eccli. XXIV, 26.

[4] Ad Roman. VIII, 32.

[5] Eccli. XXIV, 5.

QUÆSTIO CXLVI.

Utrum Maria appelletur stella maris proprie, vel translative?

Nunc restat videre de illo privilegio secundum quod beatissima Virgo dicitur *stella maris*. De quo primo quæritur, utrum hujusmodi appellatio dicatur proprie vel translative?

Et videtur, quod proprie : quia verba sumenda sunt secundum propriam significationem. Item, Ubi magis proprie est natura totius, ibi magis proprie natura partis : sed in spiritualibus magis proprie est natura totius lucis : ergo et ibi magis proprie est natura stellæ : ergo beatissima Virgo proprie dicitur *stella maris*.

Contra : Si sumitur proprie, ut dicitur de beata Virgine, et proprie ut dicitur stella : ergo inter illa non attenditur similitudo. Item, Secundum hoc beatissima Virgo potius diceretur stella cœli, quam stella maris.

Post hoc quæritur, si hæc appellatio conveniat beatissimæ Virgini transsumptive?

Et necesse est, ut dicit Philosophus, transferentes aliqua similitudine uti. Quæ est autem similitudo istius stellæ super alias stellas cum beatissima Virgine et gloriosa? Non enim videtur, per naturam substantem : quia illa eadem natura est etiam in aliis stellis. Item, figura hujus stellæ non convenit beatissimæ Virgini plusquam figura aliarum stellarum. Si enim propter majorem lucem, tunc aliæ quædam stellæ sunt magis stellæ luminosæ quam illa, sicut est lucifer : ergo potius dicetur beatissima Virgo lucifer, quam stella maris. Item, Si dicatur propter situm, hoc non videtur : quia illa est ultima in cauda Ursæ : beatissima autem Virgo non est ultima neque in cauda. Item, non propter motum : quia movetur cum firmamento sicut aliæ stellæ. Et sic non videtur, quod sit aliqua proprietas hujus stellæ super alias cum beatissima Virgine, propter quam debeat dici stella maris plusquam nomine stellæ alterius.

Item, Si dicatur, quod propter effectum : quia dirigit navigantes, hoc iterum commune est omnibus aliis stellis, et lunæ, et aliis planetis.

Item, Si dicatur, quod sicut stella dirigit nautas claritate suæ lucis, ita beatissima Virgo totum mundum luce suæ conversationis, et sic dicatur stella ratione exemplaritatis, tunc quæritur, utrum sibi soli hoc conveniat, ut hoc habeat pro privilegio? Et videtur, quod non : quia dictum fuit Moysi : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est*[1]. Quod quasi exponens beatus Dionysius dicit, quod hierarchia humana per exemplaritatem descendit a cœlesti. Et ideo in Apocalypsi, xxi, 2 : *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo*. Ergo videtur, quod ratio exemplaritatis universalis sit in Ecclesia triumphante respectu militantis : et sic ab illa exemplaritate non dicetur beatissima Virgo stella maris.

[1] Exod. xxv, 40.

Item, Psal. XXXIX, 8 : *In capite libri scriptum est de me.* Glossa : « Ego sum liber humani generis. » Item, Omnis Christi actio, nostra est instructio. Item, Ipse Christus dicit, Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi.* Ergo potius ipse dicetur stella maris.

Item, Sacra Scriptura sufficienter ostendit omnia pericula vitanda et omnia compendia navigandi ad portum patriæ : unde dicitur, Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Ergo proprietas a qua beatissima Virgo dicitur *stella maris*, etiam convenit sacræ Scripturæ.

Item, Cum Virgo beatissima sit data nobis in exemplum innocentiæ, Maria autem Magdalena in pœnitentiæ exemplum illis qui sunt in naufragio constituti, videtur potius, quod beata Maria Magdalena dicatur stella maris.

Item, Daniel, XII, 3 : *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Ergo videtur, quod proprietas hæc conveniat omnibus Doctoribus.

Item, Quæritur juxta hæc, utrum hæc proprietas conveniat beatissimæ Virgini secundum statum viæ?

Videtur, quod non : quia in illo statu fuit abscondita vel occulta. Si autem secundum statum patriæ, tunc potius diceretur stella cœli. Item, Cum non tantum viam ostendat, sed etiam transvehat, potius deberet dici navis maris, quam stella maris.

Item, Quæritur, quare ab hac proprietate nomen acceperit, cum habuerit nobiliores respectu Dei, et respectu nostri?

Quod autem beatissima Virgo proprie dicatur *stella maris*, sic probatur : Una est proprietas illius stellæ, quod est sita in summo poli respectu omnium : et beatissima Virgo est suprema omnium sanctorum : ergo ipsa convenienter participat nomen illius. Item, Ut dicit Diastenes de Ursa minore, quod in principio Libræ caudæ stella est infima una quæ *polus* appellatur, per quem locum mundus iste existimatur versari : nulli autem puræ creaturæ videtur potius convenire mundum circa ipsam versari quam gloriosæ reginæ cœli et mundi : ergo ipsa est stella maris.

Item, Ista stella implet numerum septenarium, qui est numerus virgineus : quia, ut dicit Macrobius, omnes numeri infra decadem, vel generant, vel generantur, præter septenarium : et cui magis hoc proprium quam illi quæ nec secundum naturam genuit, vel genita fuit?

Item, Ista stella est summa et ultima in cauda Ursæ : et quid est hoc nisi illa quæ suprema dignitate et humilitate ultima?

Item, Hæc stella ferrum attrahit : et beatissima Virgo per infinitam suam misericordiam peccatores duros ad modum ferri ad cœlum trahit. Item, nautas dirigit : et beatissima Virgo omnes naufragantes ad portum salutis remittit.

Item, Sita est contra Aquilonem : et beatissima Virgo semper versa est ad peccatorem.

Ex his patet, quod multæ sunt stellæ illius proprietates soli Virgini appropriabiles, propter quas secundum modum transsumptionis beatissima Virgo dicitur *stella maris*. Sunt igitur plures illius stellæ proprietates, et quædam illarum illi soli conveniunt, quibus respondent aliæ illis improportionabiles in beatissima Virgine : propter quam convenientiam ipsa sola dicitur *stella maris*.

Si autem quæritur, quæ illæ proprietates sint, in quibus est similitudo? Dicimus, quod in illa stella est considerare substantiam, qualitatem, situm, statum, effectus. Substantia est cœlestis, incorruptibilis, origo lucis : et beata Virgo est cœlestis conversatione, incorrupta corpore, origo lucis in generatione. Qualitate est superior, clarior, et utilior : et sic beatissima Virgo est omnibus supe-

rior dignitate, clarior virginitate, utilior fœcunditate. Situ est suprema, et in cauda ultima : et beatissima est suprema situ poli in dilectione Dei, et in cauda nostræ turpitudinis protectione, et ultima humilitate. Statu hæc stella est quasi sine motu, sine occasu, et quasi sine errore : et beatissima Virgo fuit sine motu inconstantiæ, sine casu culpæ, sine errore ignorantiæ. Effectus stellæ est triplex, ferrum attrahit, lucem tribuit, nautas dirigit. Sic beatissima Virgo attrahit peccatores, illuminat pœnitentes, dirigit innocentes. Item, attrahit a culpa, illuminat in justitia, dirigit ad gloriam. Vel sic, attrahit insipientes, illuminat proficientes, diligit perfectos et perseverantes.

Et nota, quod Dominus beatissimæ Virginis opus recreationis secundum quatuor genera causarum communicavit. Causa efficiens nostræ regenerationis post Deum, sub Deo, et cum Deo ipsa fuit : quia illa illum nobis genuit, qui nos omnes regeneravit, et ipsum gignere suis virtutibus de congruo promeruit. Item, causa materialis : quia Spiritus sanctus de purissimis carnibus ejus et sanguinibus, ipsius consensu mediante, carnem sumpsit : quam in corpus transformavit, per quod redemptio nostra facta fuit. Item, causa finalis fuit : quia per totum opus redemptionis post Deum in ipsius gloriam et honorem ordinatum fuit. Unde, Apocal. IV, 10, seniores et omnes sancti mittunt coronas suas ante pedes Agni, recognoscentes se esse coronatos illa humilitate et humanitate quam accepit de Virgine. Et ipsa est illa mulier quæ habet coronam duodecim stellarum [1], id est omnium sanctorum : quia omnes per ipsam sunt coronati. Et sic Filius dividit cum ipsa causam finalem recreationis. Item, causa formalis est ipsa recreationis : quia omnibus luce suæ deiformissimæ conversationis est speculum, et exemplar reversionis a tenebris, et directionis et conversionis ad contuitum primæ lucis. Et propter hoc ratione universalitatis per modum exempli directionis et reductionis dicitur Virgo clarissima *stella maris*.

Convenit ergo illud privilegium beatissimæ Virgini in statu patriæ, sed ratione eorum qui sunt in statu viæ : quia sicut stella in cœlo, sic dirigit navigantes in mundi pelago. Unde non dicitur navis maris ratione illius proprietatis : navis enim fluctibus conquassatur, et non dirigit, sed dirigitur. Scripturæ quoque non competit ista appellatio : Scriptura enim dirigit per verba, stella vero, id est, beatissima Virgo dirigit per exempla.

Item, Christus vel Deus non dicitur *stella maris* : quia est fons totius lucis. Nec Magdalena dicitur *stella maris* : quia non dirigit omnes, sed tantum pœnitentes, et taliter ipsa dirigit, quod etiam ipsa dirigitur. Sed stella navem dirigit, et a navi non dirigitur. Magdalena illuminat per opera pœnitentis ad pœnitentiam, et non ad opera innocentiæ, et etiam per opera non dico pœnitentis, sed pœnitentiæ : fuit enim innocens, sed non minus fecit opera pœnitentiæ. Item, alii tantum illuminabant viduis, alii tantum conjugatis, alii tantum virginibus : sed beatissima Virgo illuminabat omnibus simul, viduis, conjugatis, et virginibus.

Ex his patet, qnod privilegium est beatissimæ Virginis Mariæ, quod vocata est *stella maris*.

[1] Apocal. XII, 1.

QUÆSTIO CXLVII.

Utrum bene dicatur porta cœli?

Restat nunc videre de privilegio illo secundum quod dicitur *porta cœli*.

Contra quod sic objicitur:

1. Ædificium non est perfectum sine porta: sed antequam beatissima Virgo fieret, cœlum habuit portam: ergo ipsa non est porta cœli.

2. Item, Porta non intrat: sed per portam omnes alii intrant: sed beatissima Virgo cœlos penetravit: ergo non est porta cœli.

3. Item, Quæritur qualiter nos secum importet? Si per exemplum vel suffragium, sic quilibet sanctus est porta cœli. Si per meritum, tunc Christi crux est porta cœli: quia passio Christi aperuit nobis cœlum.

4. Item, Joan. x, 7: *Ego sum ostium*: ergo non beata Virgo. Item, Ezechiel in descriptione novi templi vidit plures portas[1], et Joannes duodecim in civitate nova, id est, in cœlo[2]. Ergo beata Virgo non est tantum porta.

5. Item, Pœnitentia est porta in cœlo: ergo non ipsa tantum porta cœli. Item, Jacob, Genes. xxviii, 17: *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli*: ergo Ecclesia est porta cœli.

6. Item, Matth. xix, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: ergo observantia mandatorum est porta cœli.

Contra:

1. Proprietas portæ est importare et exportare: sed nec mandata nec pœnitentia exportant, sed tantum important: sed beatissima Virgo et egredientes exportavit, et ingressores importat: ergo ipsa est proprie porta.

2. Item, Christus importat, sed non exportat.

3. Item, Porta potest esse in ostio.

4. Item, In templo fuerunt duo ostia quæ simul aperiebant et claudebantur: ergo et in cœlo Dominus et beata Virgo.

5. Item, Augustinus: « Illa fides sana est, qua credimus nullum hominem sive majoris sive minoris ætatis liberari a contagione mortis, et obligatione peccati quod prima nativitate contraxit, nisi per unum Deum mediatorem Dei et hominum Jesum Christum[3]. » Item, Idem: « Eadem fides mediatoris quæ nos salvat, multos salvos justos faciebat antiquos[4]. » Item, Gregorius super Ezechielem dicit, quod *qui præibant et qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna*[5]! quia omnes electi qui in Judæa poterant esse, vel nunc sunt in Ecclesia, in mediatorem Dei et hominum crediderunt et credunt[6].

Ex his patet, quod fides mediatoris est quæ introducit credentes: et in illum mediatorem implicite vel explicite oportebat ipsum credi esse natum de Virgine: et ille est primus articulus de hujusmodi mediatore: et sic fides incarnati de Virgine in quantum de Virgine omnes por-

[1] Cf. Ezechiel, xl, 6 et seq.
[2] Apocal. xxi, 12.
[3] S. Augustinus, Epist. 157 ad Optatum.
[4] Idem, Lib. de Correptione et Gratia, cap. 7.
[5] Marc. xi, 9.
[6] S. Gregorius M., Homilia XVII super Ezechiel.

tat in cœlos : ergo ipsa est proprie porta cœli.

Juxta hæc quæritur, qualiter differat cœli porta et fenestra cœli, et qualiter beata Virgo dicatur utrumque?

Ad hæc dicimus, quod beata Virgo proprie dicitur *porta cœli :* quia per ipsam exivit quidquid gratiæ umquam creatum vel increatum in hunc mundum venit vel venturum fuit : omnium enim bonorum mater est et mater gratiæ, et mater misericordiæ : et etiam ipsa gratia increata tamquam aquæductus exivit ab ipsa et venit in mundum. Item, Per ipsam intravit quidquid umquam boni de cœlis in terram descendit, et e converso : unde dicit Filius ejus, Sapient. vii, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Unde ipsa est porta templi speciosa, quæ Filio exeunti per ipsam fuit clausa. Unde, Ezechiel. xliv, 2 : *Porta hæc clausa erit,... quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

Hæc porta omnibus intrare volentibus est pervia. Unde ipsa est duodecim portæ: quia ipsa ex omni parte mundi tria hominum genera, viduas, conjugatas, et virgines apportat et importat.

Est autem non solum porta importando homines, sed et fenestra per quam lux venit in hunc mundum : et lux quæ de terra orta est, de ipsa procedens penetravit cœlum, lux illuminans cœlum et mundum.

Ex quo patet qualiter gratiosa Virgo est porta et fenestra cœli.

QUÆSTIO CXLVIII.

Utrum communicaverit passioni Filii?

Post hæc quæritur de privilegio quod est communicatio passionis.

Et videtur secundum quod exponitur primo, quod

1. Non fuerit ei passio communicata per illud Isaiæ, lxiii, 3 : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Glossa : « Tormenta sustinui. » Item, Glossa : « Solus Samson præcisis crinibus fuit[1], etc. » Nec Angelus, nec Archangelus, nec quilibet cœlestis spiritus, denique humani generis nullus, vel Gentilis, vel Judæus, sed solus Deus pugnat et superat : ergo nulli est passio communicata.

2. Item, Omnes alii sunt in statu salvandorum et redimendorum : ipse solus redemptor et salvator : sed ad redemptionem passio pertinet : ergo ipse solus fuit passus.

3. Item, In immolatione Isaac et omnibus aliis figuris passionis, numquam figuratur sub participatione plurium : ergo et in figurato tantum debet esse passus unus pro omnibus.

4. Item, Psal. cxl, 10 : *Singulariter sum ego, donec transeam.* Et sic videtur, quod communicatio passionis non est privilegium beatissimæ Virginis : eo quod non fuit communicata alicui creaturæ.

[1] Cf. Judicum, xvi, 17 et seq.

E CONVERSO videtur, quod non possit esse privilegium beatissimæ Virginis :

1. Eo quod pluribus et non ipsi soli fuerit communicatum : quod probatur per illud Job, XIX, 20 : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.* Glossa Gregorii : « In osse fortitudo, in carne corporis infirmitas designatur : per os Christus, per carnem discipuli designantur, qui tempore passionis infirmi fuerunt : per pellem quæ exterior est, fœminæ sanctæ designantur, quæ exterioribus Deo ministeriis servirunt. Quare igitur consumptis carnibus os Domini adhæsit pelli suæ ? quia fortitudo ejus fugientibus se discipulis invenit juxta se mulieres : » ergo non soli Mariæ tempore passionis communicata est passio vel fides passionis.

2. Item, Joan. XIX, 25 : *Stabant juxta crucem Jesu mater ejus*, etc. : ergo ipsa non sola consors passionis.

3. Item, Ibidem, vv. 26 et 27 : In cruce dixit Jesus matri suæ : *Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua.* Hic nota qualiter beatus Joannes honoratur tanto privilegio, ut filius Virginis diceretur, et ut sibi mater Dei committeretur : nec hoc factum fuisset, si non fuisset fidelis servus et prudens, cui committeret Dominus matrem suam. Si autem fidelis, ergo habuit fidem et passionem.

4. Item, Marc. XIV, 51 et 52 : *Adolescens quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo : et tenuerunt eum. At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis.* Glossa : « Ab eis, quorum et præsentiam detestabatur et facta, non a Deo, cujus amorem etiam absens corpore fixum servavit in mente. » Sed charitas non est sine fide. Ergo Joannes habuit fidem compassionis.

5. Item, Lazarus fuit nuper suscitatus in anima et corpore, et multa de pœnis infernalibus narravit, ut dicit Chrysostomus. De illo igitur qualiter opinabile est, quod tam cito ceciderit a fide. Item, Latro in cruce per veram pœnitentiam placuit Deo : sed *sine fide impossibile est placere Deo*[1] : ergo habuit fidem et compassionem : ergo hoc non est privilegium Dominæ nostræ, quod potest etiam latroni convenire. Item, Elias et Henoch qui locuti fuerunt cum Domino in transfiguratione, habuerunt etiam fidem incarnationis et passionis. Item, Joannes Baptista in limbo habuit fidem. Item, Multi absentes quibus Dominus non prædicaverat, ut ille de quo dixit, Matth. VIII, 10 : *Non inveni tantam fidem in Israel.* Et multi alii. Item, Glossa super illud Marci, XIV, 72 : *Et cœpit flere* : « Egreditur foras ut ab impiis secretus, negationis culpam liberius abluat fletibus. » Item, Cornelius fidem habuit et præsens non fuit.

Et videtur ex his quod multi tempore passionis habuerunt fidem, et per consequens passionem. Et sic non potest poni privilegium fides passionis vel communicatio passionis.

SED CONTRA :

1. Si de eo quod magis videtur inesse et non inest, nec de eo quod minus. Sed maxime videbatur de mulieribus, quod habuerunt fidem passionis, ut patet supra per Glossam Gregorii. Et inter mulieres maxime videbatur de Maria Magdalena : sed illa non habuit fidem tunc : ergo nec aliquis nec aliqua earum. Minor patet, Joan. XX, 1 : *Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.* Chrysostomus : « Quia adhuc fuit in tenebris infidelitatis. » Item, Joan. XX, 13 : *Mulier, quid ploras ?* Glossa : « Non lacrymas nudas, sed fidem quære : bonæ lacrymæ, si Jesum agnoscas. » Et infra, v. 17 : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Glossa : « Non quod nollet tangi nisi cum ascendisset in cœlum, cum et mulieres et alii in terra eum tetigisse legantur et non sedentem in cœlo. » Vult igitur sic se spe-

[1] Ad Hebr. XI, 6.

cialiter tangi, id est, sic se credi, ut sit æqualis Patri : et quia ista adhuc in eum carnaliter credebat, quem sicut hominem flebat, audit : *Noli me tangere*, id est, sic in me credere : *quia nondum* in corde tuo *ascendi ad Patrem meum*, id est, nondum credis me esse æqualem Patri : tunc tanges cum me in Patre Deum credes. Item, Quem mortuum credis viventem tangere non mereris.

Ex his patet, quod Magdalena de qua minime videbatur, in passione Domini discredidit et cecidit : ergo et omnes alii.

2. Item, Matth. xxvi, 31 : *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Glossa : « Prædicit quid passuri sunt, ut post eventum non desperent, sed pœnitentia liberentur. » Item, Infra, ℣. 56 : *Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Item, Petrus qui expressissime fidem fuit protestatus, ter negavit : ergo multo fortius alii. Item, Marci, xiv, 5 : *Quidam adolescens amictus sindone.* Glossæ : « Possumus hunc Joannem fuisse intelligere. » Ergo Joannes fugit. Item, Joan. xx, 4 : *Currebant duo simul.* Et infra, ℣. 8 : *Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat prius ad monumentum : et vidit, et credidit.* Et sic patet, quod Joannes non prius credidit. Item, De mulieribus, Bernardus : « Sic vos, o bonæ mulieres, cuinam, quæso, excubias exhibetis ? cui aromata comparatis, paratis unguenta? Si sciretis quantus is sit, quam sit *inter mortuos liber* [1], mortuus iste quem vos ungere pergitis, vos forsitan petissetis ab eo ungi. Nonne iste est, quem *unxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis* [2] ? Beatæ eritis vos, si gloriari potueritis revertentes, et dicere, *quod de plenitudine ejus accepimus nos omnes* [3]. Enimvero factum est ita. Nam revera unctæ remeant, quæ uncturæ venerant. Missæ ab Angelo opus faciunt Evangelistæ, factæ Apostolæ Apostolorum, dum festinant ad annuntiandum mane misericordiam Domini [4]. » Ex his patet, quod mulieres in passione Domini discrediderunt.

3. Item, Quod beatissima Virgo sola tempore passionis permanserit in fide, videtur posse subtiliter inveniri secundum Isaiam, xliii, 3, cum dicit : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Si enim omnes homines voluisset excludere, suffecisset dicere : *Calcavi solus :* et sic superfluum esset dicere : *De gentibus non est vir mecum.* Item, sic dixisset potius : De gentibus nullus est mecum. Quando igitur viros exclusit, constat quod aliquam fœminam reliquit, quam non exclusit, quæ torcular passionis secum sustinuit et calcavit.

Item, Magis videbatur de mulieribus quam de viris, quod secum calcaverant : quia illæ stabant circa crucem : ergo si voluisset omnes excludere, potius debuit eas expressisse de quibus videbatur magis inesse.

Item, Addit Ambrosius : « Stabat juxta crucem, non ut dolorem Filii consideraret, sed ut salutem humani generis exspectaret. » Ergo ipsa sola stabat, et omnes alii et aliæ fugerunt corde vel corpore : ergo ipsa sola Domino communicavit in passione fide et compassione.

4. Item, Videtur quod communicatio passionis non debeat poni pro privilegio. Omne enim privilegium aliquod debet importare commodum illi cujus est privilegium : istud autem non videtur importare commodum, sed tormentum.

Item, Liberatio a pœna est signum et effectus dilectionis : ergo infligere pœnam non est signum dilectionis : ergo non est privilegium.

Contra :

1. Joan. xviii, 11 : *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum ?* Item, Ibidem, xvii, 1 : *Pater, clarifica Filium tuum*, etc. Item, Ad Philip. i, 29 : *Vobis*

[1] Psal. lxxxvii, 16.
[2] Psal. xliv, 8.
[3] Joan. i, 16.
[4] S. Bernardus, Serm. 75 super Cantica.

donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Item, Ad Hebr. xii, 6 : *Flagellat Deus omnem filium quem recepit.* Item, Jacob. i, 2 : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Item, Act. v, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu consilii, quoniam digni*, etc. Ex his igitur patet et manifestum est, quod communicatio passionis est privilegium.

2. Item, Quod in passione Domini sustinuerit beatissima Virgo, patet per Damascenum [1], qui dicit, quod dolores quos effugit pariens, in Christi passione sustinuit. Luc. ii, 35 : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Item, Isa. lxvi, 7 : *Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum.* Ex hoc sequitur, quod aliquando peperit sine parturitione et sine dolore. Et postmodum, ℣. 8, sequitur : *Numquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos ?* Ergo aliquando peperit gentem simul, et cum parturitione et dolore : ergo peperit Filium suum primogenitum sine dolore in sua nativitate, postea peperit totam gentem simul in Filii passione, ubi facta fuit ei in adjutorium simile sibi, ubi ipsa mater misericordiæ Patrem misericordiarum in summo opere misericordiæ adjuvit, et una secum omnes homines regeneravit. Et hæc regeneratio cum summo dolore utriusque fuit. Unde Glossa ibi posita : « Multo labore in fide genuit. »

Ex his patet, quod Pater misericordiarum soli matri misericordiæ opus summæ misericordiæ, id est, passionem communicavit [2].

QUÆSTIO CXLIX.

An sicut Dominus in passione simul habuit gaudium summum et summum dolorem, ita B. Virgo simul utrumque habuerit ?

Quæritur juxta hoc, an sicut Dominus in passione simul habuit gaudium summum et summum dolorem, ita beatissima Virgo simul habuerit utrumque ?

Et videtur, quod sic :

1. In ipso enim fuit utrumque : si ergo communicasset matri alterum eorum tantum, non fuisset æquum consortium.

Item, Dolor non est meritorius sine dilectione. Apostolus, I ad Corinth. xiii, 3 : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed impossibile est dilectionem esse sine delectatione. Ergo simul habuit dolorem et delectationem : ergo et summum dolorem habere potuit cum summa delectatione.

Item, Quod ibi fuerit summus dolor, probatur : Omnis dolor est ex amore. Amor autem est triplex, naturalis, acquisitus, et gratuitus. Naturalis in summo fuit ibi : quia quanto natura nobilior,

[1] S. J. Damascenus, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 15.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CL.

tanto nobiliores habet affectiones et operationes : sed ipsa summe habuit naturam nobilem : ergo summe nobilem amorem naturalem.

Item, Acquisitus fuit ibi in summo : omnes enim causæ accidentales quæ inducunt matrem ad diligendum filium suum, hic fuerunt in summo : numquam enim Filius matrem suam tantum dilexit, vel tantum honoravit, vel tantum dedit, vel pro ipsa sustinuit, et sic de singulis accidentalibus causis dilectionis : ergo amor acquisitus ibi in summo fuit.

Item, Gratuitus ibi in summo fuit : quia numquam alia mater vel alia creatura tantam charitatem habuit, ut supra patuit. Et sic beatissima Virgo ad Filium suum in summo habuit amorem naturalem, acquisitum, et gratuitum : ergo si iste triplex habitus amoris simul eliciat unum motum amoris in summo, illa erit dilectio intensissima, et dolor illi respondens erit dolor in summo : sed tam naturalis quam acquisita quam gratuita dilectio respectu nullius ita est intensa sicut est respectu vitæ dilecti : ergo naturalis, acquisitus, infusus sive gratuitus amor in summo diligit vitam in dilecto : ergo de morte dilecti dolet in summo : ergo cum beata Virgo respectu Filii sui habuerit omnifariam dilectionem in summo, constat quod de morte ipsius habuit omnifariam dolorem in summo.

Item, Quod ibi fuerit gaudium sive delectatio in summo, probatur : Dilectus gaudet de bono dilecti, et magis gaudet de majori bono : ergo de summo bono dilecti in summo gaudet : sed charitas est dilectio Dei et proximi, et in summo charitas perfecta gaudet in summo : sed summus honor Dei, et proximi summa utilitas fuit in passione et per passionem in summo : et beatissima Virgo habuit tunc charitatem in summo : ergo tunc gaudebat in summo : ergo simul habuit gaudium et dolorem in summo.

2. Item, Ex dilectione est compassio : ergo ubi improportionabilis est dilectio, ibi improportionabilis est compassio : ergo ubi videtur dilectio in summo, ibi et compassio in summo.

3. Item, Majus est gaudium Angelorum quod habent de unius peccatoris conversione, quam aliquod gaudium hujus vitæ : ergo ex æquali charitate vel majori improportionabiliter, erit magis gaudium.

4. Item, Angeli de passione Domini habuerunt delectationem et non compassionem, aliqui mali compassionem et non delectationem : ergo ipsa debuit habere utrumque.

5. Item, Beatissima Virgo communicavit recreationi : sed recreatio est per passionem : ergo et passio fuit ei communicata.

6. Item, Bernardus : « Longe eam plusquam martyrem non immerito prædicemus [1]. »

Contra hoc objicitur in hunc modum :

1. Summus dolor et summum gaudium opponuntur : ergo non sunt simul in eodem. Si dicatur, quod dolor de morte Filii et gaudium de salute generis humani non opponuntur, tunc adhuc objicitur, quod motus majores impediunt minores : ergo videtur impossibile, quod anima tota quando absorbetur dolore, quod tunc in summo tripudiet et exsultet in amore et delectatione.

2. Item, In dolore anima convertitur super malum in quantum malum, in gaudio super bonum in quantum bonum : sed impossibile est simul animam converti super diversa tamquam terminos : ergo impossibile est animam simul gaudere et dolere.

3. Item, Impossibile est animam simul moveri diversis motibus : ergo impossibile est eam simul gaudere et dolere [2].

[1] S. Bernardus, Serm. de Beata Maria, *Signum magnum*.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CL.

QUÆSTIO CL.

Utrum habuerit summum gaudium in passione Filii?

Postquam probatum est, quod beatissima Virgo summum gaudium habuit in passione Filii, quæritur de comparatione hujusmodi gaudii quod habuit in passione, ad alia gaudia, quando scilicet habuerit maximum gaudium?

Et videtur, quod in Filii sui conceptione, hac ratione :

1. Ex bono est gaudium. Job, III, 21 : *Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum.* Ergo cum summo dono gaudium summum. Sed in conceptione accepit summum donum : cum enim Deus Pater Filium suum dedit, quomodo non etiam cum illo ei omnia bona donavit? ergo tunc summum gaudium habuit.

2. Item, Tunc tantum legitur cantasse canticum exsultationis, Luc. I, 46 : *Magnificat anima mea Dominum* : ergo tunc maxime videtur gavisa fuisse.

3. Item, Ablatio væ est causa lætitiæ : sed tunc, ut dictum est supra, ablatum est ei et fugit omne væ : ergo tunc summam habuit causam lætitiæ.

4. Item, Novitas est causa lætitiæ, juxta illud Lucæ, XV, 31 et seq. : *Fili, tu semper mecum es*, etc. *Epulari autem et gaudere oportebat*, etc. Ergo videtur a simili, quod beatissima Virgo in novitate conceptionis maximum effectum gaudii habuerit.

5. Item, Tunc cum summo conferibili dono accepit causam et meritum ad omnia alia dona necessario consequenda : ergo tunc summam habuit causam gaudii : ergo summum effectum gaudii.

E converso autem videtur, quod in nativitate Filii summum gaudium habuerit, ex hac ratione :

1. Si nativitas vel generatio fuerit perfectior, erit causa perfectioris et plenioris gaudii : sed perfectior et plenior est generatio ex utero quam in utero : ergo perfectius et plenius et majus fuit gaudium in nativitate quam in conceptione.

2. Item, Illa die dixit Angelus, Luc. II, 10 et 11 : *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator.* Si igitur nativitas Domini est causa gaudii : ergo ille qui habet improportionabiliter propinquiorem comparationem ad Salvatorem quam omnes alii, habebit improportionabiliter majorem causam gaudii : hæc autem est mater Salvatoris : ergo illa die habuit summum gaudium.

3. Item, Joan. XVI, 21 : *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium*, etc. Ergo, etc.

4. Item, Luc. I, 14 : *Et multi in nativitate ejus gaudebunt*, etc. Ergo majus gaudium videtur pertinere ad nativitatem quam ad conceptionem.

5. Item, In conceptione ipsam delectationem tantum habuit visu intellectuali : in nativitate vero intellectuali et sensuali : ergo tunc tantum reficiebatur intellectus, nunc autem intellectus et sensus : ergo tunc tantum gaudium fuit,

nunc autem exsultatio et lætitia : ergo majus gaudium.

6. Item, Similius fuit gaudio patriæ, ubi oculus corporis reficietur Domini humanitate, et oculus cordis in ejus divinitate : sed meliori et honorabiliori similius, est melius et honorabilius : ergo nobilius fuit gaudium nativitatis quam conceptionis.

7. Item, Bonum additum bono, magis facit ipsum esse bonum : ergo magis dilectum majorem dilectionem : sed conceptio est bonum, partus est bonum : ergo bonum duplicatum duplicat delectationem : ergo gaudium quod fuit in conceptione, duplicatum fuit in nativitate.

8. Item, Prius gaudebat se virginem concepisse, nunc vero virginem peperisse et virginem lactare : ergo modo habuit maximum gaudium.

Contra videtur, quod

1. Majus habuit gaudium in Filii passione : quia, ut dictum est supra, ipsa numquam gavisa fuit tantum de aliquo, quantum de honore Dei et salute proximi : sed utrumque fuit in passione in summo : ergo tunc habuit gaudium in summo.

2. Item, Charitas gaudet de bono dilecti. Triplex autem est bonum, honestum, utile, et delectabile. Quodlibet istorum in beatissima Virgine in passione respectu Filii sui fuit in summo. Unde ipse appellat passionem suam claritatem. Joan. xvii, 5 : *Clarifica me tu, Pater* : propter honorem scilicet quem summum habuit per passionem, propter quam *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* [1], etc. Appellat etiam eam cibum et potum propter delectationem quam in summo effectu tunc habuit. Numquam enim in aliquo creato tantum delectatus fuit, quantum in redemptione generis humani per passionem. Appellat etiam eam donum dicens : *Calicem quem dedit mihi Pater* [2], propter suum lucrum quod mediante passione acquisivit, per quam omnia ad se traxit. Sic igitur quodlibet genus boni dilecti in passione fuit in summo : ergo et in diligente tunc fuit delectatio in summo.

3. Item, Motivum affectus et generativum delectationis non est nisi bonum. Bonum autem aliud creatum, aliud increatum : ergo si utrumque in summo movebat affectum recte dispositum, utrumque causabat delectationem in summo. Bonum autem increatum semper in summo est in se, sed non semper in summo in ostensione et exhibitione, ipso testante qui ait, Joan. xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam*, etc.

4. Item, Summus effectus boni est redemptio generis humani : ergo summum increatum et summum creatum bonum in passione simul movebant affectum beatissimæ Virginis optime dispositum : ergo tunc summum habuit gaudium.

5. Item, In conceptione fuit mater Dei et hominis in utero, in nativitate fuit mater Dei et hominis ex utero, in passione autem est mater Dei et hominis redemptoris : unde quæ prius fuit mater creatoris, modo est mater redemptoris sive recreatoris : ergo duplicatum est donum et bonum : ergo gaudium.

6. Item, In conceptione et nativitate fuit effecta mater tantum unius Dei et hominis, in passione vero fuit facta mater omnium hominum : ergo tunc multiplicatum et majus gaudium habuit.

7, Item, Finis melior est et nobilior his quæ sunt ad finem : ergo quod fini propinquius est, melius est et nobilius : sed conceptio est propter nativitatem, nativitas propter passionem, passio propter redemptionem : ergo passio fini propinquior : ergo melior : ergo majus delectamentum : ergo majus gaudium.

Quod autem in resurrectione Filii

[1] Ad Philip. ii, 9.

[2] Joan. xviii, 11.

maximum gaudium habuit, videtur : quoniam

1. Effectus dilectionis est flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus, juxta illud Joannis, xiv, 28 : *Si diligeretis me, gauderetis*, etc. Sed Dominus summum gaudium habuit in resurrectione : quoniam gaudebat anima et cum corpore et divinitate : ergo Domina nostra in summo debuit tunc gaudere.

2. Item, Dicit Apostolus [1], quod *traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Ergo etiam ex parte nostri resurrectio propinquior fuit fini : ergo major causa gaudii.

3. Item, Ecclesia tunc specialiter utitur hac exsultatione : « Hæc est dies quam fecit Dominus. »

4. Item, In illo festo plus cantatur *Alleluia* quam in alio festo : ergo videtur, quod cantus illius festi sit maxime causa gaudii.

5. Item, Resurrectio Christi est causa et exemplar illius vitæ in qua est summa exsultatio : ergo illud festum propinquissimum est summo gaudio : ergo tunc debet esse summum in hac vita gaudium.

6. Item, Beatissima Virgo plus dilexit Filium quam totum mundum : ergo plus gavisa fuit de bono Filii, quam de bono totius mundi : sed bonum mundi et pœna Christi fuit in passione, bonum autem Christi, scilicet liberatio ab omni pœna, fuit in resurrectione : ergo plus gavisa fuit de resurrectione quam de passione.

Videtur autem, quod maximum in Christi ascensione habuerit gaudium. Tunc enim Filius primo dicitur habuisse gaudium et festum perfectum. Tunc enim primo in reportatione ovis in humeris convocat amicos suos, dicens : *Congratulamini mihi, omnes amici mei* [2].

Item, Tunc primo pater Filio suo prodigo fecit festum cum amicis suis [3]. Item, Tunc primo rediit de exsilio in palatium. Item, Tunc primo janua cœli aperta est, et homo introductus. Item, Tunc primo redemptio completa est, et ruina jam in parte restaurata. Item, Tunc primo maximus honor Filio et matri exhibitus est, quando caro sua super choros Angelorum exaltata est. Item, Tunc primo quantum ad manifestationem datum est ei nomen quod est super omne nomen [4]. Cum igitur in ascensione fuerit completissimus effectus boni et propinquissimus fini, videtur quod tunc maximum habuerit gaudium beatissima Virgo Maria.

Adhuc autem videtur majus his omnibus hoc quod

1. Habuit gaudium in ipsius assumptione. Tunc enim perfecte habuit gaudium fruitionis, ante autem non.

2. Item, Illud gaudium nullam secum patitur tristitiam vel pœnam sicut omnia prædicta : ergo videtur majus omnibus illis.

3. Item, Illud secundum statum patriæ, alia secundum statum viæ. Isa. xxxi, 9 : *Ignis ejus in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.*

4. Item, Majus est esse beatam quam esse matrem Dei, si alterum separaretur ab altero : ergo beatissima Virgo majus accepit in sua assumptione gaudium, quam in Filii nativitate : ergo majus tunc habuit gaudium quam ante.

Contra hæc omnia :

Et primo de gaudio conceptionis objicitur in hunc modum : quo dato datur reliquum, et non convertitur, majus est illo : sed dato, quod sit mater Dei, datur beatitudo fruitionis, et non e contra : ergo gaudium conceptionis majus est gaudio fruitionis : ergo majus omnibus aliis : quia quidquid majus majore, etiam majus est minore [5].

[1] Ad Roman. iv, 25.
[2] Luc. xv, 6.
[3] Ibid. v, 29.

[4] Ad Philip. ii, 9.
[5] Pro solutione omnium objectorum, vide immediate infra.

Responsio ad quæstiones CXLVIII, CXLIX et CL.

Ad hæc solvendo dicimus, quod hoc privilegium quod dicitur *communicatio passionis*, duo importat, fidem crucifixi Dei et hominis, et per se passionem ex compassione patientis. Et fuit quadruplex diversitas respectu passionis Dominicæ. Quidam nec habebant fidem, nec compassionem, sicut infideles Deo insultantes, blasphemantes, et illudentes, et dæmones. Quidam compassionem, sed non fidem, ut Apostoli et mulieres illæ quibus dictum est : *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete*[1]. Quidam fidei cognitionem, sed non compassionem, ut Angeli et alii extra statum viæ positi, et latro qui fidem habuit, sed non compassionem per se, et hoc quia circumdatus fuit propria mortis passione. Sola beatissima Virgo tunc fidem habuit, et compassionem crucifixi Dei et hominis, et per se passionem ex compassione patientis. Et sic sola fuit, cui datum est hoc privilegium, scilicet communicatio passionis, cui Filius ut dare posset præmium, voluit communicare passionis meritum, et ut ipsam participem faceret beneficii redemptionis, participem esse voluit et pœnæ passionis : quatenus sicut fuit adjutrix redemptionis per compassionem, ita mater fieret omnium per recreationem : et sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita et Dominæ omnium per compassionem.

Contra hæc objecta per objecta in contrarium sunt soluta. Concedimus enim quod sicut Dominus omnium simul habuit summum gaudium et summum dolorem, sic Domina nostra simul habuit summam compassionem et summam congratulationem, compassione existente in natura simul et in ratione ut natura, congratulatione autem in ratione ut ratione. Et intelligantur hæc verba sicut in materia Dominicæ passionis. Vel dicatur, quod summum tristabile in tali genere est dupliciter accipere. Uno modo ut summe contrarium appetitui, et sic summum infert dolorem. Alio modo prout est via et medium ad summum delectabile, et sic infert summum gaudium. Et sic anima beatissima Virginis apprehendit mortem Filii sui ut summe contrariam appetitui, et sic summum intulit ei dolorem : et ut medium in redemptionem humani generis, et sic causavit in ea summam delectationem. Et possunt hæc simul esse : quia unum materia est ad alterum : vel secundum alium modum via ad alterum est medium in ipsum.

Quod autem objicitur de comparatione gaudiorum, sic respondemus, quod si fiat comparatio secundum quod posterius includit in se prius, sic nulla est quæstio, ut si quæratur, an unum est plura quam duo, et duo quam tria, et sic de aliis. Nativitas enim includit in se conceptionem, passio nativitatem, et sic de aliis : et sic ordinantur ad se invicem secundum superadditionem. Et sic magnum fuit gaudium conceptionis, majus nativitatis, et adhuc majus passionis, et sic ulterius. Si autem fiat comparatio per oppositionem et separationem, ita quod posterius accipiatur per se sine intellectu prioris, et si sic comparentur, sic dico, quod gaudium quod habuit in conceptione, majus fuit omnibus gaudiis vitæ et viæ : quia tunc accepit majus bonum et certitudinem omnium aliorum suo tempore conferendorum. Et differunt gaudia viæ et vitæ hoc modo. Gaudium enim nihil aliud est quam delectatio in bono, vel de bono. Est autem bonum sui et bonum proximi in conceptione et nativitate et in passione Domini, in resurrectione autem bonum Dei et in ascensione. Et sic posset

[1] Luc. XXIII, 28.

poni gaudium passionis summum quod habuit pro bono proximi. Similiter autem gaudium conceptionis summum fuit, quod alia omnia causaliter clausit in se. Gaudium autem in conceptione et gaudium in assumptione se habent ut excedentia et excessa : gaudium conceptionis majus fuit causaliter, gaudium assumptionis actualiter. In conceptione major fuit bonitatis ostensio, majoris doni collatio, major delectationis exhibitio : et hæc omnia causaliter. In assumptione major doni collatio, major effectus exaltatio et deificatio, major tamen dilectio et conjunctio : et hæc actualiter. Et posset poni simile de istorum gaudiorum comparatione, ut si aliquis haberet pignus pro centum marcis impignoratum et obligatum, et aliquis daret ei nonaginta marcas ad ipsius pignoris solutionem, faciens ipsi pignoranti cautionem, quod temporibus determinatis dabit sibi alias decem marcas, ita quod quolibet tempore duas : tunc secunda datio propinquius et plus disponebat ad pignoris solutionem quam prima, et tertia plus quam secunda, et sic usque ad quintam quæ pignus solvit : et tamen prima datio plus aliis contulit, et hoc dupliciter, quia majus donum dedit, et quia de illis dandis securum fecit. Similiter in proposito quando Dominus beatissimæ Virgini ut mater Dei fieret in utero tribuit, tunc quod de ipsa Virgine nasceretur, et passione sua humanum genus redimeret, et tertia die resurgeret, in cœlum ascenderet, ipsam in summam fruitionem corpore et anima assumeret, securavit.

QUÆSTIO CLI.

Utrum B. Virgo fuerit exaltata super omnem creaturam in quarta hierarchia ?

Ultimo quæritur de illo privilegio, quod est super omnem creaturam in quarta hierarchia exaltata.

Et videtur, quod beatissima Virgo ultra tertiam hierarchiam in quartam non sit exaltata.

1. Primo : quia in parabola ubi legitur de reparatione generis humani[1], dicitur, quod drachma decima est inventa, quæ fuerat perdita : ergo videtur, quod tantum in illud fuerit restitutio, ex quo facta fuit perditio : sed tantum ex hierarchiis tribus fuit casus et perditio : ergo tantum in illis fuit reddita restauratio.

2. Item, Dicitur Judith in figura Dominæ nostræ : *Subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri*[2] : sed ruina fuit solum in illis tribus hierarchiis : ergo restitutio erit tantum in illis tribus.

3. Item, Alia parabola : *Qui habet centum oves*[3], etc. Glossa : Deus est pastor, cujus nos centesima ovis : sed centesima est de numero aliarum nonaginta novem et consortio : ergo homo pertinet ad aliquem ordinem Angelorum.

4. Item, Hierarchia humana est sub angelica : ergo supremus chorus de humana est sub infimo de angelica : ergo,

[1] Luc. xv, 8 et seq.
[2] Judith, xiii, 25.

[3] Luc. xv, 4 et seq.

nullus homo est super choros Angelorum.

5. Ad idem facit quod ipse Deus in passione permisit, ut Lucas, XXII, 43, dicit, quod *apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum*, per quod, ut dicit Dionysius, constat naturam humanam naturæ angelicæ naturaliter esse subjectam : sed sicut simpliciter ad simpliciter, ita summum ad summum : ergo si Angelus super hominem, et supremus super supremum hominem : ergo nullus homo super omnes Angelos.

6. Item, Genes. II, 2 : *Requievit Dominus die septimo ab universo opere quod patrarat :* sed tunc non fuit quarta hierarchia : ergo nec modo.

7. Item, Cantat Ecclesia : « Gaudent chori Angelorum consortes et concives nostri. » Si concives et consortes : ergo in eadem hierarchia.

8. Item, In prima hierarchia supremus ordo est sacer principatus : sed princeps in eadem civitate et regno cum subditis est : ergo regina Angelorum in eadem mansione cum Angelis est.

9. Item, Augustinus : « Minime dubitandum est et raptam hominis a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsa carne deposita, non sic Deum videre posse sicut vident Angeli[1]. » Et vult, quod inferioris gradus est cognitio hominis quam Angeli. Sed penes illam cognitionem est ordo : ergo homo est inferioris ordinis quam Angelus : ergo supremus est sub supremo Angelo.

10. Item, Hierarchia angelica descendit per exemplaritatem a divina : sed in divina tantum tres hierarchiæ : ergo non erit quarta.

11. Item, Filius est in divina hierarchia : ergo si beatissima Virgo non est n angelica hierarchia, sola erit in una : sed ubi tantum unum vel una, ibi non est ordo : et ubi non est ordo, ibi non est hierarchia : ergo non potest sola habere hierarchiam unam.

12. Item, Dionysius dicit, quod in qualibet hierarchia sunt prima, media, et infima : ergo ipsa non erit in una hierarchia.

13. Item, Ipsa est medium inter alias creaturas et Deum : sed medium non habet medium et ultimum : ergo non facit hierarchiam per se.

Contra :

1. Hieronymus et omnes sancti et ipsa universalis Ecclesia cantat solemniter, quod ipsa est exaltata super choros Angelorum. Inde sic : Omnes chori Angelorum sunt de aliqua hierarchia : sed ipsa exaltata est super choros Angelorum : ergo ipsa est super omnes hierarchias Angelorum. Vel directe : Quidquid est in aliqua hierarchia, est in aliquo choro : ergo quod non est in aliquo choro, non est in aliqua hierarchia : ergo quidquid est super omnes choros, non est in aliqua hierarchia.

2. Item, Plus distat beatissima Virgo a Seraphim in dignitate et gloria, quam Seraphim super Cherubim : sed propter excellentiam dignitatis ordinantur Seraphim super Cherubim uno ordine : ergo beatissima Virgo erit super Seraphim ad minus uno ordine : ergo super hierarchiam Angelorum.

3. Item, Improportionabiliter differt magis Domina a servo, quam servus a servo : sed Seraphim sic se habet ad Cherubim ut servus ad servum, Domina autem ad Seraphim ut regina sua et omnium Angelorum : ergo improportionabiliter plus est ipsa super Seraphim quam Seraphim super Cherubim : ergo in alio ordine super ipsum : sed Seraphim est supremus ordo Angelorum : ergo ipsa est super omnes hierarchias Angelorum.

4. Item, Rex et regina ab eadem denominantur dignitate et regno et principatu : ab eodem enim regno dicitur rex Franciæ et regina Franciæ : ergo ab eodem regno dicitur Rex cœlorum et Regina cœlorum : sed sua dignitas regalis

[1] S. Augustinus, Lib. XII super Genesim ad litteram, cap. 35.

est super omnes dignitates Angelorum et principatus : ergo dignitas reginæ cœlorum est super omnes choros et hierarchias Angelorum.

5. Item, III Regum, II, 19 : *Positus est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus*, scilicet regis : sed constat, quod thronus regis improportionabiliter est super omnes thronos Angelorum : ergo thronus matris regis.

6. Item, Ipsa habet regnum per Filium, et dicitur regina a regno Filii : sed illud est increatum et æternum : ergo ipsa est regina a regno æterno.

7. Item, Alii homines possunt venire ad Seraphim : nullus autem ad dignitatem et statum beatissimæ Virginis : est igitur super Seraphim.

8. Item, Status gloriæ est elevatus super statum innocentiæ in corporibus : ergo et in animabus : sed si homo stetisset, aliquis assumptus fuisset ad Seraphim : ergo aliquis modo debet elevari super ipsos.

9. Ad idem sunt auctoritates sanctorum. Augustinus : « Sed de te, o Virgo Maria, quid dicam pauper ingenio, cum quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas tua meretur ? Si cœlum appellem, tu altior es. Si matrem gentium dicam, præcedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si Dominam Angelorum vocitem, super omnia te esse probaris[1]. » Si igitur Domina Angelorum, ergo est super omnes Angelos.

10. Item, Hieronymus : « Hæc est dies præclara, in qua meruit exaltari super choros Angelorum et pervenire ultra quam nostræ humanitatis est natura, ubi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur, ubi Christus pro nobis introivit Pontifex factus in æternum ad cœli palatium[2] : » ergo exaltata ultra quam humanæ naturæ sit licitum, scilicet ubi Christus introivit : ergo super omnes hierarchias Angelorum.

11. Item, Hieronymus : « Hæc est, inquam, dies in qua usque ad throni celsitudinem intemerata virgo et mater processit, atque in regni solium sublimata, post Christum gloriosa resedit. Sic itaque illi sancta Ecclesia canit, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, ut ultra Angelorum et Archangelorum dignitatem merito transcenderit : quia etsi similitudo sanctis promittitur, veritas tamen negatur. » Et infra : « Non temere super choros Angelorum exaltata devotissime hodie prædicatur : quia præcessit eam Dominus et salvator noster ad cœlestia, ut præpararet ei in æthereis mansionibus locum. » Ex his patet qualiter beatissima Virgo super ordines et hierarchias Angelorum, in quartam et novam hierarchiam cum Filio specialiter est exaltata.

12. Item, Hieronymus ad idem : « Creditur enim, quod Salvator omnium ipse, quantum datur intelligi, per se totus festivus occurrit, et cum gaudio eam secum in throno gloriæ collocavit. Alias autem quomodo implevisse creditur, quod in lege ipse præcepit : *Honora patrem tuum et matrem tuam.* » Ex hoc etiam patet, quod ipsam etiam in throno suo secum collocaverit. Unde Augustinus : « Tibi thronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni regis, teque ipse rex regum ut matrem veram et decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexus ibi associavit. » Ex hac auctoritate quatuor sequuntur conclusiones. Prima, quod si positus est ei regis thronus : ergo idem thronus suus et regis dicitur : ergo super omnes thronus : ergo super omnes thronos. Secunda si mater regis : ergo juxta regem. Tertia, si sponsa regis : ergo juxta regem. Quarta, si ipsam improportionabiliter plus omnibus aliis creaturis diligit : ergo improportionabiliter plus præ omnibus collocavit.

13. Item, Sicut in corporalibus nihil

[1] S. Augustinus, Serm. 2 de Assumptione B. Mariæ Virginis.

[2] S. Hieronymus, Serm. de Assumptione B. Mariæ ad Paulam et Eustochium.

est vacuum, ita et in spiritualibus nihil est vacuum : sed inter creaturam et Deum, medium est esse creaturam Deo unitam : similiter inter esse puram creaturam et esse creaturam Deo unitam, medium est esse creaturam de qua sumitur vel nascitur illud quod unitur : et hoc est beata Virgo : ergo ipsa est medium inter creaturas et Filium : ergo ei debetur medius status.

14. Item, Una est majestas regni cœlorum a quo Deus trinitas est rex et ipsa regina vocatur : ergo sua dignitas est super omnem creaturam. Item, Psal. xviii, 7 : *A summo cœlo egressio ejus*. Glossa, id est, a cœlo trinitatis. Et infertur : *Et occursus ejus usque ad summum ejus*, hoc est, ad idem cœlum : sed ipsa est a dextris Filii : ergo in cœlo trinitatis : ergo super cœlum Angelorum.

15. Item, Marc. xvi, 19 : *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est ad cœlum, et sedet ad dextris Dei.* Ibi dicit Glossa : « In potioribus bonis Patris. » Sed regina stat a dextris Filii. Glossemus similiter : ergo ipsa est in potioribus bonorum potiorum bonis : ergo ipsa est in potissimis bonis regni cœlorum : ergo ipsa cum Filio est super omnes qui sunt in regno cœlorum, vel umquam sunt futuri.

QUÆSTIO CLII.

Utrum cum dicat Dionysius quod proprietates inferiorum habent superiores cum excellentia, et B. Virgo sit super omnes ordines Angelorum, utrum habeat proprietates omnium Angelorum ?

Juxta hæc quæritur, Cum dicat Dionysius, quod proprietates inferiorum habent superiores cum excellentia, et beatissima Virgo sit super omnes ordines Angelorum, utrum habeat omnes proprietates omnium Angelorum ? Ad quod respondemus breviter, quod sic.

Et primo de proprietatibus communibus quæ omnibus conveniunt Angelis, post de proprietatibus quæ singulis ordinibus insunt propriæ.

1. Prima igitur communis proprietas est nuntiatio quæ convenit omnibus, a qua et omnes Angeli dicuntur. Quod hæc beatissimæ Virgini et cum excellentia conveniat, patet : quia omnes Angeli nuntiant per verba creata : ipsa autem per verbum increatum. Hanc autem proprietatem ponit Apostolus cum dicit : *Omnes sunt administratorii spiritus missi in ministerium* [1].

2. Aliam ponit Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia* dicens : « In tria dividuntur secundum se supermundana ratione omnes divini intellectus, in essentiam, et virtutem, et operationem [2]. » Beatissima autem Virgo immediate se habet ad primum esse : ergo summum habet esse. Similiter ad superius esse sequitur superior virtus et operatio : ergo ipsa inter creaturas habet hæc omnia tria in summo.

3. Item Dionysius libro de *Cœlesti hierarchia* : « Juxta enim sæpe a nobis rectam redditam rationem, ipsæ quidem superfirmatæ dispositiones abundanter habent et minorum sacras proprietates. Ultimæ vero majorum superpositas universitates

[1] Ad Hebr. i, 14.

[2] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 11.

non habent, particulariter in eas primo apparentibus illuminationibus, per primas proportionabiliter eis distributas[1]. » Ergo cum beatissima Virgo superior sit omnibus cœlestibus dispositionibus, ipsa habet proprietates omnium abundanter.

4. Item, Una est proprietas communis omnibus illa quam ponit Dionysius in pluribus locis, scilicet purgatio, illuminatio, perfectio. Sed has beatissima Virgo in summo habet, ut patet : ipsa enim ea puritate nitebat, qua sub Deo major nequit intelligi. Sed ad majorem purgationem sequitur major illuminatio, et ad majorem illuminationem sequitur major perfectio : ergo in ea hæc tria erant in summo.

5. Item, Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Quod hæ duæ proprietates ei similiter cum excellentia infuerint, sic patet : Augustinus in homilia super illud Evangelii : *Intravit Jesus in quoddam castellum*[2], sic dicit : « Sicut mater Dei est singularis, ita et istarum vitarum effectus quarum istæ sorores typum tenent, in ea exstitit singularis : numquam enim in aliquam personam Martha sic operata est, numquam sic Maria contemplationi vacabat. » Et infra : « Ut breviter sex illa opera misericordiæ percurramus, hæc Virgo Dei Filium in uterum suum in hospitem suscepit, nudum carne et panno vestivit et operuit, esurientem pavit, infantem lacte potavit, infirmum per infantiam et jacentem non solum visitavit, sed etiam balneando et fovendo frequentavit, ut merito de ipsa dicatur : *Martha satagebat circa frequens ministerium.* » Ex his patet, quod ministrabat in summo.

Quod etiam adstitit per contemplationem in summo, patet per illud quod ibidem subjungit Augustinus : « Porro de parte Mariæ quæ optima prædicatur, quæ et quanta et qualis fuerit in beatissima Virgine, quis digne eloquatur ? O quam magna multitudo dulcedinis Dei fuit in beatissima Virgine Maria, quando Spiritus sanctus in eam supervenit, et virtus Altissimi obumbravit ei, et de eodem spiritu concepit. Quid est quod de ea non sapiebat, in qua Dei sapientia latebat, et in cujus utero sibi corpus adaptabat Christus. In Maria ergo omnes sunt thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. Maria hæc non tantum ad pedes, sed etiam ad caput Domini sedens, audiebat verbum illius, hæc conservabat omnia verba, scilicet pastorum, Angelorum, Magorum, necnon et ipsius Filii, conferens in corde suo. Nemo umquam sicut hæc beata Virgo gustavit quam suavis est Dominus. Inebriabatur ab ubertate domus suæ, et torrente voluptatis suæ potabatur. Nec mirum : quoniam apud eam imo intra eam erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio utriusque vitæ. » Ex his patet, quod beatissima Virgo proprietatem ministrandi in summo habuit, et etiam proprietatem assistendi.

6. Item Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia* : « Est quidem hierarchia secundum me ordo divinus, et scientia, et operatio[1]. » Et vult, quod hæc tria similiter sint in omnibus Angelis, ordo, id est, potestas, scientia, et operatio. Quod igitur hæc tria habuit beata Virgo, patet hoc modo : potestas imperialis improportionabiliter major est super omnem potestatem ministerialem : sed in beata Virgine est potestas imperialis respectu omnium Angelorum : ergo ejus potestas est super omnem potestatem Angelorum : sed in perfecte ordinatis ad majorem potestatem sequitur major scientia, et ad majorem scientiam sequitur major operatio : ergo et hæc in beatissima Virgine fuerunt in summo.

7. Item, Una proprietas communis omnibus Angelis est : Angeli vident semper faciem Patris. Hæc autem visio est tota

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 11.
[2] Luc. x, 38.

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 3.

merces ipsorum. Sed merces beatissimæ Virginis est improportionabiliter superior mercedibus omnium Angelorum : ergo et visio ejus est superior visionibus omnium Angelorum.

Ex his patet qualiter habuit omnes communes proprietates Angelorum.

QUÆSTIO CLIII.

Qualiter B. Virgo habuerit cum excellentia proprietates singulorum Angelorum, et singulorum ordinum primæ hierarchiæ ?

Deinde de proprietatibus singulorum Angelorum et singulorum ordinum primæ hierarchiæ, qualiter beatissima Virgo omnes habuit, et in ea fuerunt cum improportionabili excellentia ?

Primus est ordo Angelorum, cujus tres inveniuntur proprietates. Una, quod ordo ille immediate ordinatur ad humanam hierarchiam. Secunda, quod maxime nobis noti per intelligentiam sunt illi qui sunt de ordine Angelorum. Tertia, quod singuli singulos homines custodiunt.

Prima harum convenit beatissimæ Virgini cum excellentia : ipsa enim est super nos, immediatior tamen nobis, quam Angeli, quia ipsa convenit nobiscum in natura. Unde Angeli sunt nobis prælati, sed non fratres vel filii : ipsa autem est nobis prælata, mater, et soror, et filia.

Secunda etiam convenit ei per excellentiam : Angeli enim noti sunt nobis per intelligentiam tantum, et nos ipsis tantum per intelligentiam : sed beatissima Virgo nota est nobis per experientiam, quia ex nobis agnoscimus ea quæ sunt proximæ nostræ. Similiter ipsa noscit humanam naturam et infirmitatem per experientiam : non enim habemus Dominam quæ non possit compati infirmitatibus nostris.

Tertiam etiam proprietatem habet cum excellentia. Angeli enim custodiunt singuli singulos homines : ipsa vero custodit universaliter singulos homines, et singulariter universos. Singuli enim servorum præsunt sibi commissis : Dominæ autem et Domini est custodia et providentia universalis.

Sic patet qualiter ipsa habet cum excellentia omnes proprietates Angelorum.

QUÆSTIO CLIV.

Utrum habuerit cum excellentia proprietates Archangelorum ?

Secundus ordo est Archangelorum, qui similiter secundum beatum Dionysium tres videntur habere proprietates.

Prima est a superioribus communicare. Secunda, super inferiores esse. Tertia, inferiores ad superiores reducere.

Primam harum habuit cum excellentia: ipsa enim a superioribus maxime communicavit, juxta illud Lucæ, I, 35: *Spiritus sanctus superveniet*, etc., id est, plusquam in aliquem sanctorum veniet in te. Alii sancti acceperunt a superioribus gratiam creatam particulariter: ipsa autem creatam universaliter, et increatam singulariter.

Secundam etiam habuit cum excellentia: alii enim sancti super aliquos, et nullus super omnes: ipsa autem super omnes. Item, Angeli et alii sancti sunt super alios tantum ex gratia: ipsa autem ex gratia, justitia, et natura: naturaliter enim mater regis est regina, et regina justitia et gratia est super omnes qui in suo regno sunt.

Tertiam quoque habuit cum excellentia: ipsa enim sola omnes inferiores reduxit tamquam mediatrix reconciliationis, adjutrix redemptionis, et Angelorum numerum restauravit, subvenit ruinæ ante conspectum Domini, sicut dicitur, Judith, XIII, 25, et hominem lapsum reparavit et revocavit.

Sic igitur habuit beatissima Virgo omnes proprietates secundi ordinis cum excellentia in summo.

QUÆSTIO CLV.

Utrum habuerit proprietates Principatuum?

Tertius est ordo Principatuum, qui similiter tres habent proprietates.

Prima est primi principii imitativum. Secunda est principalium virtutum ordinativum. Tertia est inferiorum ad ipsum principificum principium reductivum.

Primam habuit beatissima Virgo in summo: imitatur enim primum principium in tribus, in mali immunitate, juxta illud Sapientiæ, VI, 20: *Incorruptio facit esse proximum Deo*. In bonorum communicatione: mater enim bonorum omnium est: *venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius*, sicut dicitur, Sapient. VII, 11. In communicanda bonorum operum communicatione: est enim *oliva speciosa in campis*[1]: et *præoccupat qui se concupiscunt*[2]: et *dignos se ipsa circuit quærens*, etc.[3]. Eccli. XXIV, 26: *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*. Est igitur primi principii imitativa in summo.

Secundam vero proprietatem quæ fuit principalium virtutum ornatus, habuit in summo: quia habuit deiformissimas virtutes, juxta illud Ecclesiastici, XXIV, 7: *Ego in altissimis habitavi*.

Tertiam vero proprietatem Principatuum, quæ fuit inferiorum ad principificum principium reductivum, habuit in summo: ipsa enim de ultimo fecit primum, et de primo fecit ultimum, imo omnia, id est, omnes creaturas in homine reduxit ad illum a quo exierunt,

[1] Eccli. XXIV, 19.
[2] Sapient. VI, 14.
[3] Ibid., ŷ 17.

i personaliter uniendo : unde est illa ulier fortis, de qua dicitur, Proverb. xxi, 10, cujus *pretium de ultimis finis*, id est, de divinitate et humanitate njunctis hominem perditum redemit.

Et sic patet, qualiter beatissima Virgo omnes Angelos primæ hierarchiæ transiit transcendendo, et singulorum ordinum singulas proprietates in summo possidendo.

QUÆSTIO CLVI.

Utrum habuerit proprietates Potestatum?

Jam igitur de secunda hierarchia deamus, in qua primus ordo est Potetum, cujus tres sunt proprietates.

Prima est sui ordinis et dignitatis cuoditivum. Secunda est aliorum orditivum. Tertia activum et reductim.

Primam in summo habuit : quia Vir fuit post et ante in sua dignitate ans.

Secundam etiam habuit cum excellen : quia fuit ordinis virginum inventrix et ordinatrix, et Angelorum ordinum reparatrix et restauratrix.

Tertiam habuit in summo, et fuit activa in summo : quia habuit actus virtutum secundum modum patriæ quantum ad perfectionem, et secundum statum viæ quantum ad meriti conditionem. Fuit etiam universaliter reductivum per exemplum : unde et dicta est *stella maris*, et sic habuit proprietates Potestatum in summo.

QUÆSTIO CLVII.

Utrum habuerit proprietates Virtutum?

Secundus ordo secundæ hierarchiæ est rdo Virtutum, quarum tres sunt prorietates.

Prima est incommunicabilis virilitas. ecunda est nullius imbecillitatis tarditas. ertia est ad inferiores largitas.

Virilitas consistit in tribus, in resistentia contrarii, in aggressione ardui, in tolerantia mali. Hæc omnia fuerunt in beatissima Virgine in summo. Resistentia contrarii : ita enim omnem contrarium nocivum, id est, peccatum vicit, quod aliquid ab ipso numquam passa fuit : Angeli enim numquam vicerunt :

quia numquam pugnaverunt. In aggressione ardui, id est, in altissima paupertate rerum, maxima carnis asperitate, summa cordis humilitate. In tolerantia mali in asperrima Filii passione, quando ipsius animam pertransivit gladius. In his omnibus beatissima Virgo invincibilem virilitatem in summo possedit.

Secunda proprietas virtutum fuit nullius imbecilitatis tarditas. Hanc ipsa cum excellentia habuit : quia eamdem vitam angelicam quam Angeli sine onere carnis, cum carne ipsa in carne duxit, et cum sarcina carnis illos sine sarcina carnis ad majus bravium antecurrit.

Tertia proprietas fuit ad inferiores largitas. Hanc etiam cum excellentia habuit : illi enim dant dona Dei : ipsa dedit ipsum Deum. Item, ipsi dant tantum inferioribus : ipsa autem superioribus summum donum tribuit : dedit enim mundo Deum et Deo mundum, et cuilibet homini regnum cœlorum.

Habuit igitur beatissima Virgo etiam proprietates Virtutum in summo.

QUÆSTIO CLVIII.

Utrum habuerit proprietates Dominationum?

Tertius in secunda hierarchia est ordo Dominationum, quarum proprietates ponit beatus Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia* in hæc verba : « Sanctarum Dominationum manifestativam nominationem æstimo declarare absolutam quamdam et ab omni pedestri minoratione liberam anagogen, nullaque tyrannicarum dissimilitudinum ullo modo eam universaliter inclinatam, liberaliter severam dominationem, omni minutivæ servituti superpositam, superiorem subjectione omni, et remotam ab universali dissimilitudine, et dominationis incessanter appetentem, et ad illius ipsius naturaliter subsistentis virtutis similitudinem, quantum possibile, et seipsam et quæ post eam sunt, optime et speciose conformantem, ad nulla vane videntium, sed ad proprie [illegible] universale conversam, et dominicæ semper deiformitatis in participatione, secundum quod possibile est ipsi, factam [1]. » Ex hac auctoritate primo possunt extrahi decem proprietates Dominationum. Prima est a servitute libertas. Secunda est ab hoste invincibilitas. Tertia, liberalis severitas. Quarta est minutivi servitii superioritas. Quinta, nullius subjectionis egestas. Sexta, dissimilitudinis immunitas. Septima, dominandi ordinata voluntas. Octava, sui et suorum ad Deum conformitas. Nona, nulla in dominando vanitas. Decima, divinæ dominationis particeps conformitas.

Et excluduntur in his proprietatibus decem impedimenta dominationum terrenarum. Primum est servitium superioris. Secundum, impetus hostium. Tertium, dominium. Quartum, gratuitas servitiorum. Quintum, provisio subditorum. Sextum, sollicitudo necessariorum extrinsecorum. Septimum, ambitio honoris.

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 8.

ctavum, contrarietas divitiarum et do-iniorum. Nonum est excæcatio vanita-m. Decimum est elongatio imitationis vinarum actionum.

Quod autem hæ proprietates in summo erunt in beatissima Virgine, sic est anifestum :

Quod libertatem a servitute habuit in mmo, patet per ea quæ dicta sunt pra de ipsius nobilitate.

Quod autem secundam habuit, quæ t ab hostibus invincibilitas, patet : ipsa im non solum in seipsa caput hostis ntrivit, sed prædam totius generis hu-ni ab ipso abstulit, et in natura cor-rea spiritum natura angelicum supera-, in carne super carnem vixit, et perbiam victricem diaboli vicit, et tam diabolo quam de mundo, tam de psa quam de Angelis omnibus super-ediens triumphavit, et quod omnibus is altius est, contra ipsum Deum fortis t, quia Deum de cœlis ad terram vin-lis carnis ligatum, et charitate vulne-um in gremio uteri sui, scilicet bea-simæ virginitatis carcere captivavit. tet igitur qualiter hæc mulier fortis t in hostium vincibilitate, et omnes minationes præcellit.

Tertia proprietas fuit liberalis seve-as : per quod potest intelligi vel me-m inter prodigalitatem et avaritiam, medium inter excessum justitiæ, id , rigiditatem, vel excessum miseri-rdiæ, hoc est, remissionem : quidam m sunt nimis liberales, hoc est, pro-i : quidam nimis severi, id est, avari : dium inter hæc est liberalis severitas. m, quidam sunt nimis justi per rigo-n : quidam nimis misericordes per nissionem : inter hæc medium est eralis severitas. Primum medium ha-it beatissima Virgo cum excellentia per omnes Dominationes : ipsa enim mquam dedit cui non esset dandum, numquam non dedit cui esset dandum, præterea dedit omne dandum, scilicet o mundum, mundo Deum, hominibus lum. Secundum medium etiam habuit in summo : ipsa enim numquam in se aliquam admisit injustitiam, numquam aliquam misericordiam omisit, et Filio omnem injustitiam corrigibilem correxit, omnem misericordiam receptibilem por-rexit. Sic igitur patet quomodo beatis-sima Virgo habuit prodigalitatis et ava-ritiæ medium in summo. Item, quidam sunt domini nimis liberales voluptatis libertate : quidam nimis severi asperitate passionis : inter hæc quoque medium potest esse liberalis severitas. Hoc quo-que medium habuit beata Virgo præ Do-minationibus : quia habuit summam aspe-ritatem in corpore, et summam liber-tatem spiritus in mente.

Quarta proprietas est minutivæ servi-tutis vel servitii superioritas : per quod potest intelligi, quod nulli serviunt, cujus servitium ipsos a sua dignitate diminuat. Hanc proprietatem beatissima Virgo in summo habuit : quia ei omnis creatura servit : ipsa autem nulli puræ creaturæ, sed soli Deo subjecta servit : et ita sicut servire servo, et servire soli Deo unum alterum excellit. Item, Beatissima Virgo in hac proprietate Dominationes excellit : omnes enim alii domini vel do-minationes quibus servitur a creatura, sic servitur, quod ipsi serviunt crea-turæ : soli autem nostræ Dominæ sic serviunt omnes creaturæ, quod ipsa non tenetur nisi soli Deo servire. Servire autem Deo regnare est, et non dimi-nui.

Quinta proprietas fuit subjectionis nullius egestas : per quod potest intelligi, quod non est in cœlestibus Dominatio-nibus sicut est in terrenis, quæ tantum suo modo indigent servis sicut servi do-minis suis indigent, in cœlestibus autem nulla est indigentia servitutis. Hanc pro-prietatem habuit beatissima Virgo super Dominationes, quæ etsi non habeant in-digentiam respectu inferiorum et subdi-torum, habent tamen respectu superio-rum et beatissimæ Virginis : ipsa autem nullius superioris vel inferioris : quia cum nulla creatura ipsa sit superior, in-

digentiam non habet creaturæ, sed solius creatricis personæ.

Sexta proprietas est dissimilitudinis immunitas: per quod intelligitur removeri dissimilitudo operationis, et attribuitur Dominationibus, eo quod non leguntur missi ad exteriora, sed semper tamen inferioribus et interioribus attenti simul. Hanc autem proprietatem habuit in summo: quia simillima Deo fuit corde et corpore. Corde enim fuit Virgo singularis, inter omnes mitis, et humilis corde. Corpore: quia incorruptio in summo eam proximam fecit esse Deo. In opere etiam ipsa simillima fuit: Adæ enim cœlesti non inveniebatur adjutor similis ejus. Simillima enim fuit Deo secundum divinitatem suam, et Deus ipsi secundum humanitatem suam. Unde Augustinus, supra: « Si formam Dei appellem, digna existis. Ipsa enim *vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: et ideo nihil inquinatum in eam incurrit: candor enim est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*[1]. Ergo habuit dissimilitudinis immunitatem in summo beata Virgo.

Septima proprietas est dominandi ordinata voluntas, quam et ipsa habuit in summo: quia improportionabiliter ordinatius est dominum vel dominam dominari super servum, quam servum super dominum vel conservum: per accidens enim est si servus dominatur: hæc autem est per se domina, et dominatur: ergo improportionabiliter plus ordinata est voluntas dominandi qua domina vult dominari super servum, quam qua servus vult dominari super conservum: accidit enim servum dominari, essentiale vero Dominæ dominari.

Octava proprietas fuit sui et suorum ad Deum conformitas: quod sic intelligitur, quod domini illi qui ita sunt domini, quod et serviliter debent suis dominari subditis, ut studeant se et suos subditos ad suorum dominorum imitationem informare. Hanc etiam proprietatem beatissima Virgo habuit in summo: quia omnes servos fugitivos ad Dominum reduxit, et de servis dominos fecit, reges, et principes, imo deos fecit: unde coronam stellarum duodecim habuit in capite[2], quam constat omnes sanctos sibi subjectos æterna gloria coronasse.

Nona proprietas est in dominando nulla vanitas. Hanc habuit Virgo beatissima in summo: quia quanto major fuit, tanto plus humiliavit se in omnibus. Unde cum constet eam maximam creaturarum fuisse, necesse est ipsam omnibus humillimam exstitisse: hæc est enim per se: *qui se humiliat, exaltabitur*[3]: ergo omnium exaltatissima, omnium humillima fuit: ergo quæ omnibus improportionabiliter plus habuit humilitatis, minus improportionabiliter omnibus habuit vanitatis.

Decima proprietas fuit divinæ dominationis conformitas. Hanc etiam beatissima Virgo habuit in summo: quia vere sola Dominicæ passionis facta fuit particeps: quia ab eodem dominio et regno a quo Filius nomen accepit regis et ipsa reginæ: domina enim, ut dicit Damascenus, vere facta est omnium Conditoris mater existens.

Sic igitur manifestum est qualiter proprietates Dominationum habuit beatissima Virgo.

[1] Sapient. vii, 25 et 26.
[2] Apocal. xii, 1.
[3] Luc. xiv, 11 et xviii, 14.

QUÆSTIO CLIX.

Utrum habuerit proprietates Thronorum?

Restat nunc videre de suprema hierarchia, in qua primus ascendendo est ordo est Thronorum, quorum sex sunt proprietates.

Prima est celsitudo. Secunda, regis circumdatio. Tertia, stabilis collocatio. Quarta, regni susceptio. Quinta, regis delatio. Sexta, familiaris apertio.

Proprietas prima convenit beatissimæ Virgini in summo : ipsa enim in altissimis habitat, et thronus ejus in columna nubis[1]. Ipsa etiam est illa sedes sapphirina, quam vidit Ezechiel super firmamentum[2], id est, super altitudinem omnium sanctorum in gloria confirmatorum, ut puta quæ exaltata est super omnium Angelorum choros. Item, Augustinus : « Si cœlum vocem, altior es. »

Secunda proprietas est regis circumdatio, quam lucide habuit in summo : quia quem non solum Angeli, imo cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Item, In tua se clausit viscera factus homo. Hoc est enim novum imo omnium novorum novissimum, quod hæc mulier circumdedit virum gremio uteri sui, sicut dicitur, Jerem. xxxi, 22.

Tertia proprietas fuit stabilis collocatio. Hanc etiam in summo habuit beatissima Virgo : quia rex cœli non solum ipsam in solium gloriæ æternaliter elegit, sed in ipsa requiescens, de ipsa sua sede corpus sibi fecit, quod sibi in unitatem personæ assumpsit et numquam deposuit.

Quarta proprietas est regis susceptio. Hanc autem in summo habuit beatissima Virgo. Throni enim ipsum in se susceperunt per inhabitantem gratiam : ipsa autem sanctissima Virgo sic etiam ipsum suscepit, et plenius, quia per gratiæ plenitudinem et præsentiam corporalem.

Quinta proprietas est regis delatio. Hanc etiam in summo habuit beatissima Virgo : quia ipsum regem gloriæ mundum detulit de cœlo. Unde ipsa est verum ferculum quod fecit sibi verus Salomon[3], quod ipsum in mundum tulit, et in mundo circumtulit, quando ascendit super nubem levem et ingressus fugit in Ægyptum.

Sexta proprietas est familiaris apertio. Hanc habuit expresse beatissima Virgo in summo : quia, ut dicit Bernardus : « Qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis se infuderit visceribus, soli datum est scire, cui soli datum experiri. » Item, Proverbiorum, xxx, 18 et 19 : *Tria sunt difficillia mihi , et quartum penitus ignoro :... viam viri in adolescentia*, scilicet sua. Unde Joannes propheta et plus quam propheta, nescit solvere corrigiam calceamenti ejus[4]. Et ipse nuntius Gabriel quæsiti modi quæstionem non solvit, sed ad Spiritum sanctum transmittit instruendam.

Sic igitur manifestum ex his, quod beatissima Virgo proprietates omnium Thronorum etiam habuit in summo.

[1] Cf. Eccli. xxiv, 7.
[2] Cf. Ezechiel. i, 26.
[3] Cf. Cantic. iii, 9.
[4] Luc. iii, 16.

QUÆSTIO CLX.

Utrum habuerit proprietates Cherubim?

Secundus ultimæ hierarchiæ ordo est Cherubim, cujus, secundum beatum Dionysium quatuor sunt proprietates.

Prima est esse in circuitu. Secunda est reductivum. Tertia, activum. Quarta, exemplativum.

Prima ergo quæ est in circuitu esse, per quam secundum Commentatorem intelligitur, quod in circuitu sunt, quia ad totum quod est intrant. Hanc igitur beatissima Virgo habuit in summo: quia ipsum totum circumdedit, et præterea intima viscera misericordiæ Patris intravit, et ei Filium unigenitum et unicum de corde extraxit

Secunda est reductivum, per quod secundum Commentatorem intelligitur, quod ad Deum tendunt. Hanc etiam beatissima Virgo habuit in summo: quia omnia reducibilia ad Deum reduxit: ipsa enim est mulier, quæ tria sata, id est, corpus, animam, et divinitatem conjunxit[1]: per quod naturam in primum, imo super primum statum institutionis reduxit. Item, Ipsa est mulier quæ lucernam accendit, per quam drachma decima inventa fuit[2].

Tertia proprietas est activum, quod ut dicit Commentator, est ut secundum Deum incedant. Hanc autem beatissima Virgo habuit in summo: quoniam maxime secundum Deum ascendit et incessit, et etiam deiformissimos actus habuit, et in summo actu ipsum singulariter imitata fuit, quando ipsum quem Deus ante Deum genuit, ipsum etiam Deum et hominem generavit.

Quarta proprietas est exemplativum, quod est secundum Commentatorem, ut secundum suum exemplum hoc faciant. Hanc etiam plenissime habuit: quia omnibus recreandis speculum et stella maris et exemplar exstitit, et doctrix disciplinæ Dei omnia illustravit.

Patet igitur qualiter beata Virgo omnes proprietates Cherubim in summo habuit.

QUÆSTIO CLXI.

Utrum habuerit proprietates Seraphim?

Supremus omnium ordo est Seraphim, cujus secundum beatum Dionysium octo sunt proprietates, quarum prima est mobile. Secunda est incessabile. Tertia, cali-

[1] Cf. Matth. xiii, 33.

[2] Cf. Luc. xv, 8 et seq.

dum. Quarta, acutum. Quinta, superfervidum. Sexta, intenta. Septima, intima. Octava, inflexibilis.

Quas proprietates exponit Commentator sic : Prima igitur proprietas est dilectionis quod est vita. Hanc habuit beata Virgo in summo : ipsa enim sua charitate meruit de congruo sibi vivere vita summe gloriosa, et quod ipsa fuerit principium vitæ increatæ et omnibus nobis causa vitæ æternæ. Item, Si vita est effectus dilectionis : ergo cum in ipsa improportionabiliter sit dilectio, in ea improportionabilis erit vita.

Secunda proprietas est incessabile, et est incessabile charitas, quia est perpetuum. Incessabilitatem charitatis habuit in summo super Seraphim beatissima Virgo : magis est enim incessabile quod non cessat nec potest cessare nec umquam potuit cessare, quam quod non cessat et non potest cessare modo, sed tamen aliquando potuit cessare : sed charitas Angelorum Seraphim potuit aliquando cessare, summus enim de illo ordine cessavit quando cecidit, et similiter alii potuerunt tunc sicut ille : sed charitas beatissimæ Virginis numquam potuit cessare : ergo magis fuit incessabile : ergo excellit Seraphim in incessabili charitate. Minor patet per hoc quod non potest cessare nisi per peccatum mortale : sed ipsa numquam mortaliter peccare potuit : in utero enim nullus potest peccare mortaliter, ipsa autem adhuc in utero matris sanctificata fuit et contra peccata confirmata, et sic numquam potuit charitatem amittere : Seraphim autem amittere potuerunt : ergo excellit illos in hoc quod est incessabile.

Tertia proprietas calidum est, et calidum est dilectio quasi sopita : sed hanc habuit beatissima Virgo super Seraphim : aliis enim paribus fortior est virtus quæ tantumdem operatur cum resistentia contrarii, quam illa quæ sine resistentia : unde major est virtus quæ sopitum facit in tumultu et strepitu, quam quæ facit sopitum in silentio et quiete : ergo cum beatissima Virgo sopita fuerit et omnino tranquilla in tumultu et strepitu tribulationum, tentationum et persecutionum hujus mundi, magis fuit sopita quam Seraphim extra hujusmodi strepitum et tumultum constituti : sicut major est violentia somni quæ cogit hominem in strepitu dormire, quam quæ in quiete.

Quarta proprietas est acutum. Et dicit Commentator : Acutum quod est sapientiæ. In hac excellit beatissima Virgo Seraphim, ut patet supra in pluribus locis de ipsius sapientia. Præterea dicit Augustinus : « Christus est in Maria : ergo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei in Maria sunt. » Item, Unctio Seraphim docet de omnibus necessariis ad salutem : unctio Dominæ nostræ dat omnia necessaria ad salutem. Item, Participant sapientiam creatam accidentaliter : ipsa est mater sapientiæ increatæ essentialiter.

Quinta proprietas est superfervidum, quod est, ut dicit Commentator, dum per vim amoris extollitur super se et per vim amoris expellitur a se. Hanc etiam beatissima Virgo habuit in summo : vidi enim speciosam sicut columbam ascendentem per contemplationem desuper rivos aquarum, id est, super omnes choros Angelorum. Et nardus ejus charitatis ac humilitatis introivit in cubiculum regis et deduxit regis filium de domo patris. Item, Spiritus elevat sursum : sed improportionabiliter aliis habuit Spiritum sanctum : ergo improportionabiliter aliis habuit cor sursum. Item, *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* [1] : sed ipsa præ omnibus maximum thesaurum habuit sursum : ergo maxime fuit ipsius cor sursum. Item, Ipsa fuit maxime expulsa a se : quia totaliter se Deo dederat, corpore et anima Deo plena erat, ita quod nec corpus nec anima plus gratiæ secundum statum pro tempore recipere poterant : quid enim homo habet

[1] Matth. vi, 21.

gratiæ quod de ea non accepit ? ergo quanto plus habet gratiæ, tanto minus habet de se : ergo quæ plena gratiæ fuit, tota de se expulsa fuit.

Sexta proprietas est intenta, quod est secundum Commentatorem ire in ipsam. Hanc etiam beatissima Virgo habuit in summo : quia intima cordis ejus penetravit, et de visceribus misericordiæ suæ intimis Filium de intimo corde Patris extraxit, et in summam immensitatem misericordiæ ipsius intime et profundissime intimavit, et omnes divitias ejus misericordiæ effudit, et in sanctuariis Dei habitans sapientiam a sæculis absconditam carne indutam patefecit.

Septima proprietas est intima, quod est, ut dicit Commentator, quod ad exteriores non effluat. Quod etiam eam in summo ipsa habuit super Seraphim, patet : illi enim non effluxerunt descendendo, sed non ascenderunt : ista autem deorsum non fluxit, imo contra naturam sursum fluxit : et omnes qui defluxerunt, sursum traxit.

Octava proprietas est inflexibile, quod est, ut dicit Commentator, ut ad alia negotia extra ipsum non divertat. Hanc quoque habuit super Seraphim : illi enim tantum ab illo tempore quo hoc acceperant, non diverterunt : ipsa autem numquam divertit ab ipso, sed omnia vertit ad ipsum, et totum mundum in ipsum convertit. Item, Alii accipiunt aliquid ab aliis unde se ad Deum convertunt : ipsa autem sola habuit in solo Filio unde numquam divertit ab ipso.

Ex his patet quomodo beatissima Virgo omnes proprietates omnium Angelorum habuit in summo.

Item, Bernardus quasdam quibusdam aliis assignat proprietates, dicens quod Virtutum est miracula facere, Potestatum contrarias potestates dæmonum coercere, Principatuum regna mutare et ministrare. Hæc omnia in beatissima Virgine fuerunt in summo : quia omnium miraculorum miraculosissimum fecit, cum Deum et hominem genuit. Potestates coercuit, cum regnum diaboli destruxit, et eum inferno ligavit. Regna mutavit cum omnes in regnum cœlorum transduxit.

Est igitur beatissima Virgo Angelus in gratiæ inventione, Archangelus in Dei generatione, Princeps in principum subjectione, Potestas in supernaturalium operatione, Virtus in deiformissimorum actuum perfectione, Dominatio in creaturæ supperpositione, Thronus in Dei corporali receptione, Cherubim in omnium secretorum secretissima cognitione, Seraphim in summa supra omnes dilectione.

Patet igitur qualiter beatissima Virgo omnes proprietates omnium Angelorum habens, super hierarchias omnes est exaltata, ita quod singulorum omnium omnes proprietates et dona ipsa universaliter et singulariter in summo possedit universa.

QUÆSTIO CLXII.

Utrum nomen reginæ misericordiæ proprie conveniat B. Virgini ?

Ulterius quæritur de illo privilegio quod est *regina misericordiæ*, de quo quæritur, utrum illud nomen conveniat et proprie in prædictam dignitatem exaltata ?

Et videtur, quod non.

1. Majori enim dignitati convenit dignius nomen : ergo summæ dignitati convenit dignissimum nomen : sed dignitas in quam exaltata est, est summa dignitas : ergo secundum illam convenit ei dignissimum nomen : dignissimum autem nomen creaturæ est mater Dei : ergo secundum illum statum debet mater Dei appellari.

2. Item, Ipsa est exaltata ad summum statum gloriæ : ergo potius diceretur regina gloriæ.

3. Item, A digniori fiunt denominationes : sed dignissimum est gloria : ergo ipsa est regina gloriæ.

4. Item, Quod nobiliori et digniori est similius, hoc est dignius et nobilius : sed nomen nobilissimum et dignissimum est rex gloriæ : ergo ipsa similiter deberet dici regina gloriæ.

5. Item, Ab eodem regno a quo Filius suus dicitur rex, ipsa dicitur regina, sicut a Francia dicitur rex Franciæ et Regina Franciæ : sed Filius dicitur Rex gloriæ : ergo ipsa regina gloriæ.

6. Item, Ubicumque non est miseria, non est misericordia : unde Glossæ aliquando dicunt, quod in cœlo non est misericordia : sed ipsa est regina cœlorum : ergo ipsa non est regina misericordiæ.

7. Item, Secundum statum illum ipsa est super omnes hierarchias : ergo videtur, quod debeat dici regina cœlorum.

8. Item, Gloria tantum est in cœlo, misericordia tantum proprie in mundo, gratia autem communiter est in cœlo et in terra, juxta illud : *Gratiam pro gratia* [1] : ergo debet dici regina gratiæ.

9. Item, Imperator est super reges, et imperatrix super reginas : ergo deberet imperatrix misericordiæ nominari.

10 Item, In ordinibus Angelorum superiores denominantur a superioribus et dignioribus donis : sed summum ac nobilissimum donum est charitas : ergo ipsa deberet regina charitatis nuncupari.

11. Item, Filius Deus pacis dicitur et dilectionis : ergo ipsa regina pacis et dilectionis.

12. Item, Seraphim denominantur a charitate : sed ipsa est superior Seraphim : ergo ipsa debet a superiori denominari : sed nihil est superius charitate, nisi Deus : ergo ipsa deberet a Deo denominari : ergo ipsa deberet a Deo dici dea misericordiæ.

13. Item, Filius dicitur *Rex regum, et Dominus dominantium* [2] : ergo ipsa dicetur regina reginarum, et domina dominarum.

14. Item, Filius dicitur Deus deorum ; ergo ipsa dicetur dea dearum.

15. Item, Dionysius in libro de *Divinis nominibus* : « Invenies autem, quod et deos eloquia vocant non tantum supercœlestes essentias, sed apud nos amicissimos Dei et mirabiles viros [3]. » Et infra : « Et universaliter quæcumque virtus universaliter convertitur et in divinas illuminationes incessanter extenditur secundum virtutem, divina imitatione et divina invocatione digna effecta est. » Cum igitur beata Virgo sit Dei amicissima, et ad divinas illuminationes omnibus aliis creaturis improportionabiliter plus extensa, ipsa potissime vocabitur dea deorum.

Contra hoc opponitur in hunc modum :

1. Gloria et gratia et justitia per se tantum dicunt collationem boni : misericordia autem et collationem boni et ablationem mali per se : ergo plus comprehendit et in amplius se extendit regnum misericordiæ quam regnum gloriæ, gratiæ, vel justitiæ : sed ab ampliori potentia et majori est dignitas major et denominatio : ergo beatissima Virgo debet dici regina misericordiæ a summa dignitate.

[1] Joan. I, 16.

[2] I ad Timoth. VI, 15, et Apocal. XIX, 16.

[3] S. Dionysius, Lib. de Divinis nominibus, cap. 12.

2. Item, Gloria tantum proprie est in cœlo, et non in terra, nec in purgatorio, nec in inferno : misericordia autem est in cœlo et in terra et in purgatorio et in inferno : ergo maximum est regnum misericordiæ : ergo maxima regina debet dici regina misericordiæ.

3. Item, Quidquid est superius superiore, est superius inferiore : sed misericordia est super omnia opera Dei, et regina misericordiæ super misericordiam : ergo regina misericordiæ determinat positionem super omnia : sed illa proprie convenit beatissimæ Virgini : ergo proprie et vere est regina misericordiæ.

4. Item, Ipsa est super patrimonium et proprietatem sui Filii : sed hæc est misericordia, proprium est enim Dei misereri : ergo proprie est regina misericordiæ.

5. Item, Isa. XVIII, 4 : *Quiescam, et considerabo in loco meo*, scilicet glorioso, qui locus est misericordia, ut dicit Glossa : sed proprius locus regis est regnum : ergo misericordia est regnum regis et reginæ : sed proprie dicitur rex et regina misericordiæ, cujus est regnum misericordiæ, sicut rex vel regina Franciæ dicitur, cujus est regnum Franciæ : ergo beatissima Virgo proprie dicetur regina misericordiæ, cujus est regnum misericordiæ.

6. Item, Omnis qui est in regno Dei, est in misericordia : sed non omnis qui est in regno, est in gloria, vel in gratia, vel in justitia : ergo sola misericordia comprehendit totum regnum : ergo regina super totum regnum potissime dicetur regina misericordiæ.

7. Item, Regnum gloriæ est regnum misericordiæ : sed non convertitur : ergo regnum misericordiæ commune est : complectitur enim utrumque : ergo universalis regina potissime dicitur regina misericordiæ.

8. Item, Illa proprie diceretur regina Franciæ, quæ domina vere et jure esset omnium quæ sunt in Francia : sed beatissima Virgo vere et jure et proprie est domina omnium quæ sunt in misericordia Dei : ergo proprie est regina misericordiæ.

9. Item, Si obliquus qui est *misericordiæ*, construeretur transitive, vere et proprie diceretur regina misericordiæ : ipsa enim est causa totius misericordiæ, continens totam misericordiam, et relevans omnem nostram miseriam.

10. Item, Si construitur intransitive, sensus erit : ipsa est regina misericordiæ, id est, ipsa misericordia : sed adhuc dicitur vere regina misericordiæ : ipsa enim est regina quæ est misericordiæ : unde et Esther quæ est in figura beatæ Virginis, alio nomine Edissa vocatur, quod est interpretatum *misericordia* [1]. Item, Isa. XVI, 5 : *Et præparabitur in misericordia solium* : sed solium proprie est in proprio loco regni : ergo misericordia est proprius locus regni : sed in utero beatæ Virginis vere et proprie requievit et collocata fuit tota divinitas et humanitas ipsi per Spiritum sanctum præparato : ergo ipsa proprius locus fuit regni : ergo ipsa fuit misericordia, et cum hoc non immerito regina misericordiæ : quia ipsa seipsam perfecte possidendo semper bene rexit, nam ab ipsa numquam aliquid indirectum processit.

11. Item, Dionysius in libro de *Divinis nominibus* : « Regnum est omnis finis et ornatus et legis et ordinis distributio [2]. » Sed hæc omnia proprie conveniunt misericordiæ. Ergo et proprie conveniet ratio regni. Finis distributio super justitiam secundum misericordiam est : quia exsules facit reges. Ornatus : quia deiformissimos peccatores facit Angelos pulcherrimos. Legis : quia dat charitatem, et pro illa regnum. Ordinis : quia limus super Angelos, terra super cœlum. Habet

[1] Esther, II, 7.

[2] S. Dionysius, Lib. de Divinis nominibus, cap. 12

itaque misericordia proprietates regni proprie. Ergo ipsa est proprie regnum regis : ergo et beatissima Virgo dicetur *regina misericordiæ*.

10. Has rationes concedimus dicentes, quod propriissimum nomen quod beatissimæ Virgini secundum suam dignitatem summam debetur, est regina misericordiæ et plus proprie quam imperatrix : hoc enim nomen magis est nomen timoris et rigoris : regina autem plus est nomen providentiæ et æquitatis : unde etiam credo nusquam Deum in Biblia expresse nominari imperatorem, sed regem : hoc enim est nomen majestatis. Item, Magis proprie dicitur *regina misericordiæ*, quam domina dominarum, vel regina dominarum, vel regina dominarum, vel dea dearum. Hæc omnia important dignitatem et excellentiam respectu majoris et minoris : sed misericordia universalem potestatem respectu majorum et minorum. Si enim diceretur dea dearum, non videretur esse dea vel regina peccatorum vel dæmonum.

Item, Nec dicitur proprie regina pacis et dilectionis : quia nec hoc est omnibus sui regni universale.

Item, Melius dicitur *regina misericordiæ* quam regina potentiæ vel sapientiæ. In sapientia enim intelligitur potentia, et non e converso. In misericordia sapientia et potentia, et non e converso : unde misericordia illa omnia tria claudit in se : unde regina misericordiæ est regina potentiæ et sapientiæ, et non e converso.

Quod autem potius dicatur *regina misericordiæ* quam regina justitiæ vel gratiæ vel gloriæ, patet per contraria objecta.

QUÆSTIO CLXIII.

Utrum B. Virgo habuerit privilegiorum sufficientiam ?

§ I.

Post hæc quæritur de privilegiorum sufficientia : quia videtur, quod possint esse plura quam dicta sunt.

Primum enim inter dicta fuit, quod numquam peccavit : quare igitur similiter non habuit unum respectu ignorantiæ, vel pœnæ sicut unum habuit respectu culpæ, maxime cum utrumque illorum non fuerit in statu innocentiæ, et videantur utriusque opposita ad innocentiam a culpa pertinere.

Secundum privilegium fuit, quod non potuit peccare. Quæritur igitur, quare similiter non habuerit unum privilegium respectu pœnæ, ut quæ non posset peccare, non posset puniri, cum tamen omnis pœna sit pro culpa : ergo ubi nulla culpa, nulla posset esse pœna.

Tertium privilegium fuit, quod quolibet motu merebatur. Quæritur igitur, quare non habuerit privilegium, ut similiter frueretur sicut ipse Dominus Jesus

Christus, qui similiter unitus fuit carni mortali?

Quartum privilegium fuit puritas in summo. Cum igitur triplex sit actus hierarchiæ, purgare, illuminare, et perficere, et beatissima Virgo habuit privilegium respectu purgationis : ergo debuit habere alia duo, unum respectu illuminationis, aliud respectu perfectionis.

Quintum privilegium fuit Virgo virginum. Cum autem beatissima fuerit, et virgo, et mater, et conjugata, et viduata, et habuerit unum privilegium respectu virginum, videtur quod debuit alia tria habere respectu conjugatarum, matrum et viduarum.

Sextum privilegium fuit mater Dei. Et constat, quod similiter fuit filia Dei, et sponsa Dei, et multa consimilia : ergo respectu eorum debuit habere privilegia multa.

Septimum privilegium fuit mater omnium. Quare similiter non habuit privilegium unum, quod esset soror et filia omnium, vel saltem, quod esset domina omnium ?

Octavum privilegium fuit stella maris. Illud habuit beatissima Virgo respectu maris pro privilegio : ergo et aliud debuit habere respectu ignis, et unum respectu aeris, et unum respectu terræ.

Nonum privilegium fuit porta cœli. Si respectu portæ habuit unum privilegium, ergo eadem ratione respectu fundamenti vel parietum deberet habere unum privilegium, ut dicatur lapis angularis vel aliquid hujusmodi.

Decimum privilegium fuit passionis communicatio. Cum igitur privilegium habuerit respectu passionis, etiam habebit aliud respectu actionis, cum actio sit nobilior passione.

Undecimum privilegium fuit exaltatio. Et si unum habuit respectu arduï : ergo alia duo habebit respectu veri et respectu boni.

Duodecimum privilegium fuit regina misericordiæ. Quare non unum respectu potentiæ, vel sapientiæ, quæ misericordia sunt priora ?

Item, Unum aliud privilegium fuit ab aliis omnibus quod erat mater et filia, quod non est determinatum inter alia. Item, Unum videtur, quod habuit virtutes per modum patriæ. Item, Unum privilegium videtur, quod potuit mereri et non demereri. Item, Fomitis exstinctio. Item, Quod concepit sine libidine. Item, Quod portavit sine gravedine. Item, Quod peperit sine dolore. Hæc sunt multa privilegia : ergo habuit plura quam prædicta. Item, Superius demonstratum est, quod nullius habuit ignorantiam : quod est etiam unum privilegium beatissimæ Virginis.

§ II.

Sufficientia privilegiorum sumitur in hunc modum. Privilegium vel est contra malum, vel ad bonum. Si contra malum, vel contra malum culpæ vel pœnæ. Si pœnæ, vel pœna est præsens vel futura. Auferre autem pœnam præsentem non est privilegium, sed nocumentum : quia illa est meritoria. Item, futuram auferre non est privilegium : quia hoc est commune plurium, ut omnium martyrum, et omnium parvulorum, et aliorum multorum perfectorum, tam innocentium, quam pœnitentium, qui omnes post istam vitam non sustinent aliquam pœnam. Si igitur est contra malum culpæ, vel est culpa actualis, vel originalis. Si actualis, sic est peccatum quantum ad actum, et sic est, quod numquam peccavit, nec potuit peccare. Si autem est originalis, sic est puritas in summo.

Si autem est privilegium ad bonum, vel est ad bonum meriti, vel ad bonum præmii. Si meriti, vel est habitus, vel actus, vel passio. Si habitus, vel est corporis, vel animæ. Si corporis, vel in se, vel ad Deum, vel ad proximum. In se,

sic est virgo mater. Ad Deum, sic est mater Dei. Si ad proximum, sic est Virgo virginum. Si autem est habitus animæ, vel est intellectus, vel affectus. Si intellectus, sic est nullius ignorantia. Si affectus, vel ad Deum, vel ad proximum. Si ad Deum, sic est puritas in summo. Si ad proximum, sic est mater omnium. Si autem privilegium est actus, vel est in se, vel ad proximum. Si in se, sic quolibet motu merebatur. Si ad proximum, vel est exemplum, et sic est stella maris : vel ad auxilium, sic est porta cœli. Si autem privilegium est passio, sic est passionis communicatio. Si autem pertinet ad præmium, vel hoc quantum ad rem, et sic est super omnes creaturas exaltatio : vel quantum ad nomen, et sic est regina misericordiæ.

Et sic in universo sunt quatuordecim privilegia beatissimæ Virginis. Primum est, quod numquam peccavit. Secundum est, quod peccare non potuit. Tertium, quod fuit mater et virgo. Quartum, quod est mater Dei. Quintum, quod est Virgo virginum. Sextum, quod nullius ignorantiæ. Septimum, quod est puritas in summo. Octavum, quod est mater omnium. Nonum, quod est quolibet motu mereri. Decimum, quod est stella maris. Undecimum, quod est porta cœli. Duodecimum, passionis comunicatio. Decimum tertium, super omnes creaturas exaltatio. Decimum quartum, quod est regina misericordiæ.

Si igitur sunt quatuordecim privilegia beatissimæ Virginis, quid est igitur, quod Joannes vult, cum dicit in Apocalypsi, XII, 1, quod vidit mulierem amictam sole, et in capite ejus coronam duodecim stellarum : quod quasi omnes exponunt et prædicant de duodecim privilegiis beatissimæ Virginis.

Ad hoc respondemus, quod sicut articuli uno modo sunt duodecim, alio modo sunt quatuordecim, sic est in proposito, possunt enim reduci quatuordecim ad duodecim : ad summam enim puritatem quæ sub Deo potest intelligi, reducitur immunitas peccati, et impossibilitas peccandi, quod est summa propinquatio ad puritatem Dei : et ideo ad puritatem in summo reducuntur duo prima : et sic quatuordecim privilegia fiunt duodecim visa in corona mulieris, de qua loquitur Joannes in Apocalypsi, XII, 1.

§ III.

His visis, respondemus ad objecta.

Quod igitur objicitur de fomitis exstinctione, dicimus quod illud claudit in se puritas in summo : sed quæritur illud, quare et unde fuerit, quod non fuit sine originali labe concepta ? Dicimus quod fuit impossibile, nisi conciperetur de virgine : et sic mater sua fieret virgo mater, et non esset suum privilegium, scilicet quod esset mater virgo, cum hoc matri prius fuisset communicatum [1].

Item, Frui in via non potuit ei dari privilegium : quia illud creatura divinitati non unita non compatitur secum cum corpore corruptibili et cum pœna.

Item, Respectu matrum habuit privilegium, quod fuit mater virgo, et hoc est quod fuit mater Dei.

Item, Quod poterat mereri et non demereri, non est per se privilegium, sed est conclusio duorum privilegiorum. Nam ex puritate in summo sequitur, quod non poterat demereri : ex eo autem quod quolibet actu merebatur, sequitur quod poterat mereri.

Item, Nutrix Dei non est per se privilegium, sed privilegii pars quod est mater Dei : ad integritatem enim materni-

[1] Omnes norunt ex definitione S. P. Pii IX Beatam Virginem Mariam sine labe originali fuisse conceptam. B. Alberti temporibus doctrina hæc jam erat vulgata et fere ab omnibus admissa, sed quia non diffinita, disputabant theologi.

tatis exigitur non tantum prima materia corporis generandi, sed etiam nutrimentum nutriendi, quod tamen aptum natum est ab alio homine accipi. Unde quoniam alia est nutrix, alia mater, ideo nutrix est quasi dimidia mater, a qua puer aliquando etiam contrahit multum a complexione influente : ergo ad perfectissimam maternitatem exigitur etiam ratio nutricis : unde cum beata Virgo fuerit perfectissima mater, fuit et nutrix. Unde, Luc. xi, 27 : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* Et ita sub matre Dei intelligitur nutrix Dei.

Item, Filia Dei vel sponsa Dei non est privilegium : quia esse filiam Dei vel sponsam Dei, nihil addit quod sit speciale ei.

Item, Domina omnium non est privilegium per se, sed includitur in regina misericordiæ : omnis enim regina est domina, et non e contra : unde cum beata Virgo sit regina misericordiæ, et misericordia sit domina omnium, beata Virgo cum sit regina misericordiæ, erit domina omnium.

Item, Quod non datur privilegium respectu terræ, aeris, vel ignis, sed tantum respectu maris, inde est, quia mare proprie exprimit periculum hujus vitæ, propter quod indigemus suffragio, vel navigio dirigente nos vel educente.

Item, Quod non dicitur fundamentum vel lapis angularis privilegium, inde est, quia fundamentum proprie respicit fidem, quæ a solo Deo est : lapis angularis unionem divinæ et humanæ naturæ.

Item, Quare non habuit privilegium respectu actionis sicut respectu passionis, dicimus, quod habuit id quod quolibet actu meruit, quod sine Deo tamen non potuit facere : quia ipse dicit : *Sine me nihil potestis facere* [1]. Sed adjutores Dei sumus in merendo, sed non in patiendo.

Item, Quod non habuit privilegium respectu boni vel veri sicut respectu ardui, dicimus quod habet : quia illa sua exaltatio non tantum est in arduum, sed in verum et bonum arduum.

Item, Quare non respectu sapientiæ vel potentiæ sicut respectu misericordiæ habuit privilegium, dicimus, quod misericordia includit in se utrumque : unde regina misericordiæ est regina potentiæ et sapientiæ.

Ex his patet, quod privilegia beatissimæ Virginis sunt duodecim, et non plura, vel pauciora.

QUÆSTIO CLXIV.

Quid nobis ex plenitudine gratiarum Mariæ venerit?

Jam igitur ostensum est sufficienter qualiter beatissima Virgo *gratia plena* fuerit. Primo, quia omnes gratias generales et speciales omnium creaturarum in summo habuit. Secundo, quia illas gratias habuit a quibus omnis creatura vacua fuit. Tertio, quia sua gratia tanta fuit, quod pura creatura majoris gratiæ capax non fuit. Quarto, quod gratiam increatam totam in se continuit, et sic

[1] Joan. xv, 5.

per omnem modum gratia plena fuit.

Fuit etiam ista plenitudo secundum omnem plenitudinis rationem plenitudo perfectissima. Est enim plenitudo alia dativa et non receptiva quæ soli Deo convenit, ut dictum est supra. Alia est receptiva, et hæc est triplex :

Quædam enim est receptiva et dativa et non retentiva, et hæc est plenitudo canalis. Et sic beatissima Virgo plena est gratia omnium quantum ad numerum gratiarum, quæ omnes ad numerum transeunt per ipsius manum. Unde, Eccli. xxiv, 41 : *Ego quasi aquæductus exivi de paradiso* Dei, hoc est, de deliciis misericordiarum Dei. Item, Bernardus : « Diu fluenta gratiæ defuerunt : quia nondum venerat aquæductus [1]. » Et ille aquæductus est mirabilis : quia per ipsum defluunt omnes aquæ gratiarum deorsum, et iterum per eumdem defluunt sursum : unde, Sapient, vii, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.* Et sic, *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur* [2].

Est autem secunda plenitudo receptiva et retentiva et non dativa, et hæc est plenitudo vasis. Et secundum hanc plenitudinem plena fuit omnibus gratiis creatis secundum speciem, quas omnes in specie in summo habuit et numquam amisit, et præterea gratia increata quam totam simul accepit et novem mensibus in se clausit. Fuit igitur non solum vas, sed etiam erat illud *vas admirabile, opus Excelsi*, ut dicitur, Eccli. xlii, 2. Mirabile enim erat vas, quod majus seipso contineret : et hoc ipsa beatissima Virgo, de qua canit Ecclesia : « Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. » Item, Vas est admirabile, quod vinum et aquam simul sine interstitio, et tamen sine conjunctione contineret. Et vas istud fuit beatissima Virgo, quæ deitatis vinum et aquam humanitatis simul continuit sine mixtionis confusione naturarum vel proprietatum : non enim commixtionem passus est neque divisionem. Item, Vas esset admirabile, quod manens clausum, omnia in se reciperet, clausum iterum effunderet : illud autem sanctissimum vas est beatissima Virgo, quæ Dominum concepit, virgo peperit, et post partum virgo permansit : unde fuit *hortus conclusus, fons signatus* [3]. Fuit etiam *porta clausa* [4], per quam rex solum ingrediebatur et egrediebatur.

Et est plenitudo receptiva dativa et retentiva, et hæc est plenitudo fontis, qui est plenus, et tamen effluit. Hac plenitudine plena fuit etiam beata Virgo, a qua continue effluit gratia, et tamen ipsa semper est plena gratia : unde ipsa est *parvus fons, qui crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit* [5]. Ex fonte enim hujus plenæ plenitudinis profluit omnis plenitudo humani generis.

Ex hac enim venit nobis pretium redemptionis, aqua ablutionis, panis refectionis, medicina curationis, arma expugnationis, præmium remunerationis.

Pretium redemptionis, secundum hoc est ipsa *sacculus pecuniæ*, de quo, Proverb. vii, 20. *In quo*, sacculo, scilicet Christo Jesu, *sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei absconditi* [6], quem secum tulit *beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* [7] : *tulit*, dico, in ipsius Virginis assumptione, et *reversurus in die plenæ lunæ*, id est, in consummatione Ecclesiæ. De hoc pretio dicitur, Proverb. xxxi, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet ? Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Dicit Glossa : « *De ultimis*, id est, de extrema humilitate bea-

[1] S. Bernardus, Serm. in Nativitate B. Mariæ Virg.

[2] Eccle. i, 7.

[3] Cantic. iv, 12.

[4] Ezechiel. xliv. 2.

[5] Esther, x, 6 et xi, 10.

[6] Ad Coloss. ii, 3.

[7] Psal. i, 1.

tissimæ Virginis : vel, *de ultimis*, id est, de conjunctione Dei et hominis, qui sunt duo ultimi fines. » *Attingit enim a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*[1]. Illud pretium fuit in die annuntiationis collectum, in die passionis persolutum. Sed miseri Judæi pretium nostrum cogitaverunt repellere, quamvis enim esset aurum terræ illius, id est, beatissimæ Virginis optimum, tamen ipsi non cognoverunt : quia ipsi non crediderunt ipsum Deum esse : et qui fuit aurum mundissimum, crediderunt esse cuprum, et mel suspicati sunt esse fel : unde et omni modo quo probatur aliqua pecunia, probaverunt ipsum. Examinaverunt eum per ignem. Psal. xvi, 3: *Igne me examinasti*. Sed nec sic invenerunt aliquid de scoria : unde, *Et non est inventa in me iniquitas*. Præterea etiam numeraverunt. Psal. xxi, 18 : *Dinumeraverunt omnia ossa mea*. Insuper in statera crucis libraverunt : unde cantatur : « Statera facta corporis. » Et sic effluxit pretium redemptionis.

Sic etiam effluxit nobis aqua ablutionis: ipsa est enim fons patens, de quo, Zachar. xiii, 1 : *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ*. Et erit fons hortorum, puteus aquarum viventium. Et fons iste præfiguratus fuit, II Regum, xxiii, 15, quando David dixit : *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam!* Beatissima Virgo est fons quantum ad communia beneficia quæ exhibuit omnibus, puteus quantum ad specialem devotionem quam dat suis specialibus, cisterna vero in quantum ab ipsa fluit refectio peccatoribus, quæ cisterna est juxta portam, quia vult omnes salvare : unde clamat, Eccli. xxiv, 26 : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*. Aqua cisternæ hujus est Christus, qui est fons vitæ saliens in vitam æternam[2]. Hanc aquam multum desideravit David, id est, populus Judaicus : unde clamat Isaias, xli, 17 : *Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt*. Job, xxx, 30 : *Ossa mea aruerunt præ caumate*. Et. Psal. cxlii, 6 : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Et Dominus tunc dedit Moysi consilium, Numer. xx, 8 : *Loquimini*, inquit, *ad petram*, id est, ad beatam Virginem, duram contra tribulationem, gravem contra instabilitatem, frigidam contra libidinem : *et illa dabit vobis aquas*. Et tunc aperuit eis thesaurum suum, fontem aquæ vivæ de cisterna in Bethleem. Et hanc aquam tulerunt tres fortes, fides, charitas et humilitas Virginis. Fides per quam sancti vicerunt regna, quæ fortis, quia montes transfert[3]. Charitas fortis : unde, *Fortis est ut mors dilectio*[4]. Humilitas fortis : quia solo odore regem de accubitu suo, id est, de palatio Patris traxit ad ubera matris.

Sed quid fecit David, id est, populus Judaicus de aqua ista? Postquam venit, non bibit, quia non credidit, sed libavit in cruce. Sed certe illa libatio nostra fuit ablutio : ipse enim *dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*[5]. Iste etiam puteus figuratur per illud de quo cantant filii Israel, Numer. xxi, 17 : *Ascendat puteus*. Et dicitur ibi, quod illum puteum foderant vel fecerant principes et duces in decreto legis et in baculis suis. Verum est, quod principes, id est, Patriarchæ et duces, id est, Prophetæ cum ipso legislatore Moyse multum diu foderunt istum puteum, desiderando, orando, præfigurando, prophetando : sed Matthæus Novi Testamenti fossor fodere scivit : *Liber*, inquit, *generationis Jesu Christi*[6], etc. Et infra : *Virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*[7]. Ecce vena vitæ. Iste tetigit rectam

[1] Sapient. viii, 1.
[2] Joan. iv, 14.
[3] Matth. xvii, 19.
[4] Cantic. viii, 6.
[5] Apoc. i, 5.
[6] Matth. i, 1.
[7] Ibid., i, 16.

venam : quia, ut dicitur in Job, XXVIII, 1: *Habet argentum venarum suarum principia.* Et istud principium tetigit hic Matthæus : ipsa enim protulit nobis fontem vitæ, sicut optime figuratur in Genesi, II, 10, ubi legitur, quod *fluvius egrediebatur de paradiso voluptatis, et dividebatur in quatuor flumina :* quia de beata Virgine egressus est Dominus, qui effluit in nos illa quatuor maxima beneficia, a quibus derivantur omnia alia beneficia, scilicet generationis, recreationis, justificationis, et glorificationis. Et bene dicuntur *flumina* hæc beneficia : quia contulerunt nobis quatuor quæ solent flumina magna portare civitatibus per quas fluunt : flumen enim necessaria apportat, superflua deportat, sordes abluit, sitim exstinguit. Beneficium igitur creationis omnia necessaria apportavit, recreationis omnia detulit superflua, tunc enim hircus emissarius peccata populi detulit in desertum, sicut dicitur, Levit. XVI, 10. Nihil enim superfluum nisi peccatum. Beneficium justificationis omnia immunda abluit : quia *Dominus abluit sordes filiarum Sion in spiritu judicii, et spiritu ardoris* [1]. Beneficium autem glorificationis omnem sitim exstinguit. Sitit enim omnis anima ad Deum fontem vivum. Et hæc sitis numquam hic exstinguitur : quia hic *non saturatur oculus visu, nec auris auditu*, sicut dicitur, Eccle. I, 8 : sed satiabimur cum apparuerit gloria ejus, quando de torrente voluptatis ejus potabimus [2]. Hæc sunt igitur quatuor flumina quæ nobis profluunt ex plenitudine ista semper plena.

Profluit nobis nihilominus ex ipsa panis refectionis : ipsa enim est *quasi navis institoris, de longe portans panem suum* [3]. *De longe* dicit : quia est *panis vivus, qui de cœlo descendit* [4], ad quem invitat nos beata Virgo dicens, Proverb. IX, 5 : *Comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Deus trinitas aquam scilicet humanitatis cum vino deitatis miscuit : hoc enim fecit cum humanam naturam divinæ univit : sed beatissima Virgo miscuit quando credidit et consensit. Panem quoque istum ipsa confecit nobis : ipsa est enim mulier illa Evangelica [5], quæ tria sata, id est, corpus Christi et animam et divinitatem conjunxit. Fermentum autem in hac confectione fuit fides Virginis vera : quia quem cœli capere non poterant, etc. Istum *panem petierunt parvuli, et non erat qui frangeret eis* [6]. Quam fractionem petebat, Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum.* Unde fuit verum quod panis iste pistus fuit in incarnatione, sed fractus in passione quando *misit crystallum suam sicut buccellas* [7]. Alia translatio habet : *sicut fructum panis.* Misit igitur crystallum suam, id est, clarissimam animam suam ad limbum, sicut frustum panis divisum a pane, id est, corpore quod latuit in sepulcro, cum quo unita fuit. Homo autem integer panis vivus qui de cœlo descendit.

Effluxit etiam ab hac plenitudine medicina curationis. Eccli. XXXVIII, 4 : *Altissimus creavit de terra medicamenta.* Et ibidem, XLIII, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ*, hoc est, in Christi carne purissima festinata et subito decisa et in corpus formata : et hæc nobis ex ista effluxit plenitudine. Unde ipsa dicit, Eccli. XXIV, 41 : *Ego quasi fluvii dioryx exivi de paradiso*, scilicet Dei. Dioryx qui interpretatur *medicamentum generationis,* Christus est qui sanat omnes infirmitates nostras et omnis generationis.

Accepimus quoque ab hac plenitudine arma expugnationis. Sed quæ convenientia armis cum medicina ? Quia ab eadem accepimus arma et medicinam. Hoc op-

[1] Isa. IV, 4.
[2] Cf. Psal. XVI, 15.
[3] Proverb. XXX, 14.
[4] Joan. X, 51.
[5] Cf. Matth. XIII, 33 et Luc. XIII, 21.
[6] Thren. IV, 4.
[7] Psal. CXLVII, 17.

time figuratum est, III Regum, vii, 2, in domo saltus Libani quam ædificavit Salomon, ut explanat Magister in *Historia*. Domus illa in duas partes fuit distributa. Superior fuit pigmentaria, in qua fuerunt pigmenta et aromata ad usum templi. Altera fuit armaria ad tuitionem regis et decorem domus. Libanus candida est beata Virgo, quæ tota candida, tota pulchra intus et extra, quam domum fecit sibi Salomon : quia *sapientia ædificavit sibi domum*[1], in qua fuit medicina contra vulnera peccatorum, arma contra mundum et diabolum.

In hac autem domo dicitur specialiter de scutis aureis quæ fecit Salomon. Et quid signant illa scuta, nisi illud scutum quod petit Psalmista, Psal. xxxiv, 2 : *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi*. Et Dominus ita fecit. Introibo, inquit, in admirabile tabernaculum : quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Istud tabernaculum intravit, et se armavit, et ibi scutum induit bonæ voluntatis, de quo Psalmista, Psal. v, 13 : *Scuto bonæ voluntatis tuæ*, etc. Scutum bonæ voluntatis suæ ipse numquam in aliquo tantum ostendit quantum in nobis, in hoc quod assumpsit scutum istud, et lætus est lucifer noster. Unde notabiliter dicit : *Coronasti eos*. Hæc enim summa corona hominis ad alias coronas, quod vidit Deum ferentem scutum suum. Unde quod hic vocatur *scutum*, in libro Canticorum *diadema* appellatur, Cantic. iii, 11 : *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua*. Glossa : « Virgo Maria. » Item, Alia Glossa super illud : *In die desponsationis*, dicit : « Tempore annuntiationis. » Scutum in pugna passionis in quinque locis fuit perforatum. Hujusmodi scuti insignia ferebat ille qui dicebat : *Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*[2]. Est enim magna dignitas militis portare insignia regis. Unde, Esther, vi, 7 et seq : *Homo quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, et imponi super equum, qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum : et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, et per plateam civitatis incedens clamet, et dicat : Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare*. Dominus igitur quando hominem honorare voluit, vestes regales ei induit, quando divinas proprietates ei communicavit : et e converso vestem servi induit, quando saccum nostræ mortalitatis sibi induit. Unde, I Regum, xviii, 4 : *Exspoliavit se Jonathas tunica qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ab balteum*. Item, Super equum qui est de sella regis posuit hominem, quando corpus humilitatis nostræ corpori claritatis suæ configuravit. Item, Diadema regis in capite hominis posuit, quando nos reges cœlorum constituit. Unde, Apocal. xix, 12, ille qui sedebat in equo, habuit in capite suo diademata multa. Multa procul dubio diademata habuit, qui cuilibet hominum unum dedit : et ipse tamen diademata nostra in capite suo habuit : quia nimirum in coronam gloriæ suæ convertitur, quod de patrimonio suo tot reges et reginas fecit. Unde in Apocalypsi, iv, 10, viginti quatuor seniores mittunt coronas suas ante sedentem in throno : quia omnes sancti per humilitatem Christi in humanitate recognoscunt se esse coronatos. Unde et mulier amicta sole, coronam stellarum duodecim in capite suo habuit[3] : quia beatissima Virgo omnes sanctos coronavit. Principes autem cum equo per plateas civitatis nos ducunt, quando cum corporibus et animabus nos ad cœlestia regna perducunt. Si igitur tantus est honor militis ferre insignia regis, quantæ est

[1] Proverb. ix, 1.
[2] Ad Galat. vi, 17.
[3] Apocal. xii, 1.

dignitatis regem ferre insignia militis? quantæ autem charitatis regem sibi reputare pro corona regni, quod fert scutum servi? *In diademate*, inquit, *quo coronavit eum mater sua*[1], Virgo Maria. Unde hæc singularis mater singulariter filium coronavit, cum eum alia mater sic non coronavit, sed inhonoravit, et filium iræ sibi generavit. Sed et ipse Filius e contrario solus matrem suam nascendo coronavit, cum ei fœcunditatem matris contulit, et ejus virginitatem non abstulit, et esse matrem Dei et reginam misericordiæ mox nascendo concessit.

Patet igitur quæ sunt arma et scutum quo nos Deus coronavit, et quæ arma de ista plenitudine accepimus.

Accepimus autem et de eadem præmium remunerationis. Unde, Psal. CXXVI, 3 : *Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris.* Genes. XV, 1 : *Ego ero merces tua magna nimis.* Et sic patet qualiter ista plenitudo Virginis effluxit perfectam et omnimodam beatitudinem humano generi.

Prædictis adjicienda est alia ratio plenitudinis, quam etiam continet in se plenitudo beatissimæ Virginis, et hæc est plenitudo loci secundum quod aliquis locus dicitur *plenus* : et hoc dupliciter. Dicitur enim aliquando locus hominibus plenus, vel animalibus : aliquando plenus herbis, vel fructibus. Per primum modum beatissima Virgo dicitur *plena*, sicut domus vel civitas dicitur *plena.* Unde, Psal. LXXXVI, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei!* Et infra, ℣. 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, sancta Dei genitrix. Dicitur autem beatissima Virgo plena hominibus lætantibus : ipsa enim continet, salvat, et ambit intra se esse lætitiæ, et omnium hominum affectum trahit ad se, et omnium desiderium quietat in se. Unde ipsa est lætantium quoddam speciale regnum cœlorum. Est autem etiam beatissima Virgo plena, sicut locus dicitur plenus fructibus et floribus. Unde plena est sicut *odor agri pleni, cui benedixit Dominus*[2]. Quam plenitudinem florum, herbarum, et fructuum, significantem perfectionem morum, virtutum, et operationum diversarum, explanare concupiscit et deficit ille qui in persona sua dicit : *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans*[3], etc. Et alibi : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*[4], etc.

Est etiam alia ratio plenitudinis quam in se continet plenitudo beatissimæ Virginis, secundum quam aliquis dicitur plenus Spiritu sancto. Hanc igitur habuit beatissima Virgo in summo, quæ Spiritu sancto cum Patre et Filio plena fuit etiam corporaliter, utpote in qua plenitudo divinitatis habitavit corporaliter. Unde vidimus eam plenam charitate et dilectione : *Deus* autem *charitas est*[5] : ideo Deo plena fuit, quæ charitate plena fuit.

Ex his igitur manifestum est qualiter beatissima Virgo omni gratia, omni plenitudine, omni ratione plenitudinis, et omnibus modis gratia plena fuit.

[1] Cantic. III, 11.
[2] Genes. XXVII, 27.
[3] Eccli. XXIV, 20.
[4] Ibid., ℣. 17.
[5] I Joan. IV, 8.

QUÆSTIO CLXV.

Utrum bene ponatur in salutatione Angelica : Dominus tecum ?

Sequitur : *Dominus tecum.*

Videtur autem quod non bene ponatur in hoc loco : quia

1. Ut dicit Philosophus, sermones inquirendi sunt secundum materiam : ergo in materia salutationis non debet poni nomen timoris : sed Dominus est nomen timoris, juxta illud Malachiæ, i, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Ergo cum hic agatur omnino de amore et materia amoris, nomen timoris hic non debet poni, sed amoris : et ita non debuit dicere, *Dominus tecum* : sed, Pater tecum.

2. Item, Cum tota Trinitas sit mittens hanc salutationem, videtur quod debuit dicere : Trinitas tecum.

3. Item, Ille qui annuntiatur, vocatur Emmanuel, quod est interpretatum *nobiscum Deus* [1] : et illa allocutio facta fuit in ista annuntiatione : ergo potissime debuit dicere : Deus tecum, vel, Deus nobiscum.

4. Item, Per hanc annuntiationem factus est Dominus nobiscum : ergo dicere debuit : Dominus nobiscum.

5. Item, Dicitur Dominus esse nobiscum vel cum alio specialiter per inhabitantem gratiam : sed illa appropriatur Spiritui sancto : ergo debuit dicere : Spiritus sanctus tecum.

6. Item, Annuntiatio et ista conceptio appropriate facta fuit de Spiritu sancto : ergo debuit dicere : Spiritus sanctus tecum.

7. Item, Modus salutandi Dei fuit : *Pax vobis* [2] : ergo cum iste salutaret ex parte Domini, debuit dicere : Pax vobis, vel, pax tecum.

8. Item, Augustinus in libro *Confessionum* : « Mecum eras, et ego tecum non eram : » ergo Dominus est cum malis, et mali non sunt cum Domino, sed tantum boni : ergo cum beatissima Virgo summe sit de numero bonorum, debuit dicere : Tu cum Domino.

9. Item, Cum Dominus hic nuntietur venturus in eam per corporalem præsentiam, fuit autem per corporalem præsentiam in ea, et iste est proprius modus essendi quo cum beatissima Virgine fuit et cum nullo alio : ergo cum illum proprium modum essendi deberet hic exprimere, debuisset dixisse : Dominus in te.

10. Item, Jeremias scribens de ista associatione de qua agitur hic, dicit Jerem. xxxi, 22 : *Fœmina circumdabit virum.* Sed quod circumdatur ab alio, illud est in illo : ergo debuit dicere : Dominus in te.

11. Item, In divinis ubi est identitas naturæ, dicitur una persona esse in alia, et e converso, ut ibi : *Ego in Patre, et Pater in me est* [3] : ergo cum hic notetur associatio secundum eamdem naturam

[1] Isa. vii, 14 ; Matth. i, 23.
[2] Cf. Luc. xxiv, 36 ; Joan. xx, 19 et 21.
[3] Joan. xiv, 10 et 11.

in specie, debuit dicere: Dominus in te.

12. Item, Dominus absolute dictum poni solet pro Patre, ut ibi, *Verbo Domini cœli firmati sunt*[1]: ergo cum hic notetur præsentia corporalis quæ non convenit Patri, non debuit dicere: Dominus tecum.

13. Item, Quæritur, quare non dicit: Dominus omnipotens, vel Dominus exercituum, vel hujusmodi?

14. Item, Quare nullum ponitur verbum?

15. Item, Dominus dicitur quasi dans minas: hic autem nulla fit comminatio sed magna promissio: ergo male hic ponitur nomen *Dominus*.

16. Item, Cum Dominus importet respectum ad servum, quare non determinatur ille respectus hic, ut diceretur, cujus esset Dominus?

17. Item, Cum omnis associatio sit in aliquo, quæritur, in quo sit ista associatio? Si in esse ut sit sensus, Dominus est tecum: illa associatio convenit omnibus, convenit enim esse omnibus entibus: ergo in hoc nihil dicitur quod approprietur beatissimæ Virgini.

[Solut]io. Ad hæc dicimus, quod in ista salutatione per hoc quod dicitur: *Dominus tecum*, duo intenduntur. Unum, ut persona mittentis proprie exprimatur: alterum, ut liberum arbitrium beatissimæ Virginis ad credendum et consentiendum inclinetur. Ista autem duo perfectissime et appropriatissime exprimit hoc nomen, *Dominus*, quod a potentia imponitur, et quando absolute dicitur, soli Deo appropriatur. Alii vero domini et servi sunt respective: ipse autem absolute est Dominus, quoniam Dominus est omnium, quod solius Dei Trinitatis est proprium, qui est persona mittens in hac salutatione: et sic persona mittens proprie nominatur.

Per idem autem proprie liberum arbitrium gloriosissimæ Virginis inclinatur: quia ad consentiendum in mirabilia maxime disponit fides, et maxime fides de omnipotentia: quia qui credit et advertit Deum omnia posse facere, acquiescit ipsum posse naturas mutare, et naturis imperare. Unde cum hic omnium novorum novissimum nuntietur beatissimæ Virgini ad credendum, congruentissime ponitur hic hoc nomen, *Dominus*, quod absolute positum est omnipotentiæ Dei demonstrativum. Quia vero liberum arbitrium beatissimæ Virginis facile erat ad credendum paratum, non indiguit expressiva insinuatione omnipotentiæ cum terrore, ut diceretur: Dominus omnipotens, vel Dominus exercituum: sed sufficit quasi levis annuntiatio, et quasi obscura potentiæ expressio, qualis per hoc nomen, *Dominus*, importatur. Dicitur igitur ei: *Dominus tecum*. Quasi ei apte dicatur, nihil tibi credas impossibile: nihil enim credit sibi impossibile, qui scit se Dominum in socium habere: sed dic confidenter: Omnia possum in eo qui est mecum. Si enim aliqui duo unum officium debent operari, quid impedit si unus sit debilis, si alter sit ideo fortis ut per se officium ad effectus possit perducere, isto etiam non juvante.

Ex his patet solutio ad omnia objecta usque ad ultimum quod quæsitum erat de associatione.

Ad hoc autem dicimus, quod hæc associatio notatur in omnibus in genere, in quibus associatio potest esse. Est autem triplex associatio. Est enim associatio in essendo, associatio in patiendo, associatio in agendo. Associatio in essendo duplex dicitur, absolute, vel respective. Si absolute, vel in substantiali, vel in quali, vel in quanto. Associatio in substantiali est identitas, in quali similitudo, in quanto æqualitas. Inter Deum et beatissimam Virginem fuit associatio in substantiali, scilicet humanitate, qua fuit verus homo de homine vero. Fuit etiam in quali, scilicet simili- Ad 17.

[1] Psal. xxxii, 6.

tudo voluntatis unius in utroque. Fuit etiam in quanto, scilicet æqualis potentia in genere: ipsa enim ejusdem regni regina est, cujus ipse est rex. Item, Inter ipsos potest notari identitas in natura, similitudo in forma naturali, æqualitas in virtute naturali sive in potentia.

Si autem est communio in essendo respective, hoc est duorum ad invicem, vel duorum ad unum. Si primo modo, illa communio fuit hic in summo: quia ipsa est mater sua, et ipse filius ejus. Si secundo modo, tunc est vel ad unum tempus, vel ad unum locum, vel ad unum situm, vel ad unum habitum. Secundum tempus fuit ibi communio: quia simul ipsa mater Dei, et ipse simul filius hominis, et e converso. Secundum locum fuit communio: ipsa enim eum secum portavit de loco ad locum quocumque infra novem menses ivit. Possumus autem et istas communiones temporis et loci subdividere. Est enim tempus adversitatis, et tempus prosperitatis. Adversitatis autem est duplex, vel a seipso, vel ab alio, et sic triplex erit tempus, scilicet tempus propriæ humiliationis, tempus alienæ persecutionis, et tempus consolationis. Et in his omnibus fuit Dominus cum ea. In tempore propriæ humiliationis in purificatione, quando obtulit ipsum ad templum [1]. In aliena persecutione, sicut in passione, quando stabat sub cruce [2]. In suprema consolatione, sicut in resurrectione. Item, Locorum alius pœnalis, alius naturalis, alius dignitatis. Naturalis est venter, pœnalis ut exsilium, dignitatis ut solium. In his omnibus fuit Dominus secum, et ipsa cum Domino. Dominus enim secum fuit in utero, secum in exsilio, secum in solio. Item, diversi in diversis locis solent esse simul, fratres simul in domo, pater et filius simul in mensa, vir et mulier simul in lecto, dominus et servus simul in via vel in comitatu. Ipse autem in omnibus his fuit secum simul, in domo ut mater cum sorore, in mensa ut filius cum matre, in lecto ut sponsus cum sponsa, in comitatu ut Dominus cum ancilla. De primo dicit Psalmista, Psal. cxxxii, 1: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* De secundo, Matth. xv, 26: *Non est bonum sumere panem filiorum*, etc. De tertio dicitur in Genesi, ii, 24: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem*. De quarto dicitur, Joan. xii, 26: *Si quis mihi ministrat, me sequatur*. Fuit etiam communio cum eo secundum situm omni modo: ipse enim novem mensibus cum jacente jacebat, cum sedente sedebat, cum surgente surgebat, et sic de reliquis fuit. Est ibi etiam communio substantialis secundum habitum: ipsa enim beata Virgo induit ipsum Deum eadem carne, qua ipsa fuit induta. Unde Apostolus: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* [3].

Fuit etiam ibi communio in patiendo. Est autem triplex compassio: accidentalis, ut servus domino: naturalis, ut mater filio: essentialis, ut membrum cum membro. Ipsa igitur compassa fuit ei ut ancilla fidelissima domino suo, ut mater fidelissima filio suo, ut membrum dilectissimo membro.

Item, In agendo fuit inter eos omnimoda communio. Tria sunt genera hominum quæ necessario communicant sibi in agendo: contrahentes, generantes, adjuvantes. Et ipsa beata Virgo communicavit cum Domino Deo in contractu matrimonii hominis et Dei, in generatione filii, in adjutorio generis humani: et sic communicavit ei in omni in quo contingit alicui communicare. Dominus autem omnium generaliter per creationem, hominum per redemptionem, tuus per immediatam susceptionem, Christi hominis per unionem, et tecum per essentiam,

[1] Luc. ii, 22 et seq.
[2] Joan. xix, 25.
[3] Ad Philip. ii, 7.

præsentiam, potentiam, inhabitantem gratiam, corporalem præsentiam. Unde Bernardus : « Sed cum ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua itaque tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret : qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, et totus Virginis esset, nec duo filii, sed utriusque filius. Ait itaque : *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Nec tantum Dominus Filius tecum quem carne tua induis, sed et Dominus Spiritus sanctus de quo concipies, et Dominus qui genuit quem concipies : Pater, inquam, tecum qui Filium suum facit et tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo et reservat sibi genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum [1]. » Item, de eodem Maximus Episcopus : « *Dominus tecum,* in mente tecum, in ventre tecum, in utero tecum, in auxilio tecum. »

Ex his patet qualiter Dominus fuerit cum beata Virgine omni modo quo contingit aliquid esse cum alio.

QUÆSTIO CLXVI.

Utrum bene ponatur : Benedicta tu in mulieribus?

Benedicta *tu in mulieribus.* De hac clausula quæritur, an addat aliquid super plenitudinem gratiæ, aut nihil?

1. Si nihil addit : ergo superfluit. Si aliquid addit : ergo illa plena gratia non fuit : ergo Angelus falsum dixit, quando ipsam prius plenam gratia nuntiavit.

2. Item, Natura sua eadem est cum natura mulierum : ergo si excellit, hoc est in gratia : sed omnis gratia includitur, cum dicitur *gratia plena :* ergo frustra addit postea : *Benedicta tu in mulieribus.*

3. Item, Si ista benedictio addat aliquid gratiæ, et in gratia excellit viros et mulieres, tunc debuisset dixisse : Benedicta tu in hominibus, et etiam, Benedicta tu in omnibus creaturis : cum in gratia sit excellentior universis.

4. Item, *Benedicta tu in mulieribus.* Glossa : « Quæ sine exemplo muliebris conditionis virgo et mater Deum et hominem genuit : » sed illud totum in plenitudine gratiæ est comprehensum : ergo frustra hoc repetit.

5. Item, Cum virgines omnes excellentiam habeant dignitatis, ista benedictio omnibus virginibus convenire videtur : omnes enim virgines in quantum virgines benedictæ sunt in mulieribus : et sic potius debuisset dixisse : Benedicta tu in virginibus.

6. Item, Si propter fœcunditatem virginalem benedicta est in mulieribus, tunc multo potius dixisset : Benedicta tu in matribus.

7. I em, Plus est factum quam dictum : benedicta autem dicitur, quia bene aucta : sed plus est beata : ergo potius dixisset :

[1] S. Bernardus, Homil. 3 super Missus est.

Beata tu in mulieribus, quam *benedicta tu in mulieribus*.

8. Item, Cum benedictio quædam sit gloriæ, quædam gratiæ : omnis autem benedictio gloriæ includit in se benedictionem gratiæ : ergo plus dixisset dicendo : Gloriosa tu in mulieribus.

9. Item, *Benedicta tu in mulieribus*. Glossa : id est, præ mulieribus. Et alibi in figura dicitur : *Benedicta es tu præ omnibus mulieribus* [1]. Item, Esther, II, 17 : *Assuerus adamavit Esther plus quam omnes mulieres*. Quæritur ergo, utrum sit differentia inter *benedicta tu in mulieribus*, et *præ mulieribus*, et *inter mulieres*, et *plus quam omnes mulieres?*

10. Item, Quæritur utrum pronomen demonstrativum secundæ personæ notet ibi excellentiam vel discretionem? Et videtur, quod non discretionem : quia sunt multæ aliæ mulieres benedictæ in mulieribus. Si autem excellentiam, cum excellentiam non tantum habeat respectu mulierum, sed respectu omnium creaturarum, dixisse debuerat : Benedicta tu in omnibus creaturis.

11. Item, Quæritur utrum ista benedictio beatissimæ Virginis comprehendat omnium aliorum benedictionem in se? Et videtur, quod sic, quod nec dubitabile videtur : quid enim magni vel miri si habuerit benedictionem omnium gentium, quæ benedictiones omnium Angelorum et gratias habuit, et a nullo illustrium vincitur?

Solutio. Ad quæst. solvendo dicimus, quod quadruplex est ratio benedictionis. Dicitur enim benedictio maledicti evacuatio. Item, dicitur benedictio fecunditatis ampliatio : unde benedixit eis, dicens : *Crescite, et multiplicamini* [1], etc. Dicitur etiam benedictio singularis gratiæ collatio. Unde, Genes. xiv, 19 : *Benedixit ei, et dixit : Benedictus Abraham*. Item, dicitur benedictio congratulantium collaudatio : unde, Matth. xxi, 9 : *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Secundum omnem istum modum et rationem fuit beatissima Virgo in mulieribus benedicta.

Item, Benedictio quæ est maledicti evacuatio, triplex fuit secundum quod est maledictio naturæ, maledictio culpæ, maledictio pœnæ. Maledictio naturæ opprobrium sterilitatis, maledictio culpæ fœditas libidinis, maledictio pœnæ inflictio pœnalitatis. Et quælibet istarum est triplex. In opprobrio sterilitatis triplex fuit maledictio : virgo enim sterilis fuit omnibus contempta, solatio destituta, prolis successione privata. Contra hæc habuit beatissima Virgo tres benedictiones : ipsa enim fuit Angelis et hominibus reverendissima, Filio ditata, omnium fidelium successione glorificata. Item, in fœditate libidinis fuit triplex maledictio, scilicet libido imprægnantis, fœditas concipientis, peccatum concepti sive nascentis. Contra hæc beatissima Virgo habuit tres benedictiones. In ejus conceptione enim imprægnans fuit Spiritus sanctus, concipiens Virgo, conceptus Deus. Item, in inflictione pœnæ triplex fuit maledictio, damni virginitatem perdendo, laboris in portando, doloris in pariendo. Contra hæc iterum in beatissima Virgine triplex fuit benedictio : quia in concipiendo virginitas ei aucta fuit et consecrata, sine labore portavit, sine dolore peperit. Et sic patet, quod novem maledictiones novem benedictionibus evacuavit. Et sic patet, quod per maledicti evacuationem benedicta fuit in mulieribus.

Item, Est benedictio fecunditatis superexaltatio, et hæc quoque potest esse triplex. Una est ex parte agentis, altera est ex parte generati, tertia ex parte gignentis. Et quælibet istarum triplex fuit. Agens enim in ista conceptione fuit Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Exaltata autem esset super omnem generationem, illa generatio in qua agens esset solus Pater, sed plus exaltata ubi

[1] Judith. xv, 11.

[1] Genes. i, 28.

Pater et Filius, sed plurimum ubi Pater et Filius et Spiritus sanctus : quod totum in ista conceptione fuit. Item, ex parte generati est exaltata generatio super omnem generationem ubi concipitur vir perfectus in naturalibus, sed plus exaltata fuit ubi conceptus fuit vir sanctus gratia et virtutibus, sed superexaltata ubi vir perfectissimus, homo sanctissimus et summus Deus. Item, ex parte gignentis exaltata fuit, quia virgo concepit : plus exaltata, quia virgo peperit : exaltatissima, quia mater et virgo lactavit.

Est etiam benedictio singularis gratiæ collatio, quæ similiter in beatissima Virgine triplex fuit. Primo quia secundum dignitatem est caput omnium fœminarum et principium. Secundo, quod est mater omnium. Tertio, quod est Domina omnium. Prima istarum adhuc triplex est : dicitur enim principium fœminarum propter tria. Unum est quod habuit quidquid boni in fœminis fuit. Aliud quod quodlibet illorum in summo habuit. Tertium, quod illud habuit quod numquam aliqua fœmina habuit vel habere potuit. Primum triplex. Triplex enim bonum fuit in fœminis. Bonum virginum, bonum conjugatarum, bonum viduarum. In virginitate adhuc triplex benedictio est. Una est carnis incorruptio. Secunda, nullius viri subjectio. Tertia, angelica conversatio. In conjugatis est triplex bonum, fides, proles, et sacramentum. In viduis quoque triplex est benedictio, scilicet libertas contemplationis, exercitium in operibus pietatis, castigatio carnis. Omnia ista bona simul fuerunt in beata Virgine : habuit etiam ista omnia in summo. Præcellit enim virgines in tribus benedictionibus virginum : causalitate, quia virgo virginum : puritate, quia in summo pura : fœcunditate, quia mater et virgo. Conjuges etiam excellit in tribus : habuit enim fœcunditatem sine corruptione, prolem sine patre, fœcunditatem respectu altissimæ naturæ, scilicet quod esset mater Dei. Bonum viduarum similiter habuit in summo, utputa in summa contemplatione, præcipua pietate, excellentissima castitate. Quidquid ergo fuit boni in mulieribus, hæc omnia excellentissime habuit, quia virgo virginum fuit, et mater Dei fuit, atque mater virgo fuit.

Secunda specialis gratia fuit, quod mater omnium est : et hoc quoque tripliciter : fuit enim mater unius hominis per generationem, omnium hominum per regenerationem, et virginum mater per imitationem.

Tertia gratia specialis fuit, quod fuit Domina omnium : et hoc triplici ratione : tripliciter enim efficitur quis juste dominus. Uno modo per operationem, ut dominus est qui ejus rei quam operatus est et conduxit in esse. Secundo modo per emptionem. Tertio modo per electionem, ut prælati. Ista triplici ratione beatissima Virgo fuit Domina omnium creaturarum, utputa mater creatoris, adjutrix redemptoris, regina creationis et regenerationis.

Quarto, Dicitur benedictio congratulantium collaudatio : et hæc quoque triplex. Collaudatur enim ab Angelis, ab hominibus, et a corporalibus : genuit enim Angelorum restauratorem, hominum redemptorem, corporalium innovatorem. Laudant autem eam Angeli propter tria : restauravit enim reddendo per æquipollentiam deperditum, multiplicando numerum, augmentando per superadditum, quartam scilicet hierarchiam.

Homines quoque laudant eam propter tria : genuit enim eis redemptorem, justificatorem, glorificatorem.

Corporalia quoque laudant eam propter tria : immutavit enim corpora innovando, nobilitando, et omnia in corpore Christi divinitati uniendo.

Sic quoque patet qualiter beatissima Virgo omnium Domina, secundum omnem rationem benidictionis omnifariam est superbenedica.

QUÆSTIO CLXVII.

Qualiter ista benedictio : Benedicta tu in mulieribus, comprehendat in se omnes alias benedictiones ?

Qualiter autem et ista benedictio, *Benedicta tu in mulieribus*, comprehendat in se omnes benedictiones alias, facile est videre singula percurrenti.

Prima benedictio est illa, in qua benedixit Deus diei septimæ, in qua requievit ab omni opere quod patrarat [1]. Est autem ista benedictio operis consummatio, a peccatis vacatio, æternæ requiei præfiguratio. In beata Virgine fuit perfecte operum consummatio, quando omnia creata in uno homine uniuntur uni creatori, et primum fuit ultimum, et ultimum primum : non est enim perfectio motus vel operis nisi in circulo. Item, ibi similiter est vera a peccatis cessatio : in ejus enim voluntate peccatum nullum fuit, et præterea inesse non potuit. Hæc etiam requies non fuit solum futuræ requiei signum, sed et causa. Si igitur dies septima est benedicta propter sabbatum diei creationis, cum excellentius sit sabbatum diei recreationis quam creationis, ergo et major benedictio fuit : in omnibus enim requiem quæsivit, et in ipsa sola invenit, in qua invenit omnia quæcumque quæsivit : unde et *in tabernaculo ejus requievit* [2]. Hæc est enim vera Sion, quam elegit Dominus in habitationem sibi. Ibi requies sua in sæculum sæculi : ibi habitabit quoniam elegit eam.

Sic igitur beata Virgo habuit septimi diei benedictionem.

QUÆSTIO CLXVIII.

Quod ista benedictio comprehendat in se secundam benedictionem qua benedixit Deus Adæ et Hevæ ?

Secunda est benedictio, qua benedixit Deus Adæ et Hevæ, Genes. I, 28 : *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram.*

Hæc benedictio tria complectitur in se,

[1] Genes. II, 2.

[2] Eccli. XXIV, 12.

naturæ fœcunditatem, terræ subjectionem, animalium dominationem. Fœcunditas duplex est, carnalis, et spiritualis. Utramque habuit beatissima Virgo in summo. Fœcunditatem carnalem super fœcunditatem naturalem, et spiritualem universalem, quoniam omnium bonorum mater est.

Habuit etiam terræ subjectionem in summo : terram enim corporis sui ita præ omnibus sibi habuit subjectam, quod etiam numquam primum motum rebellionis habuit contra spiritum. Terram etiam spiritualium sibi habuit subjectam, cum sit Domina omnium Angelorum.

Habuit etiam beata Virgo omnium animalium subjectionem et dominationem : dominatur enim per potentiam piscibus maris, id est, dæmonibus in amaritudine inferni constitutis : dominatur etiam per sapientiam volatilibus cœli, id est, Angelis cœli elevatis et volantibus ad altitudinem contemplationis Dei : dominatur etiam per misericordiam omnibus animantibus quæ moventur super terram, id est, universis hominibus in mobili vita constitutis.

Et sic beatissima Virgo habuit benedictionem primorum parentum, scilicet Adæ et Hevæ.

QUÆSTIO CLXIX.

Qualiter ista benedictio comprehendat in se benedictionem qua Isaac benedixit Jacob?

Item, Isaac benedixit Jacob. Genes. XXVII, 28 et 29 : *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini : et serviant tibi populi, et adorent te tribus : esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ : qui maledixerit tibi, sit ille maledictus : et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.*

Hæc quoque benedictio in tribus consistit, in abundantia necessariorum, ut ibi, *Det tibi Deus.* In dignitate honorum, ibi, *Esto dominus fratrum tuorum.* In amotione incommodorum, ibi, *Qui madixerit tibi.* Item, *Det tibi Deus de rore* cœli, id est, gratia contemplationis. *Pinguedo*, id est, gratia actionis. Et ex his fit frumentum fidei, vinum spei. Ad Roman. XII, 12 : *Spe gaudentes.* Et oleum charitatis. His adduntur necessaria corporis : et sic intelligitur in his omne necessarium. Sed constat, quod beatissima Virgo hæc omnia habuit in summo, contemplationem, actionem, spem, fidem, et charitatem. Ergo primum illius benedictionis Jacob habuit in summo.

Secundum quod fuit in hac benedictione, est dignitas honoris, quæ intelligitur per hoc, *Serviant tibi populi, et adorent te tribus* : *esto dominus fratrum tuorum.* Populi sunt Gentiles ad fidem conversi, tribus Judæi, fratres Christiani, filii matris sunt Angeli. Omnes isti, o benedictissima, serviunt tibi in Ecclesia militante, adorant te hyperdulia in Ecclesia triumphante, et incurvantur ante te utrobique, et omnibus dominaris congermana tibi pietate.

Tertium quod fuit in benedictione hac, fuit incommodorum amotio et laudum

communicatio, quod intelligitur per hoc quod dixit, *Qui maledixerit tibi*, etc. Quasi dicat : *Qui maledixerit tibi* corde, ore, et opere, maledictionibus repleatur præsentis et futuræ vitæ : *et qui benedixerit tibi*, benedictionibus replebitur gratiæ præsentis et gloriæ futuræ. Istam benedictionem etiam habuit benedicta Virgo : quia numquam aliquod incommodum habuit quo caruisse voluerit, imo omne suum incommodum sibi fuit commodum, quia omnis passio sibi meritum fuit. Qui autem ipsam ore, corde, et opere maledixerit, æternam maledictionem hæreditabit : qui autem ipsam corde, ore, et opere benedixerit, benedictionem gratiæ et gloriæ possidebit. Omnes igitur cantemus laudantes, et dicamus : *Benedicta tu in mulieribus*.

Et sic patet qualiter benedicta virgo habuit benedictionem Jacob in summo.

QUÆSTIO CLXX.

Qualiter ista benedictio comprehendat in se alias benedictiones quibus Jacob filiis suis singulis benedictionibus propriis benedixit ? Et primo de benedictione Judæ.

Sunt et aliæ famosæ benedictiones, inter quas sunt et illæ quibus benedixit Jacob filiis suis singulis benedictionibus propriis[1]. Sed quamvis omnes dicantur benedictiones, quædam tamen illarum sunt magis prophetiæ vel maledictiones, quibus omissis, illas quæ sunt veræ benedictiones, qualiter comprehendantur sub benedictione benedictissimæ, declaremus.

Cum autem filii alii Jacob alias significent virtutes, Judas signat charitatem : ideo in benedictione Judæ decem et septem ponuntur proprietates charitatis. Dicitur igitur, Genes. xlix, 8 et seq : *Juda, te laudabunt fratres tui : manus tua in cervicibus inimicorum tuorum : adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda : ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum ? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est : et ipse erit exspectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.*

Prima igitur proprietas charitatis est, quod charitas est dignissima virtutum, juxta illud Apostoli, I ad Corinth. xiii, 13 : *Major horum charitas*. Et hoc intelligitur per hoc quod dicitur : *Juda, te laudabunt fratres tui*.

Secunda proprietas est, quod ipsa est expugnatrix peccatorum, juxta illud epist. I Petri, iv, 8 : *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Et hoc intelligitur per hoc quod dicitur : *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*.

[1] Cf. Genes. xlix, 1 et seq.

Tertia proprietas est, quod dat virtutibus esse, id est, essentiam virtutum. Et hoc intelligitur per hoc quod dicitur : *Adorabunt te filii patris tui.*

Quarta est, quod est amatrix arduorum. Et hoc intelligitur per hoc quod dicitur : *Catulus leonis Juda.*

Quinta est, quod est exspoliatrix dæmonum. Quod intelligitur per hoc quod dicitur : *Ad prædam, fili mi, ascendisti.*

Sexta est, quod est victrix passionum. Quod intelligitur per hoc quod dicitur : *Requiescens.*

Septima est, quod est superatrix tentationum. Quod intelligitur per hoc quod dicitur : *Accubuisti ut leo.*

Octava est, quod facit pro dilecto animam ponere. Quod intelligitur per hoc quod dicitur : *Et quasi leæna.*

Nona est, quod nihil potest eam a dilecto separare. Unde, ad Roman. VIII, 35 : *Quis nos separabit a charitate Christi ?* Et hoc intelligitur per hoc quod dicitur : *Quis suscitabit eum ?*

Decima est, quod facit in æternum regnare. I ad Corinth. XIII, 8 : *Charitas numquam excidit.* Et hoc est quod dicit : *Non auferetur sceptrum de Juda.*

Undecima est, quod facit filios Deo generare. Quod intelligitur per illud quod dicitur : *Et dux de femore ejus.*

Duodecima est, quod facit Christum descendere de cœlo. Et hoc est quod dicitur : *Donec veniat qui mittendus est.*

Decima tertia est, quod unit membra Ecclesiæ in se, ex qua totum corpus est connexum et compactum. Et hoc est quod dicit : *Ligans ad vineam pullum suum.*

Decima quarta est, quod unit et ligat membra capiti. Et hoc est quod dicit : *Ad vitem, o fili mi, asinam suam.*

Decima quinta est, quod facit Christum nos sanguine suo lavare, juxta illud Apocalypsis, I, 5 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et hoc est quod dicit : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.*

Decima sexta est, quod facit eum per doctrinam nos vocare, juxta illud Joannis, XXI, 16 : *Si diligis me, pasce oves meas.* Et hoc est quod dicit : *Pulchriores sunt oculi ejus vino.*

Decima septima est, quod facit Christum nos sibi per sacramenta incorporare. Et hoc est quod dicit : *Dentes ejus lacte candidiores.*

Et sic in universo sunt decem et septem proprietates charitatis, quæ sunt dignissima virtutum, expugnatrix vitiorum, dans virtutibus esse virtutum, amatrix arduorum, spoliatrix dæmonum, victrix passionum, triumphatrix tentationum, animam pro proximo ponere, nihil separare, in æternum regnare, filios Deo generare, Christum de cœlo deducere, unire membra Ecclesiæ, unire membra capiti, sanguine lavare, per doctrinam vocare, per sacramenta incorporare, quod intelligitur per hoc quod dicitur : *Dentes ejus lacte candidiores* : per lac enim intelligitur mansuetudo sacramentorum de carne Christi et passione fluentium.

Istæ ergo sunt proprietates charitatis, in quibus consistit benedictio Judæ. Sed ad nobiliorem substantiam sequuntur nobiliores proprietates : ergo quicumque habet charitatem in summo, habet has proprietates in summo, et per consequens benedictiones Judæ in summo : sed beatissima omnium dominarum Domina habuit charitatem in summo : ergo et has proprietates habuit in summo.

QUÆSTIO CLXXI.

Qualiter comprehendat in se benedictionem datam Zabulon?

Sequitur benedictio Zabulon. Genes. XLIX, 13 : *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.*

Per Zabulon secundum Magistrum Richardum de sancto Victore intelligitur zelus animarum, de quo sic dicit : « Post Issachar Zabulon, id est, habitaculum fortitudinis gignitur, quia per internæ dulcedinis degustationem, odium vitiorum generatur et veræ fortitudinis robur acquiritur. Iste est Zabulon, qui irascendo iram Dei placare consuevit, qui pie sæviendo dum hominum vitia percutit, eis quasi non parcendo melius parcit. Absque dubio nihil sic placet Deo, nihil sic placat Deum, quomodo zelus animarum[1]. » Et infra : « Quam multos hodie videmus spiritu pauperes, spe gaudentes, charitate ferventes, multum abstinentes, admodum patientes, ad zelum tamen animarum nimis tepidos, multumque torpentes. Alii quasi ad custodiam humilitatis delinquentes, increpare non præsumunt. Alii ne charitatem fraternam perturbare videantur, peccantes arguere metuunt. Sic et alii aliis et aliis adhuc modis, quod pro Domino zelare nolunt, virtutis hoc esse fingunt, vel virtutis esse credunt. E contra multi quod absque dubio agunt in spiritu furoris, agere se arbitrantur zelo rectitudinis ; et quæ veraciter sequuntur odio hominum, exercere se putant vel simulant odio vitiorum[2]. » Et infra : « Illi potius pietate quam crudelitate delinquentes persequi credendi sunt, qui interna illa gaudia ad quæ eos tot doloribus invitant, per experientiam noverunt. » Et infra : « Debet etiam Zabulon non solum delinquentes corripere, sed eos etiam tempore tribulationis contra persequentes defendere. Debet etiam esse Zabulon promptior, imo semper paratior ad mala ferenda, quam ad mala inferenda. Et quia habet necesse pro culpa quandoque subjectis irasci, amplius utique dolet, cum cogitur eos pro culpa percutere, quam cum cogitur pro eorum defensione puniri. Libenter ergo se occurrentibus periculis objicit, et contra sævientium tempestatum procellas se sponte opponit. Alioquin frustra in littore maris habitat : frustra in statione navium habitationem parat. Si contra marina mundanæ pressuræ discrimina trepidat, nisi tempestatibus diu defatigatos et tandem littoribus ejectos blande excipiat, et benigne foveat[3]. » Et infra : « Usque ad Sidonem solemus fieri hujusmodi venationem animarum, aliquando per occultam suggestionem dæmonum, aliquando per apertam persuasionem hominum. Verumtamen novit utramque Zabulon caute deprehendere, et incautis detegere. Figit ergo fortitudinis suæ habitaculum e regione maris in confinio

[1] Richardus de S. Victore, Lib. de Præparatione animi ad contemplationem, [illegible], Benjamin minor, cap. 40.

[2] Ibidem, cap. 41.

[3] Ibid., cap. 42.

Sidonis, ut hinc vigilet contra sævitiam persequentium, illinc contra fraudulentiam insidiantium [1]. » Et infra [2] : « Nescio si potest homo aliquid a Deo in vita majus accipere : ignoro an possit hac gratia interim majorem aliquam Deus homini conferre, quam ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur, ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur. An forte cuiquam magis videbitur esse mortuos suscitare ? Ergone majus erit suscitare carnem iterum morituram, quam animam in æternum victuram ? Ergone majus erit carnem revocare ad gaudia mundi, quam animæ restituere gaudia cœli ? O qualis dos, quanta dignitas, talem gratiam a Deo accipere ! Non debuit Dei sponsa a sponso suo dotem aliam accipere, non decuit cœlestem sponsum sponsæ suæ dotem aliam donare, quam ut per adoptionis gratiam possit multos Deo filios gignere, et de filiis iræ filiisque gehennæ, regni cœlestis hæredes adscribere. Merito ergo Zabulon nato exclamat mater ejus Lia : *Ditavit me Deus dote bona* [3]. »

Ex his intelligitur, quod per Zabulon zelus animarum describitur, cujus decem sunt proprietates. Prima est, quod odit peccatum. Secunda, quod maxime placat Deum. Tertia, quod non parcendo plus parcit. Quarta, quod nihil plus placet Deo. Quinta, quod promptior est ad mala ferenda quam inferenda. Sexta, quod blande recipit pœnitentem. Septima, quod vigilat contra persecutores et manifestat insidias. Octava, quod homo non potest majus donum accipere. Nona, quod est dos quam cœlestis sponsus dat sponsæ suæ. Decima, quod filios Dei generat.

Istæ igitur proprietates sunt zeli, in quibus benedictio Zabulon consistit. Sed ad nobiliorem substantiam sequuntur nobiliores effectus : ergo quicumque habet zelum animarum in summo, per consequens habebit benedictionem Zabulon in summo : sed beata Virgo habuit zelum animarum in summo : ergo habuit benedictionem Zabulon in summo. Minor patet per illud quod in principio ponitur, scilicet quod zelus animarum ex internæ dulcedinis degustatione generatur : sed illam degustationem habuit in summo : ergo et zelus animarum cum suis proprietatibus fuit in summo in beata Virgine : ergo habuit benedictionem Zabulon in summo.

QUÆSTIO CLXXII.

Qualiter comprehendat in se benedictionem datam Issachar ?

Sequitur benedictio Issachar, de qua dicitur, Genes. xlix, 14 et 15 : *Issachar asinus fortis accubans inter terminos : vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima : et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.*

Glossa : « Recte post nativitatem Gad

[1] Richardus de S. Victore, Lib. de Præparatione animi ad contemplationem, libro dicto *Benjamin minor*, cap. 13.

[2] Ibid., cap. 44.

[3] Genes. xxx, 20.

et Aser Lia talem filium genuit : quia nisi per abstinentiam et patientiam mens humana ad verum gaudium non pertingit. Oportet ergo non solum falsam delectationem, sed et vanam perturbationem excludere, qui vult de veritate gaudere. Et iste filius Issachar, id est, *merces* dicitur : quia illud gaudium verum tamquam mercedem omnium laborum exspectamus[1]. » Et infra : « Scimus, quod sicut mare semper fluctuat, terra autem in æternum stat, sic et cætera elementa semper in motu sunt, et sola terra stante, stare cætera nesciunt. Quia scimus, quod mens quæ per varia desideria fluctuat, quam adhuc sæcularium curarum procella exagitat, ad illud internum gaudium non admittitur, et illo torrente voluptatis non potatur : quanto minus inebriatur[2]. » Et infra[3] : « Hæc est illa vere beata terra, mentis tranquillitas videlicet, quando mens in seipsa tota colligitur, et in uno æternitatis desiderio immobiliter figitur. Hæc est illa terra quam Veritas promittebat dicens : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*[4]. » Et infra : « Issachar pro hac terra asinus factus et fortis libenter supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens. Multum sibi subito viluerat, qui se asinum animal videlicet pene præ cæteris vilius reputabat. Multum concupivit terram quam vidit, pro qua ad omnem laborem fortis perduravit. Viderat sane quod ad pulchritudinem terræ illius, omnes justitiæ nostræ ut pannus erant menstruatæ. Viderat nihilominus, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. In uno ergo sibi vilis, in altero fortis effectus : de uno humiliatus, de altero roboratus fortitudinis suæ humerum ad omnem laborem libenter inclinavit, et in acquirenda divina gloria non sua, vero regi tributum persolvit. Unde, Psal. LXXII, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te.* Item, *Propter te mortificamur tota die*[5]. Quia hujus vitæ bona ad necessitatem non respuebat, hanc terram penitus non deserebat : quia futuræ vitæ non nisi novissima quædam capere poterat, illam omnino non apprehendebat : et ideo inter terminos habitabat. Istam tolerabat ad necessitatem, illam concupierat ad jucunditatem. Satagebat penitus istam deserere, nec poterat : ambiebat in illam totus intrare, nec valebat. Fecit igitur quod potuit, inter terminos habitavit. Quotidie ad illam nitebatur, quotidie ad istam relabebatur, et in hunc modum inter terminos morabatur. »

Ex his colligitur, quod per Issachar gaudium æternum interpretatur, cujus in his verbis decem proprietates exprimuntur. Prima est, quod falsam delectationem excludit. Secunda, quod per vanam perturbationem elidit. Tertia est, quod est merces laboris. Quarta, quod mentem stabilitat. Quinta, quod hominem humiliat. Sexta, quod animam roborat. Septima, quod animam in suspendium elevat. Octava, quod terram prospicit. Nona, quod requiem sentit. Decima, quod Deo gloriam adscribit et reddit.

Istæ igitur sunt proprietates interni gaudii in quibus consistit benedictio Issachar. Sed beata Virgo habuit internum gaudium in summo : ergo et proprietates ejus in summo. Minor patet supra de beatitudinibus super illam quæ est, *Beati qui esuriunt*[6]. Et in tractatu de *fructibus* supra posito.

[1] Richardus de S. Victore, Lib. de Præparatione animi ad contemplationem, cap. 37.
[2] Ibid., cap. 38.
[3] Ibid., cap. 39.
[4] Matth. v, 4.
[5] Psal. xliii, 22, et Roman. viii, 36.
[6] Matth. v, 6.

QUÆSTIO CLXXIII.

Qualiter comprehendat in se benedictionem datam Dan?

Sequitur benedictio Dan. Genes. XLIX, 16 : *Dan judicabit populum suum sicut et alia tribus in Israel.*

Glossa : « Per officium Dan illecebrosas cogitationes deprehendimus, arguimus, damnamus, castigamus. Recte enim Dan, id est, judicium vocatus est[1]. » Et infra : « Si Dan districte populum suum custodiat, si judicium suum diligenter exerceat, fiet ut in cæteris tribubus raro inveniatur quod jure damnari debeat[2]. »

Ex his intelligitur, quod per Dan restrictio cogitationum intelligitur : ergo hic quatuor proprietates innuuntur, in quibus sua benedictio consideratur. Prima est cogitationes malas reprehendere. Secunda, arguere. Tertia, damnare. Quarta, castigare.

Istam autem cogitationum restrictionem habuit beatissima Virgo in summo, quæ taliter omnes cogitationes ordinatas habuit, quod nullus in ea vel primus motus illicitus exsurgere potuit : et sic benedictionem Dan in summo possedit.

QUÆSTIO CLXXIV.

Qualiter comprehendat in se benedictionem datam Gad?

Sequitur de benedictione Gad. Genes. XLIX, 19 : *Gad accinctus prœliabitur ante eum : et ipse accingetur retrorsum.*

Glossa : « Quia ad Dan pertinet disciplina cogitationum, ad Gad autem disciplina sensuum, unius est sedare civilem discordiam, alterius est repellere hostilem pugnam : hic vigilat contra civium proditionem, ille contra hostium incursionem[3]. » Et infra : « Quamvis Dan assidue in throno judicii sedeat, quamvis rixas altercantium cogitationum indesinenter componat, frustra utique in componenda civium discordia laborat, nisi eodem studio Gad civitatem nostram per sensuum disciplinam muniat, et hostilia vitiorum agmina abstinentiæ prœlio acriter feriat. Unde etiam scriptum est : *Gad*

[1] Richardus de S. Victore, Lib. de Præparatione animi ad contemplationem, cap. 20.

[2] Ibid., cap. 21.

[3] Ibid., cap. 31.

accinctus prœliabatur ante eum. Gad procul dubio tunc se accingit, quando sensuum dissolutionem per disciplinam restringit. Tunc forti prœlio dimicat, quando desideria carnalia per mortificationem carnis trucidat, »

Ex his colligitur, quod per Gad disciplina sensuum intelligitur, cujus tres sunt proprietates. Prima est, quod civitatem mentis custodiat. Secunda, quod hostilem pugnam repellat. Tertia, quod contra hostem per abstinentiam dimicet.

Has proprietates habuit beatissima Virgo in summo, quæ civitatem cordis taliter custodivit, quod numquam aliquis hostium in ipsam vel primo impugnare motu attentavit : ergo benedictionem Gad habuit in summo.

QUÆSTIO CLXXV.

Qualiter comprehendat in se benedictionem datam Nephtali?

SEQUITUR de benedictione Nephthali Genes. XLIX, 21 : *Nephthali cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis.*

Glossa : « Sicut ad officium Dan pertinet per repræsentationem pœnæ reprimere exsurgentia vitia, sic ad Nephthali pertinet per considerationem præmiorum inflammare bona desideria[1]. » Et infra : « Quia ergo quidquid scriptum reperit, ad spiritualem intelligentiam convertit, recte conversionis nomen accepit[2]. » Et infra[3] : « Notandum sane, quod non avi volanti, sed cervo currenti comparatur. Nam avis quidem volando longe a terra suspenditur, cervus autem ad dandos saltus terræ innititur, sed nec in ipsis suis saltibus longius a terra separatur. Sic nimirum Nephthali dum per rerum visibilium formam, rerum invisibilium naturam quærit, quosdam saltus dare, non autem ad plenum convalescere consuevit : quia in eo quod se ad summa erigit, rerum corporearum secum umbram trahens, ima omnino non deserit. Sic novit Nephthali carnalia cum spiritualibus permiscere, et per corporalia incorporea describere, ut utraque hominis natura in ejus dictis inveniat unde se mirabiliter reficiat, qui ex corporea et incorporea natura constat. Illud autem in ejus dictis est valde mirabile, quod tunc fere semper delectabilius blandiuntur, quando juxta litteræ sensum nihil sonare videntur, quale est illud : *Capilli tui sicut greges caprarum*[4]. Et illud : *Nasus tuus sicut turris Libani*[5]. Et consimilia. Quia forte in hujusmodi, dictis hoc est quod tam libenter amplectimur, quod ex jucunda quadam litteræ (ut ita dicam) fatuitate, ad spiritualem intelligentiam confugere coarctamur. »

Ex his colligitur, quod per Nephthali intelligitur contemplatio invisibilium per doctrinam visibilium. Cujus gratiæ hic proprietates quinque dicuntur, quæ benedictionem Nephthali complectuntur. Prima est præmiorum consideratio. Secunda, desideriorum inflammatio. Tertia

[1] Richardus a S. Victore, Lib. de Præparatione animi ad contemplationem, cap. 22.
[2] Ibid., cap. 2[illegible].
[3] Ibid., cap. 24.
[4] Cantic. IV, 1.
[5] Cantic. VII, 4.

Scripturarum ad spiritualem intelligentiam conversio. Quarta, nec visibilium nec invisibilium derelictio, sed inter utrumque saltatio. Quinta, per absurditatem litteræ ad spiritualem intelligentiam coarctatio.

Hæc habuit beatissima Virgo in summo : quia sola inter omnes viatores perfectam habuit in via contemplationem, sola omnes Scripturas per omnem sensum intellexit, et Verbo increato Vetus et Novum Testamentum didicit et expresse docuit, cujus et ipsa ore et opere disciplinæ Dei doctrix in summo gloriosa fuit. Et sic quoque sua benedictio benedictionem Nephthali includebat.

QUÆSTIO CLXXVI.

Qualiter comprehendat in se benedictionem datam Aser ?

Sequitur de benedictione Aser. Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*

Glossa : « Aser quamvis multum esuriat panem justitiæ, dedignatur eum comedere, nisi sit conspersus oleo misericordiæ. Ex multa enim divitiarum affluentia quæ sibi superabundant ex spoliis hostium pro frequenti victoria, multum est delicatus effectus : nec ei jam sapit panis ullus quantumlibet nitidus, nisi sit oleo conspersus, in tantum ut de eo Scriptura nuntiet manifeste dicens, quia *Aser, pinguis panis ejus*[1]. » Et infra : « Si enim gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quanta tunc solemnitas erit super quolibet justo pro justitia libenter moriente. Vere *Aser pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* O qualis panis, panis ejus ! O quales deliciæ, deliciæ quæ tantum sapiunt regibus, regibus talibus ! Certe reges isti jam ad nuptias Agni introierunt, jam ad illud æternum convivium sederunt, jam illo Angelorum pane deliciisque æternis nascuntur, jam torrente voluptatis inebriantur, et adhuc hujus Aser delicias insatiabiliter esuriunt. Sed unde ei tanta divitiarum abundantia, nisi (ut dictum est) de horum spoliis in tam frequenti victoria ? Constat namque quia quanto amplius atteruntur hostes justitiæ, tanto uberius cumulantur gaudia conscientiæ. *Gloria et divitiæ in domo ejus*, ait Psalmista[2]. Et Apostolus de hujusmodi gloria et divitiis, quasi exponendo loquitur ita : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*[3]. » Et infra : « Hostibus itaque fugatis, civibusque pacificatis, nil jam obstat (ut arbitror) quin illa nostra civitas experiatur, quæ sit illa Dei pax quæ exsuperat omnem sensum, et quam sit magna multitudo dulcedinis quam abscondit Deus diligentibus se. Quid ergo mirum si eam quilibet mundi amator nescit, quam Deus diligentibus se abscondit ? Qui enim in bonis falsis et deceptoriis spem figunt,

[1] Richardus de S. Victore, Lib. de Præparatione animi ad contemplationem, cap. 34, 35 et 36.

[2] Psal. cxi, 3.

[3] II ad Corinth. i, 12.

quæ sint vera bona invenire non possunt : unde est quod dicunt : *Quis ostendit nobis bona*[1] *?* Est enim manna absconditum et nisi gustantibus omnino incognitum. Mens enim quæ in laude hominum delectatur, quid sit internum gaudium experiri non meretur. »

Ex his intelligitur, quod per Aser exprimitur morum justificatio, cujus hic novem proprietates ponuntur, quæ benedictionem Aser complectuntur. Prima est esuries pro justitia. Secunda est delectatio in misericordia. Tertia est divitiarum abundantia. Quarta est deliciarum affluentia. Quinta, hostium frequens victoria. Sexta, cœlestium conviviorum præparatio. Septima est conscientiæ exsultatio. Octava, supernæ pacis experientia. Nona, absconditæ dulcedinis prægustatio. Harum autem duæ omnium aliarum sunt causæ, scilicet esuries justitiæ, et frequentia victoriæ, quibus intensis intenduntur omnes aliæ proprietates.

Constat autem, quod in beatissima Virgine in summo fuit esuries justitiæ, et frequentia victoriæ, sicut et divitiarum et deliciarum spiritualium et conviviorum cœlestium et pacis et delectationis eminentia, utpote quæ nos justificavit, misericordiæ mater exstitit, serpentem præ omnibus contrivit, omnes filias supergressa divitiis abundavit, deliciis affluens, innixa super dilectum cœlos ascendit, panem Angelorum et vinum omnibus mixtum dedit, præ omnibus consortibus sive participibus oleo exsultationis uncta fuit, per quam pax vera descendit de cœlo, et verum manna novem mensibus in se absconditum habuit, et tunc omnibus hominibus manifestavit in cibum et donavit. Et sic iterum benedictio sua benedictionem Aser includebat.

QUÆSTIO CLXXVII.

Qualiter comprehendat in se benedictionem datam Joseph ?

Sequitur de benedictione Joseph. Genes. XLIX, 22 et seq. : *Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus adspectu : filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque ei habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Jacob : inde pastor egressus est lapis Israel. Deus patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum. Fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.*

Hæc est benedictio Joseph, quæ secundum intellectum litteralem dividitur in decem et septem partes benedictionem Joseph integrantes. Prima est Dei filiatio. Secunda, divina imitatio. Et hæc intelli-

[1] Psal. IV, 6.

guntur per *filium* bis positum. Tertia, augmentum sapientiæ. Quarta, augmentum gratiæ. Et hæc intelliguntur per *accrescens* bis positum. Quinta, bona fama quantum ad seipsum : et hoc est quod dicitur : *Decorus adspectu*. Sexta, ædificatio per exemplum, et hæc intelligitur per hoc quod dicitur : *Filiæ discurrerunt super murum*. Septima est patientia ab opere, et hoc est quod dicitur : *Sed exasperaverunt eum*. Octava est patientia ab ore, et hoc est quod dicitur : *Et jurgati sunt*. Nona est patientia a cordis injuria, et hoc est quod dicitur : *Inviderunt ei habentes jacula*. Decima est liberatio a malo culpæ, et hoc est quod dicitur : *Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum*. Undecima est temporalis origo, et hoc est quod dicit : *Inde egressus est pastor*. Duodecima est malæ tentationis superatio, et hoc est quod dicit : *Deus patris tui erit adjutor tuus*. Decima tertia est boni gloriæ collatio, et hoc est quod dicitur : *Benedictionibus cœli desuper*. Decima quarta est boni gratiæ collatio, et hoc est quod dicitur : *Benedictionibus abyssi jacentis deorsum*. Decima quinta est collatio boni naturæ, et hoc est quod dicitur : *Benedictionibus uberum et vulvæ*. Decima sexta est boni hæreditatio et possessio, et hoc est quod dicit : *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum*. Decima septima est bonitatis in alio hæreditatio, et hoc est quod dicit : *Fiant in capite Joseph, et in cervice Nazaræi inter fratres suos*.

Harum omnium benedictionum sufficientia datur in hunc modum. Benedictio per se, vel est in essendo, vel in patiendo, vel in agendo. In essendo vel ad seipsum, vel ad Deum, vel ad proximum. Ad Deum dupliciter, vel in accipiendo esse, et sic est filius per creationem : vel in accipiendo operationem, et sic est filius per imitationem. Ad se dupliciter, vel ad intellectum, et est augmentum sapientiæ : vel quantum ad affectum, et sic est augmentum gratiæ. Ad proximum dupliciter, vel quantum ad bonum proprium, et sic est bona fama : vel quantum ad bonum proximi, et sic est exemplum. Si autem in patientia est, vel est passio a malo illato, vel innato. Si ab illato, sic vel ab opere, vel ab ore, vel a corde, et sic contra hoc triplex patientia, quæ est arcus in fortitudine divina. Si a malo innato, sic est liberatio a culpa. Si autem in agendo, vel est actio naturalis, et sic est origo Christi per propagationem temporalem : vel est actio voluntaria, et sic est vel contra malum, et sic est tentationis superatio : vel est ad bonum, et hoc est tripliciter, vel in se, vel in causa, vel in efficientia. Si in se, vel est gratiæ, vel gloriæ, vel naturæ. Si in causa, sic est boni in alios hæreditatio. Ex his igitur integratur benedictio Joseph.

Sed constat, quod hæc omnia fuerunt in beatissima Virgine in summo, quæ fuit summa filia Dei in esse gratiæ, gloriæ, et naturæ, et in perfectissima imitatione, habens plenitudinem gratiæ, famæ, sapientiæ, exempli, patientiæ, imitationis, immunitatis culpæ, temporalis origo Christi. Plena est etiam bono gloriæ, gratiæ, et naturæ, quæ omnium progenitorum virtutes cum excellentia habuit, et suam gratiæ plenitudinem ad alios transmisit. Et sic patet qualiter benedictio Joseph in benedictione beatæ Virginis inclusa fuit.

QUÆSTIO CLXXVIII.

Qualiter comprehendat in se benedictionem datam Benjamin?

Sequitur de benedictione Benjamin. Genes. XLIX, 27 : *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.*

Hæc benedictio in tribus consistit. Primum, perditorum omnium a culpa ereptio. Secundum, de ereptione gratulatio in gratia. Tertium, in futuro omnium et singulorum glorificatio in gloria.

Et hæc in beatissima Virgine fuerunt in summo : quia summam in ereptione habuit victoriam, summam de ereptis in præsenti lætitiam, et summam in futuro de omnibus et singulis gloriam. Et sic sua benedictio benedictionem quoque Benjamin includit.

Si autem secundum tropologiam per Joseph intelligitur gratia discretionis in actione, per Benjamin gratia cognitionis in contemplatione, constat quoque, quod hæc in summo habuit beatissima Virgo.

Et sic benedictiones filiorum Jacob omnes quæ veræ sunt benedictiones, in benedictione Dominæ nostræ cum excellentia inclusæ sunt.

QUÆSTIO CLXXIX.

Qualiter B. Virgo comprehendat in se benedictiones illas quibus benedixit Balaam Israeli, quod primam benedictionem?

Sequitur videre qualiter benedictiones illæ quibus benedixit Balaam Israel, in benedictione Dominæ nostræ fuerunt inclusæ.

Dividuntur autem hæ benedictiones in duas partes. In prima ponit benedictiones quantum ad substantiam. Secundo, quantum ad causam efficientem earum, ubi dixit : *Videbo eum, sed non modo*[1].

Prima pars continet tres benedictiones. Prima est benedictio populi quantum ad statum præsentem. Secunda quantum ad statum præteritum in quo fuerunt, ibi ubi dicit : *Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel*[2], etc. Tertia quantum ad statum futurum in quo postea erunt, ubi dicit : *Quam pulchra tabernacula*[3], etc.

[1] Numer. XXIV, 17.
[2] Numer. XXIII, 21.
[3] Numer. XXIV, 5.

Prima benedictio est hæc, Numer. xxiii, 9 et 10 : *De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum : populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.* Hæc benedictio benedictiones quinque particulares habet. Prima, conversationis altitudo, et hoc dupliciter, vel imitatione Angelorum, et hoc est quod dicit : *De summis silicibus videbo* : vel imitatione sanctorum et perfectorum hominum, et hoc est quod dicit : *De collibus considerabo illum.* Secunda benedictio est a malis separatio, et hoc dupliciter, vel a communione dæmonum, et hoc est quod dicit : *Populus solus habitabit* : vel a consortio malorum hominum, et hoc est quod dicit : *Inter gentes non reputabitur.* Tertia benedictio est in se perfectio, et hoc dupliciter : vel in actione, et hoc intelligitur per hoc quod dicitur : *Jacob* : vel in contemplatione, et hoc intelligitur per *Israel.* Quarta est seminis multiplicatio, et hoc dupliciter : vel est multiplicatio spiritus, et hoc est quod dicit : *Numerum stirpis Israel* : vel secundum carnem, et hoc est quod dicit : *Pulverem Jacob.* Quinta benedictio est finis beatitudo et hæc duplex, scilicet bona mors, et hoc est quod dicit : *Moriatur anima mea morte justorum :* et beatificatio post mortem, et hoc est quod dicit : *Fiant novissima mea horum similia.*

Et sic benedictio prima cum suis divisionibus decem habuit benedictiones, quarum primam Virgo beata habuit in summo, cujus conversatio summe angelica fuit in virtutum deiformitate, et peccati immunitate, et virginitatis dignitate : in carne enim omnino præter carnem vivere non est humana vita, sed angelica. Secundam habuit similiter in summo : quia omnes pios patrum mores ostendit in se, sed excellit eosdem : unde et in altissimis habitat hominum et Angelorum. Tertiam habuit in summo : summa enim humilitas quæ in ipsa fuit, cum superbia diaboli nihil commune habuit. Item, ab errore et peccatis Gentilium immunissima fuit : quia fide plenissima et sanctissima fuit, et sic quartam benedictionem habuit. Quintam etiam benedictionem in summo habuit : quia sola perfectam contemplationem in summo habuit in via. Sextam quoque habuit in summo : quia qualibet actione liberi arbitrii meruit. Septimam habuit, quia fœcunditatem carnis simul cum integritate possidens Deum et hominem simul genuit. Octavam habuit, quia unum filium carnalem genuit, in quo omnes filios spiritualiter regeneravit. Nonam habuit, quia morte gloriosa et sine dolore et cum more mortua fuit. Decimam habuit, quia gloriosissime, scilicet in corpore et in anima statim surrexit.

Ex his patet qualiter benedictiones Balaam primo datæ omnes cum excellentia in benedictione Virginis benedictissimæ sunt inclusæ.

Sufficientia autem benedictionum sumitur sic : Benedictio vel est ad alium, vel ad seipsum. Si ad alios, vel ad extraneos, vel ad posteros. Si ad extraneos, vel ad bonos, vel ad malos. Si ad extraneos bonos, vel ad Angelos, et sic est prima benedictio : vel ad homines, et sic est secunda. Si ad extraneos malos, vel dæmones, et sic est tertia : vel homines, et sic est quarta. Si ad posteros, vel secundum carnem, et sic est materialis seminis multiplicatio : vel secundum spiritum, et sic est spiritualis multiplicatio. Si autem est benedictio in se, vel in præsenti, vel in futuro. In præsenti, vel quantum ad operationem, et sic est actio : vel est quantum ad cognitionem, et sic est contemplatio. Si in futuro, vel terminus hujus vitæ intra, et sic est mors : vel terminus hujus vitæ extra, et sic est beatitudo.

QUÆSTIO CLXXX.

Qualiter comprehendat in se secundam benedictionem Balaam?

Secunda benedictio Balaam principalis hæc est, Numer. xxiii, 21 et seq. : *Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli quid operatus sit Deus. Ecce populus ut leæna consurget, et quasi leo erigetur : non accubabit donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat.*

Hæc autem benedictio decem habet particulares. Prima est immunitas peccatorum corporalium, et hoc est quod dicit : *Non est idolum in Jacob.* Secunda est immunitas peccatorum spiritualium, et hoc est quod dicit : *Non videtur simulacrum in Israel.* Tertia est divinum auxilium, et hoc est quod dicit : *Dominus Deus ejus cum eo.* Quarta est admonitio prædicatorum, et hoc est quod dicit : *Et clangor victoriæ regis in illo.* Quinta est de mundo eductio, et hoc est quod dicit : *Deus eduxit illum de Ægypto.* Sexta est humanæ sapientiæ evacuatio : et hoc dupliciter, vel quantum ad animalem intellectum, et hoc est : *Non est augurium in Jacob* : vel quantum ad carnalem affectum, et hoc est : *Neque divinatio in Israel.* Septima est divinæ sapientiæ repletio, et hoc est dupliciter, vel quantum ad temporalia, et hoc est quod dicit : *Temporibus suis dicetur Jacob* : vel quantum ad spiritualia, et hoc est quod dicit : *Et Israeli quid operatus sit Deus.* Octava est in fide conscientia, et hoc est quod dicit : *Ecce populus ut leæna consurget.* Nona est exsultatio in spe, et hoc est quod dicit : *Quasi leo erigetur.* Decima est refectio in charitate, et hoc est quod dicit : *Non accubabit leo donec devoret prædam.*

Sunt igitur benedictiones cum suis subdivisionibus duodecim, quarum sufficientia sumitur sic : Ista benedictio datur in comparatione ad statum præteritum, qui est eductio de Ægypto, et in hoc tria sunt. Primum est educendi dispositio. Secundum, ipsa eductio. Tertium est ipsa eductorum conversatio. In dispositione triplex est benedictio : vel enim est ex parte educendi, et sic est peccatorum immunitas : et hoc est vel corporalium, vel spiritualium, et sic sunt duæ primæ benedictiones : vel est dispositio ex parte educentis, et sic est divinum auxilium : vel est ex parte adjuvantis, et sic est admonitio prædicatorum : disponit enim ad educendum peccator a peccatis recedendo, Dominus gratiam infundendo, prædicator pœnitentiam prædicando. In ipsa autem eductione duo sunt. Unum, recessus a malo, et hoc est de mundo eductio. Aliud est ad regnum adjuvatio. Eductorum conversatio consistit in duobus. Unum est impedimentum auferendo : aliud est necessarium tribuendo. Impedimentum duplex : in intellectu animalis sensus : in affectu carnalis affectus : et hæc duo comprehendit humanæ sapientiæ evacuatio. Item, necessarium tribuendo est duplex : quoad intellectum,

et sic est divinæ sapientiæ repletio : quoad affectum, et sic est in rationali fides, in irascibili spes, in concupiscibili refectio in charitate, et sacramentorum perceptione.

Primum et secundum beatissima Virgo habuit : quia nec venialiter umquam peccavit. Tertium etiam habuit in eo quod gratia plena fuit. Quartum habuit, quia omnium perfectissime doctrix fuit opere. Quintum habuit, quia de mundo segregatissima fuit. Sextum habuit, quia in regni solio juxta regem gloriæ ipsa in reginam misericordiæ sublimata fuit. Septimum habuit, quia animalem sensum omnino evacuavit. Octavum habuit, quia nullum carnalem affectum habuit, in qua etiam peccati fomes omnino exstinctus fuit. Nonum habuit, quia divina sapientia fuit plena, scilicet quia ipsam sapientiam generavit. Decimum, undecimum, duodecimum et decimum tertium habuit : quia fide, spe, et charitate omnes antecellit.

Et sic patet qualiter secunda benedictio Balaan super Israel enumerata, in benedictione benedictissimæ universaliter et in omni excellentia fuit comprehensa.

QUÆSTIO CLXXXI.

Qualiter comprehendat in se benedictionem tertiam Balaam ?

Tertia benediction Balaam principalis est hæc, Numer. xxiv, 5 et seq : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob ! et tentoria tua, Israel ! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex ejus, et auferetur regnum illius. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis. Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus : qui maledixerit, in maledictione reputabitur.*

In hac benedictione novem benedictiones sunt comprehensæ. Prima est multiplicatio ecclesiasticarum actionum, et hoc intelligitur per hoc quod dicit : *Quam pulchra tabernacula.* Secunda est pulchritudo religionis, et hoc est : *Et tentoria tua, Israel.* Tertia est ordo et institutio prædicatorum, et hoc est quod dicitur : *Fluet aqua de situla ejus.* Quarta est Judaici regni destructio, et hoc est : *Propter eum tolletur Agag, rex ejus.* Quinta est regni gentium Ecclesiæ subjectio, et hoc est, quod *devorabunt gentes hostes illius.* Sexta est dæmonum confractio, et hoc est : *Ossaque illorum confringent.* Septima est Anti-Christi interfectio, et hoc est : *Perforabunt sagittis.* Octava est a somno mortis resurrectio, et hoc est : *Accubans dormivit ut leo.* Nona est malorum et bonorum remuneratio, et hoc intelligitur, ibi, *Qui benedixerit tibi,* etc.

Sumatur istarum benedictionem sufficientia in hunc modum. Ecclesiæ bene-

dictio, vel in præsenti vita, vel in futura. Si in hac vita, est collatio boni, vel est multiplicatio actionum vel contemplationum, vel utrorumque donorum : et secundum hoc sunt tres primæ, scilicet multiplicatio ecclesiasticarum actionum, pulchritudo religiosorum, abundantia prædicatorum. Si autem est mali ablatio, vel est cum mutatione, et sic est regni Judaici translatio : vel est destructio, et hoc vel dæmonum, vel hominum, vel Anti-Christi qui est homo plenus dæmoniis : et secundum hoc sunt tres, illæ scilicet, regni gentium subjectio, dæmonum confractio, Anti-Christi interfectio. Si post hanc vitam est, vel omnium communis resurrectio, vel bonorum remuneratio, et malorum damnatio : et sic sunt duæ ultimæ benedictiones.

Qualiter autem istæ benedictiones conveniunt benedictissimæ Virgini Mariæ, facile est declarare. Summa enim fuit, ut sæpius dictum est, in actione, in contemplatione, et in doctrina. Ipsa quoque in suo partu transtulit regnum Judæorum, quia regem genuit Christianorum, et per consequens regnum destruxit Gentium et dæmonum et Anti-Christi, quem Filii sui ore interficiet : et omnes bonos et malos remunerabit, quia remuneratorem omnium generavit, et ipsum bonis in præmium donavit.

Et sic patet qualiter novem benedictiones istæ in benedictione superbenedictissimæ Virginis sunt inclusæ.

QUÆSTIO CLXXXII.

Qualiter comprehendat in se quartam benedictionem Balaam?

Quarta benedictio Balaam, quæ non tantum benedictio sed aliarum benedictionum est causa, est hæc, Numer. XXIV, 17 et seq. : *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus : hereditas Seir cedet inimicis suis : Israel vero fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.*

Hæc benedictio dividitur in septem partes. Prima est benedictissimæ Virginis generatio. Secunda est Filii Dei ex ipsa incarnatio. Tertia, destructio vitiorum. Quarta, hominum liberatio. Quinta, bonorum confirmatio. Sexta, bonorum dominatio. Septima, malorum damnatio. Prima intelligitur per hoc quod dicitur : *Orietur stella ex Jacob.* Secunda per hoc quod dicit : *Et consurget virga de Israel.* Tertia per id, *Et percutiet duces Moab.* Quarta per id, *Et erit Idumæa possessio ejus.* Quinta per id, *Israel vero fortiter aget.* Sexta per id, *De Jacob erit qui dominetur.* Septima per id, *Et perdat reliquias civitatis.*

Et sumitur harum benedictionum sufficientia in hunc modum : Causam benedictionis, vel est sumere in se, vel in effectu. In se, vel est mediata, et sic est generatio Dominæ : vel immediata, et sic est incarnatio Filii. Si autem in effectu, vel est in præsenti, vel in futuro. Si in præsenti, vel respectu bonorum, vel malorum. Si malorum, vel vitiorum.

et sic est tertia : vel hominum, et sic est quarta. Si respectu bonorum, sic est quinta. Item, si est in futuro, vel est respectu bonorum, et sic est dominatio : vel malorum, et sic damnatio.

Patet igitur qualiter hæ partes procedunt et dependent a benedictione beatissimæ Virginis, quæ in hac prima est radix omnium et causa consequentium : quidquid enim est causa causæ, est causa omnium sequentium causatorum : unde cum beatissima Virgo mediante illa benedictione qua abundat in mulieribus, sit causa corporalis generationis de ipsa, et illa sit causa consequentium, patet quod in ipsa et sua benedictione istæ benedictiones causaliter sunt inclusæ.

QUÆSTIO CLXXXIII.

Qualiter B. Virgo comprehendat in se benedictiones quibus Moyses benedixit Israel præcepta servanti ?

Sequitur videre de benedictionibus quibus benedixit Moyses Israel præcepta Domini servanti, dicens, Deuteron. xxviii, 3 et seq. : *Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, et caulæ ovium tuarum. Benedicta horrea tua, et benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris tu ingrediens et egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo : per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manuum tuarum : benedicetque tibi in terra, quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi : si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus. Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ quam juravit Dominus patribus tuis ut daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ, in tempore suo : benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo fœnus accipies. Constituet te Dominus Deus tuus in caput, et non in caudam : et eris semper supra, et non subter.*

Et ponuntur hic decem et novem benedictiones. Prima est gratia contemplationis, et hoc est : *Benedictus tu in civitate.* Secunda est gratia actionis, et hoc est : *Benedictus in agro.* Unde Glossa : « Benedictionem contemplativæ et activæ. » Tertia est puritas contemplationis, et hoc est : *Benedictus fructus ventris tui.* Quarta est utilis operatio, et hoc est : *Fructus terræ tuæ.* Quinta est in aliis fructificatio, et hæc est triplex, in laicis, in clericis, et religiosis. Prima per jumenta. Secunda per armenta. Tertia per caulas ovium. Sexta est virtutum frugalitas, et hoc dupliciter, vel quantum ad actum, et hoc est : *Benedicta horrea*

tua. Glossa : « Virtutum custodia. » Vel, quantum ad habitum, et hoc est : *Benedictæ reliquiæ tuæ* : unde Glossa : « Bona voluntas quæ remanet post opera. » Septima est felix consummatio, et hæc est duplex, quantum ad operationem boni, et hoc est : *Benedictus ingrediens* : vel quantum ad evasionem mali, et hoc est : *Benedictus egrediens*. Glossa : « Ingrediens in perceptione præmii, egrediens ab hac vita ad æternam. » Octava est victoria tentationum, et hoc est : *Dabit Dominus inimicos tuos*. Nona est cum tentatione proventus, et hoc est : *Per unam viam venient ad te*. Decima est spiritualis refectio, et hoc est : *Emittet Dominus benedictionem super cellaria*. Et hæc est duplex, de gratia contritionis, et hæc est : *Benedictio super cellaria* : et de labore satisfactionis, et hoc est : *Super opera manuum tuarum*. Undecima est cœlestium donorum multiplicatio, et hoc est : *Benedicetque tibi in terra quam acceperis*, unde Glossa : « Cœlestium multiplicatio donorum. » Duodecima est sanctorum associatio, et hoc est : *Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum*. Decima tertia est hostilis timoris incussio, et hoc est : *Videbunt omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te*. Decima quarta est temporalium et spiritualium successio, et hoc est : *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis*. Decima quinta est in subditis prosperatio, et hæc triplex, contemplativi, et hoc est : *Benedictus fructus ventris tui* : spirituales filii clerici, et hoc est : *Fructus jumentorum* : laici, et hoc est : *Fructus terræ*. Decima sexta est abundantia sapientiæ divinæ, et hoc est : *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum*. Decima septima est doctrinæ præeminentia, et hoc est : *Cœlum et pluviam terræ*, etc. Decima octava bonorum operum frequentia, et hoc est : *Benedicetque cunctis operibus manuum tuarum*. Decima nona est dignitatis excellentia, hæc et est triplex, et in dando et non accipiendo, et hoc est : *Tu fœnerabis gentibus multis* : in dominando et non serviendo, et hoc est : *Constituet te in caput, et non in caudam* : in regendo et non subessendo, et hoc est : *Supra, et non subter*.

Hujus benedictionis sufficientia sumitur in hunc modum : Benedictio Ecclesiæ est, vel quantum ad contemplationem, vel quantum ad actionem. Si ad actionem, vel est ordinata in bonum, vel contra malum. Si in bonum, vel est in bonum meriti, vel in bonum præmii. Si in bonum meriti, hoc est vel in operibus, vel in virtutibus. Si in operibus, vel in genere, vel in specie. Si in genere, vel est contemplatio, et hoc est : *Benedictus tu in civitate* : vel est actio, et hoc est : *Benedictus in agro*. Si in specie, vel est in se, vel in subditis. Si in se, vel est interius, vel est exterius. Si interius, sic est : *Benedictus fructus ventris tui*. Si exterius, sic est : *Fructus terræ*. Si autem est opus in subditis, vel est in laicis, et sic sunt jumenta : vel in clericis, et sic sunt armenta : vel in religiosis, et sic sunt caulæ ovium. Si autem est bonum meriti in virtutibus, vel in actu, et hoc est : *Horrea* : vel in habitu, et hæ sunt *reliquiæ*. Si autem est bonum præmii, vel est in bono, vel in malo. Si in bono, hoc est *ingrediens* : si in malo, sic est *egrediens* : unde Glossa : « De præsenti vita ad æternam. » Si autem est activa contra malum, sic est cum tentatione proventus, et hoc est : *Dabit Dominus inimicos tuos*. Si autem est benedictio pertinens ad contemplationem, vel hoc est quantum ad vitam, vel quantum ad doctrinam. Si quantum ad vitam, vel in se, vel respectu aliorum. Si in se, vel est delectabile ut spirituale gaudium, et hoc est, vel in habendo, vel in recipiendo, et hoc est : *Cellaria tua* : vel in agendo, et hoc est : *In operibus manuum tuarum*. Vel est utile ut multiplicatio bonorum, et hoc est : *Benedicta terra tua*. Vel, est honestum ut consortium bonorum, et hoc est : *Suscitabit te Dominus in populum sanctum*. Si autem est respectu aliorum,

hoc est vel respectu inimicorum, vel amicorum. Si respectu inimicorum, tunc est quod dicit : *Videbuntque omnes*. Si respectu amicorum, vel in se, vel in subditis. Si in se, hoc est : *Abundare te faciet Dominus*. Si in subditis, vel hoc est in religiosis, et hoc est : *Fructus ventris tui* : vel in clericis, et hoc est : *Fructus jumentorum tuorum* : vel in laicis, et hoc est : *Fructus terræ*. Si autem est pertinens ad doctrinam, vel est in cognoscendo, et sic est : *Aperiet Dominus thesaurum suum* : vel est in docendo, et hoc est : *Pluviam tribuat tibi*. Vel est in agendo, et hoc est tripliciter, in se, et hoc est : *Benedicet operibus manuum tuarum* : vel respectu aliorum, et tunc est, vel respectu dominorum, vel doctorum, vel prælatorum. De primo : *Fœnerabis gentibus multis* : de secundo : *In caput, et non in caudam* : de tertio : *Supra, et non subter*. Quasi diceret : Erit magister et non discipulus, dominus et non servus, prælatus et non subditus.

Qualiter autem istæ benedictiones conveniant beatissimæ Virgini, facile est videre. Gratiam enim contemplationis habuit in summo, quæ perfecte divinitatis et humanitatis sacramenta cognovit in via. In actione perfecta fuit : quia omnibus operibus meruit. Benedictum fructum ventris habuit : quia pura in summo mater corporaliter et spiritualiter fuit. Fructificationem in aliis præ omnibus aliis habuit : quia mater virginum omnium et omnium clericorum et omnium religiosorum per continentiam exstitit, imo quia omnium bonorum mater fuit. Item, frugalitatem virtutum in summo habuit : quia omnes virtutes viæ per modum patriæ habuit. Item, benedicta fuit ingrediens et egrediens : quia de hac vita sine dolore mortis migravit, et statim corpore et anima cœlum introivit. Item, tentationum victoriam in summo habuit : quia numquam in aliqua tentatione vel semel venialiter cecidit, ubi tamen justus non solum semel in die, sed septies cadit[1]. Item, tentationum habuit proventum, non quod humilior vel cautior surrexerit, sed quia adeo fortiter stetit, quod nec alicui tentationi in puncto minimo cessit. Item, summam refectionem habuit spiritualem, ut supra in materia de *beatitudinibus et fructibus* manifestum fuit. Item, cœlestium donorum multiplicationem in summo habuit : quia gratia plena fuit : unde Angelus : *Ave, gratia plena*. Item, sanctorum societatem in summo habuit : quia virginibus, viduis, conjugatis, activis, contemplativis, conformis fuit, et simul etiam omnium illorum proprietates in summo habuit, quæ angelicam et humanam vitam in summo habuit : unde, *In plenitudine sanctorum detentio mea*[2]. Item, in hostibus incussio in ipsa in summo fuit : quia terribilis ut castrorum acies ordinata fuit omnibus : nimirum quia caput antiqui serpentis contrivit, et nos de maxilla ejus extraxit. Item, temporalium et spiritualium successio in ipsa in summo fuit, quæ confidenter de se dicit : *In me gratia omnis viæ et veritatis : in me omnis spes vitæ et virtutis*[3]. Item, in filiis prosperatio in ipsa in summo fuit : quia Deum genuit et hominem, et omnem rationalem vel recreabilem creaturam recreavit. Item, abundantiam divinæ sapientiæ in summo habuit : quia nihil ignoravit. Item, doctrinæ præeminentiam in summo habuit : quia summæ doctrinæ doctrix fuit, scilicet disciplinæ Dei, et omnia nobis per Verbum increatum prædicavit. Item, bonorum operum frequentiam habuit : quia quolibet opere meruit. Item, dignitatis excellentiam habuit in summo : quia mater Dei, regina cœli, et regina misericordiæ exstitit.

Et sic patet qualiter omnes istæ benedictiones in benedictione beatissimæ Virginis sunt comprehensæ.

[1] Proverb. xxiv, 16.
[2] Eccli. xxiv, 16.
[3] Eccli. xxiv, 25.

QUÆSTIO CLXXXIV.

Qualiter comprehendat in se benedictiones datas filiis Israel a Moyse? Et primo, de benedictione Ruben.

Post hæc videndum est de benedictionibus datis filiis Israel a Moyse, sicut in Deuteronomio, xxxiii, 6 et seq., sunt comprehensæ.

Ait igitur ad Ruben : *Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero.* Ubi quatuor dicuntur de Ruben. Primum est, quod vivat per gratiam, et hoc est quod dicitur : *Vivat Ruben.* Secundum, quod non moriatur per peccatum, et hoc est : *Non moriatur.* Tertium est, quod *parvus sit in numero.* Quartum addit Glossa, quod maximus sit fide.

Et sufficientia hujus benedictionis sic sumitur : Benedictio vel est absolute, vel respective. Si absolute, vel est in malo, vel in bono. Si in bono, sic est : Vivat gratia. Si in malo, sic est : Et non moriatur per peccatum. Si respective, vel hoc est quia similem in bono non habeat, et hoc est, quod sit parvus in numero : vel quod alios excellat, et sic est : Maximus in fide.

Hæc omnia expressissime fuerunt in beatissima Virgine, in qua omnis gratia vitæ fuit. Item, quia numquam peccavit. Item, nec primam similem visa est nec habere sequentem. Item, quia fide et omnibus virtutibus omnes excellit.

QUÆSTIO CLXXXV

Qualiter comprehendat in se benedictionem Judæ?

Sequitur benedictio Judæ.

Hæc est Judæ benedictio : Audi, Domine, vocem Judæ, et ad populum suum introduc eum : manus ejus pugnabunt pro eo, et adjutor illius contra adversarios ejus erit[1].

In qua etiam quatuor ponuntur. Primum est precum exauditio, et hoc est : *Audi, Domine, vocem Judæ.* Secundum est ad populum introductio, et hoc est : *Ad populum suum introduc eum.* Tertium est sui ipsius defensio, et hoc est : *Manus ejus pugnabunt pro eo.* Quartum est aliorum protectio, et hoc est : *Adju-*

[1] Deuteron. xxxiii, 7.

tor illius contra adversarios ejus erit.

Et hujusmodi benedictionum sufficientia sumitur sic : Benedictio vel est ad bonum vel ad malum. Si ad bonum, vel est ad finem, et sic est precum exauditio : vel est ipse finis, et sic est ad populum introductio. Si autem est contra malum, vel sui, et sic est suiipsius defensio : vel aliorum, et sic est aliorum protectio.

Hæc autem omnia fuerunt in beatissima Virgine in summo, in qua fuit precum exauditio in summo. Nam, III Regum, II, 20, legitur ipsi dictum in persona Bethsabee : *Pete, mater mea : neque enim fas est ut avertam faciem tuam*, etc. Et in persona Esther dicitur ei, Esther, v, 6 : *Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Nam et illam Filius nihil negans honorat. Item, ad populum introductio ei convenit in summo : ipsa enim ut columna nubis populos in terram promissionis introducit, et ut stella maris dirigit, imo ut porta cœli introducit. Item, suiipsius defensio in ipsa in summo fuit : quia ab hoste nunquam læsa fuit. Item, adhuc suiipsius defensio in ipsa in summo fuit : quia alios sic defendit, quod in ipsa nec pugnam adversarius sumpsit, utpote in qua ipse hostis omnino exstinctus fuit. Item, aliorum protectio in ipsa in summo fuit : quia nos ab hoste protegit auxilio, ab ira Filii suffragio et exemplo.

Sic igitur patet qualiter beatissima Virgo habuit benedictionem Judæ.

QUÆSTIO CLXXXVI.

Qualiter comprehendat in se benedictionem Levi?

Sequitur, Deuteron. XXXIII, 8 et seq. : *Levi quoque ait : Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, et judicasti ad Aquas contradictionis. Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel : ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. Benedic, Domine, fortitudini ejus, et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus : et qui oderunt eum, non consurgant.*

In benedictione ista novem ponuntur. Primum est perfectio vitæ, ibi, *Perfectio tua.* Secundum est altitudo doctrinæ, ibi, *Et doctrina tua.* Tertium est Christi eductio, et hoc est : *Viro sancto tuo.* Quartum est omnium abnegatio, et hoc est : *Qui dixerit patri suo*, etc. Quintum, Præceptorum et consiliorum impletio, et hoc est : *Hi custodierunt eloquia tua*, etc. Sextum est pro aliis intercessio, et hoc est : *Ponent thymiama*, etc. Septimum est de passione glorificatio, et hoc est : *Benedic, Domine, fortitudini ejus.* Octavum est de operibus remuneratio, et hoc est : *Opera manuum illius suscipe.* Nonum est hostium destructio, et hoc est : *Percute dorsum inimicorum ejus.*

Hujusmodi sufficientia sumitur sic : Benedictio vel est pertinens ad meritum, vel ad præmium. Si ad meritum, vel est in essendo, vel in operatione. Si in es-

sendo, vel est in substantia, vel in efficientia. Si in substantia, vel est in se, et sic est vitæ perfectio : vel respectu aliorum, et sic est altitudo doctrinæ. Si in efficientia, sic est Christi eductio. Si autem est meritum in operando, vel est in se, vel in aliis. Si in se, vel est a malo, et sic est omnium abnegatio : vel est bonum, et sic est consiliorum et præceptorum impletio quæ sunt in utroque Testamento. Si autem est in operando in aliis, sic est pro aliis intercessio. Si autem pertinet ad præmium, vel est absolute, vel respective. Si absolute, sic est de passione glorificatio et de actione remuneratio. Si respective, sic est hostium destructio.

Qualiter autem hæc omnia fuerunt in beatissima Virgine, facile est videre : ipsa enim fuit perfectissima in vita, altissima in doctrina, qua totam legem scivit. Christum quoque de suo utero eduxit, qui ibi quadraginta septimanis sex diebus minus quievit. Item, omnia abnegavit et perfectissimam paupertatem in summo habuit, ut supra patuit. Item, præcepta et consilia in summo et ex charitate in summo implevit. Item, pro aliis intercessio in ipsa in summo fuit, quæ pro omnibus Dominum placavit, et adhuc pro nobis ipsi pectus offert et ubera ostendit. Item, quia post Filium summam passionem habuit, et summam de passione habuit glorificationem. Item, quia summas et nobilissimas actiones habuit, et summam habuit remunerationem. Item, quia sibi et omnibus nobis hostem vicit a quo numquam victa fuit, supremum de hoste triumphum reportavit.

Et sic patet qualiter beatissima Virgo habuit benedictionem Levi.

QUÆSTIO CLXXXVII.

Qualiter comprehendat in se benedictionem Benjamin?

SEQUITUR, Deuteron. XXXIII, 12 : *Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.*

In hac benedictione quatuor ponuntur. Primum est præ omnibus dilectio, et hoc est : *Benjamin amantissimus.* Secunda est secura habitatio, et hoc est : *Habitabit confidenter.* Tertium, divina inhabitatio, et hoc est : *Quasi in thalamo tota die morabitur.* Quartum est in operibus illius delectatio, et hoc est : *Inter humeros illius requiescet.*

Hujus benedictionis hæc est sufficientia. Vel enim est in se, vel respectu dilecti. Si in se, vel in bono, et sic est præ omnibus dilectio : vel est a malo, et sic est secura inhabitatio. Si respectu dilecti, vel est quantum ad substantiam, et sic est divina inhabitatio : vel quantum ad actum, et sic est in operibus delectatio.

Hæc omnia habuit beatissima Virgo, quæ super omnem pulchritudinem dilecta est a Domino, quæ securissima habitat in regali solio, in qua habitavit divinitas corporaliter, non tantum tota

die, sed novem mensibus, quæ mulier prudentissima in omnibus delectabat virum, id est, filium suum.

Et sic patet qualiter benedictionem Benjamin in summo habuit beata Virgo.

QUÆSTIO CLXXXVIII.

Qualiter comprehendat in se benedictionem Joseph?

Sequitur, Deuteron. xxxiii, 13 et seq. : *Joseph quoque ait : De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, et rore, atque abysso subjacente : de pomis fructuum solis et lunæ : de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum : et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus. Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem Nazaræi inter fratres suos.*

Benedictio Joseph in octo consistit. Primum est dulcedinis divinæ prægustatio, et hoc est : *De pomis cœli, et rore.* Ros in quantum illuminat intellectum, pomum inquantum reficit affectum. Secundum est in humanitate Christi delectatio, et hoc est : *Atque abysso subjacente.* Tertium in operibus Christi refectio, et hoc est : *De pomis fructuum solis.* Quartum est de gratiis Ecclesiæ jucundatio, et hoc est : *Et lunæ.* Quintum est de gratiis et virtutibus antiquorum patrum exsultatio, et hoc est : *De vertice antiquorum montium.* Sextum est modernorum perfectorum congratulatio, et hoc est : *De pomis collium æternorum.* Septimum est de gloria Ecclesiæ triumphantis exsultatio, et hoc est : *De frugibus terræ, et de plenitudine ejus.* Octavum est de gloria hominis Christi participatio, et hoc est : *Benedictio illius qui apparuit in rubo*, etc.

Hujusmodi benedictionis sufficientia sumitur in hunc modum : Vel est pertinens ad statum patriæ, vel ad statum viæ, vel est purgatio, vel est delectatio illorum quorum est purgatio. Si primo modo, vel est de capite, vel de membris. Si de capite, vel quantum ad substantiam, et sic est de humanitate Christi refectio. Si autem de membris, vel est in genere, et sic est de gratiis Ecclesiæ jucundatio : vel specialiter, et tunc vel sunt antiqui, sic est de virtutibus montium antiquorum exsultatio : vel sunt moderni, et tunc est perfectorum modernorum congratulatio. Si autem pertinet ad statum patriæ, vel est quantum ad membrum, et sic est de gloria triumphantis Ecclesiæ exsultatio : vel quantum ad caput, et sic est gloriæ Christi communicatio.

Hæc autem in summo habuit beatissima Virgo : quia summam habet divinæ dulcedinis non tantum prægustationem, sed etiam comestionem, quæ totum in se manna habuit et summam in Christi humanitate delectationem : quia summam ad ipsum habuit dilectionem. In operibus illius habuit refectionem : quia ludebat coram illo in orbe terrarum per singulos dies[1]. Item, de profectu Ecclesiæ summam habuit congratulationem : quia summam ad ipsam habuit charitatem. Item,

[1] Proverb. viii, 30 et 31.

summam de patrum sanctitate exsultationem, a quibus duxit originem et possederat perfectionem. Item, de profectu modernorum summam habuit congratulationem, quibus omnibus perfectionis ipsa fuit magistra et dux et exemplum. Item, de Ecclesiæ triumphantis gloria summe gaudebat, utpote illius imperatrix et regina. De gloria autem hominis Christi non partem, sed totum habebat, cum quo una in natura, simillima in gratia, in gloria, ipsum et suam gloriam plusquam se et suam dilexit.

Sic igitur constat manifeste beatissimam Virginem omnes benedictiones Joseph in summo habuisse.

QUÆSTIO CLXXXIX.

Qualiter comprehendat in se benedictionem Gad?

Sequitur, Deuteron. xxxiii, 20 et 21 : *Et Gad ait : Benedictus in latitudine Gad : quasi leo requievit, cepitque brachium, et verticem. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus : qui fuit cum principibus populi, et fecit justitias Domini, et judicium suum cum Israel.*

Benedictio Gad sex comprehendit. Primum est regni dilatatio, ibi, *Benedictus in latitudine Gad.* Secundum est per fortitudinem requies, ibi, *Quasi leo requievit.* Tertium est hostium subjectio, ibi, *Cepitque brachium.* Quartum est imperii adeptio, ibi, *Et verticem.* Quintum est principatus sui cognitio, ibi, *Et vidit principatum suum.* Sextum est doctoris apud eum repositio, ibi, *Quod in parte sua doctor esset repositus.*

Hæc autem est hujusmodi benedictionis sufficientia : Benedictio vel est ad proximum, vel ad seipsum, vel ad Deum. Si ad proximum, sic est regni dilatatio. Si ad seipsum, vel a malo, vel ad bonum. Si a malo, vel in se, et sic est requietio ; vel extra, et sic est hostium subjectio. Si ad bonum, vel est in habendo, et sic est imperii adeptio ; vel in cognoscendo, et sic est sui principatus cognitio. Si autem ad Deum, sic est doctoris apud se repositio.

Hæc quoque omnia in summo habuit beata Virgo. Regni dilatationem : quia a solis ortu et occasu beatam eam dicunt omnes generationes, quæ est regina cœli et mundi et Angelorum et hominum. In se requietionem habuit in summo : quia in ipsa fuit fomitis exstinctio. Hostium etiam subjectionem habuit in summo, ut jam pluries supra patuit. Item, summam imperii adeptionem habuit : quia super omnes choros Angelorum regina Angelorum et imperatrix misericordiæ exaltata fuit. Item, sui principatus cognitionem in summo habuit : quia super omnes choros Angelorum et puras creaturas exaltata, divinam operationem in se et gloriam plenius cognoscit. Unde confidenter dicit : *In me gratia omnis viæ et veritatis* [1]. Item, doctoris repositio apud ipsam fuit in summo : quia ille magistrorum optimus novem mensibus apud eam requievit positus in utero ejus.

Et sic patet, quod beatissima Virgo habuit benedictiones Gad in summo.

[1] Eccli. XXIV, 25.

QUÆSTIO CXC.

Qualiter comprehendat in se benedictionem Dan?

Sequitur, Deuteron. xxxiii, 22: *Dan quoque ait: Dan catulus leonis: fluet largiter de Basan.*

Benedictio Dan tria complectitur. Primum est humilitas, ibi, *Catulus.* Secundum est fortitudo, ibi, *Leonis.* Tertium est largitas, ibi, *Fluet largiter*, etc.

Et hoc modo eorum sufficientia sumitur: Benedictio vel est cordis, vel operis. Si cordis, sic est humilitas cordis. Si autem est operis, hæc est duplex, vel in se, et sic est fortitudo operis: vel in aliis, et sic est largitas muneris.

Hæc autem in summo habuit beatissima Virgo: quia ultra omnem creaturam humillima super omnes exaltata est. Item, mulier fortissima est: quia vicit mundum, Deum, et diabolum. Item, largissima fuit: quia Deo dedit mundum, et homini in mundo regnum cœlorum, et ipsum Deum.

Et sic patet, quod beata Virgo in summo habuit benedictionem Dan.

QUÆSTIO CXCI.

Qualiter comprehendat in se benedictionem Nephthali?

Sequitur, Deuteron. xxxiii, 23: *Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini: mare et meridiem possidebit.*

Benedictio Nephthali quatuor comprehendit. Primum est abundantia donorum spiritualium, ibi, *Abundantia perfruetur.* Secundum est plenitudo cœlestium donorum, ibi, *Plenus erit benedictionibus Domini.* Tertium est peccatorum conversio, et hoc est, *Mare.* Quartum est justorum conservatio, et hoc est, *Meridiem possidebit.*

Sufficientia horum est: Benedictio vel est in se, vel in aliis. Si in se, vel est benedictio quantum ad statum gloriæ, et sic est plenitudo cœlestium bonorum: vel est benedictio quantum ad statum gratiæ, et sic est abundantia donorum spiritualium. Si autem est benedictio respectu aliorum illi aut sunt mali, aut boni. Si mali, sic est peccatorum conversio. Si boni, sic est justorum conservatio.

Hæc autem beatissima Virgo habuit in summo: quia et gratia fuit

plena, et super omnes gloriosa. Item, peccatorum reconciliatrix et mediatrix. Item, omnium peccatorum salvatrix et justorum conservatrix. Sic quoque habuit benedictionem Nephthali.

QUÆSTIO CXCII.

Qualiter comprehendat in se benedictionem Aser?

Sequitur, Deuteron. xxxiii, 24 et 25 : *Aser quoque ait : Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum. Ferrum et æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.*

Benedictio Aser sex comprehendit. Primum est filiorum multiplicatio, et hoc est : *Benedictus in filiis Aser.* Secundum est fratrum dilectio, ibi, *Sit placens fratribus suis.* Tertium est misericordiæ abundantia, et hoc est : *Tingat in oleo pedem suum.* Quartum est incorruptibilis patientia, et hoc est : *Ferrum.* Quintum est sonora doctrina, et hoc est : *Et æs calceamentum ejus.* Sextum est in bono continuatio per perseverantiam, et hoc est : *Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.*

Sufficientia horum hæc est : Vel benedictio est respectu aliorum, vel in se. Si respectu aliorum, vel respectu inferiorum, et sic est filiorum multiplicatio : vel ad pares, et sic est fratrum dilectio : vel ad superiorem, Deum scilicet, et sic est abundantia misericordiæ per quod est imitatio Dei, juxta illud Lucæ, vi, 36 : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Si in se, vel est a malo, et sic est patientia : vel est ad bonum, et hoc vel est respectivum, et sic est doctrina : vel est absolutum, et sic est perseverantia.

Hæc autem omnia manifestissime habuit beata Virgo : quia omnium bonorum mater est : quia est plena charitate ad Deum et dilectione ad proximum. Regina misericordiæ est. Summam quoque patientiam et doctrinam et perseverantiam habuit, ut superius manifestum est in materia de virtutibus.

QUÆSTIO CXCIII.

Qualiter comprehendat in se omnes benedictiones simul?

Post hæc sequitur de omnibus benedictionibus simul : *Non est Deus alius ut Deus rectissimi : ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes, habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna. Ejicie-*

a facie tua inimicum, dicetque : Conterere. Habitabit Israel confidenter, et solus. Oculus Jacob in terra frumenti et vini, cœlique caligabunt rore. Beatus es tu, Israel? Quis similis tuis, popule, qui salvaris in Domino? Scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, et tu colla eorum calcabis[1].

Ista benedictio novem comprehendit. Primum est veri Dei cognitio in via, et hoc ibi, *Non est alius Deus ut Deus rectissimi.* Secundum est auxiliatio in via, et hoc ibi, *Ascensor cœli auxiliator tuus.* Et hæc auxiliatio est quadruplex. Apostolis Spiritum sanctum in terra mittendo, et hoc est : *Magnificentia ejus discurrunt nubes.* Item, ipse pro nobis in cœlis interpellando Patrem, et hoc est : *Habitaculum ejus sursum.* Unde Glossa : « Corpus a mortuis suscitavit, et in dextera Patris collocavit. » Item, gratiam prævenientem et cooperantem porrigendo, et hoc est : *Subter brachia sempiterna.* Item, hostem impedientem repellendo, et hoc est : *Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque* : *Conterere.* Hoc est ergo quadruplex auxilium. Tertium est timoris mali ablatio, et hoc est : *Habitabit Israël confidenter.* Quartum est cum securitate boni possessio, et hoc est : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini.* Quintum est perfecta Dei cognitio per speciem : et hoc est : *Cœli caligabunt rore* : unde Glossa : « Subtili et levissima Dei cognitione. » Sextum est summæ beatitudinis comprehensio, et hoc est : *Beatus es tu, Israël.* Septimum est omnis creaturæ prælatio, et hoc est : *Quis similis tui* ? Octavum est divina auxiliatio, et hoc est : *Scutum auxilii tui.* Et hæc auxiliatio est duplex, contra malum, et sic est *scutum auxilii tui* : vel ad bonum operandum, et sic est *gladius gloriæ tuæ.* Nonum est hostium subjectio, et hæc est duplex. Una, quod nos puniendo modo, nobis faciunt coronas in futuro, et hoc est : *Negabunt te inimici tui.* Glossa : « In præsenti vita. » Alia subjectio est : quia de eorum pœna in futuro nobis erit exsultatio, et hoc est : *Tu colla eorum calcabis.*

Sufficientia hujus benedictionis est hæc : Benedictio vel est pertinens ad statum viæ, in quo duo tantum sunt necessaria auxilia. Unum est verum Deum agnoscere, et hoc est primum. Secundum est auxilium per quod possumus ad ipsum ad æternam beatitudinem ascendere, et hoc est secundum. Si autem pertinet ad statum patriæ, vel hoc est quantum ad substantiale præmium, vel accidentale. Si substantiale, vel in se, et hoc est vel a malo, et sic est mali timoris ablatio : vel in bono, et hoc, vel in se, vel respective. Si in se, vel quantum ad præmium concupiscibilis, et sic est saturitatis possessio : vel quantum ad præmium rationalis, et sic est perfecta Dei cognitio : vel ad præmium irascibilis, et sic est beatitudinis comprehensio. Si autem est ad bonum respective, sic est creaturæ prælatio. Si autem sit in comparatione ad causam efficientem, sic est divina auxiliatio. Si autem pertinet ad præmium accidentale, sic est hostium subjectio, in qua duplex habemus gaudium, de nostra in præsenti passione, et de illorum in futuro condemnatione.

Hæc autem omnia beatissima Virgo possedit in summo : ipsa enim super omnem creaturam Deum cognoscit. Item, ipsa nobilissimo auxilio, utpote deliciis affluens, innixa super dilectum, ad cœlos corpore et anima ascendit. Item, ipsa immunissima timoris mali sub umbra dilecti requiescit. Item, ipsa a torrente voluptatis super omnes inebriata fuit. Item, perfectissimam divinitatis et humanitatis Christi cognitionem in summo habuit. Item, supremam post Deum benedictionem apprehendit. Item, super omnes purarum creaturarum ordines, utputa superior exaltata fuit. Item, divinum auxilium super omnes habuit, cum quo

[1] Deuteron. XXXIII, 26 et seq.

maxima et excellentia opera fecit. Item, inimicum non tantum in cœlo, sed etiam in terra conculcavit.

Sic igitur patet qualiter benedicta Virgo benedictiones singulorum singulariter, et universorum universaliter, singulas et universas possedit in summo.

QUÆSTIO CXCIV.

An congrue addita sunt hæc verba : Et benedictus fructus ventris tui ?

SEQUITUR de eo quod addit Elisabeth : *Et benedictus fructus ventris tui*[1].

1. De quo primo quæritur, quare inter hoc et præcedens intercidat copulatio, cum tamen in prædictis nulla sit posita copulatio ?

2. Item, Cum ista salutatio sit in textu Evangelii, et Evangelio nihil sit licitum demi vel apponi, ut prohibetur sub anathemate in fine Apocalypsis et Deuteronomii[2], quare etiam Ecclesia hoc apponit ?

3. Item, Aut fuit apponendum, aut non. Si fuit, ergo Angelus omisit male qui non apposuit. Si autem non apponendum fuerit : ergo Ecclesia male apposuit.

4. Item, Elisabeth licet illud apposuerit, non tamen illi conjunxit : quare tunc Ecclesia conjungit ?

5. Item, Quare Elisabeth mutavit verba Evangelii, dicendo : *Inter mulieres*, cum tamen Angelus dixit : *In mulieribus* ?

6. Item, Cum Deus trinitas sit hic mittens et salutans, et benedictissima Virgo sit salutata, hoc quod est, *benedictus fructus ventris tui*, non videtur pertinere ad salutationem, nec ad personam salutatam, nec ad salutantem : ergo ponitur ibi superflue.

7. Item, Bernardus : « Non ideo benedictus quia tu benedicta. » Ergo cum causa naturaliter præcedat effectum, debuisset sic ordinasse : Benedictus fructus ventris tui, et benedicta tu in mulieribus[3].

QUÆSTIO CXCV.

Quid importat hoc : Benedictus fructus ventris tui, et in quo differat ab aliis in salutatione præmissis ?

POST HOC quæritur, quid importat significando hoc quod est : *Benedictus fructus ventris tui*, et in quo differat ab aliis in salutatione præmissis ?

[1] Luc. I, 42.
[2] Apocal. XXII, 18 et 19 ; Deuter. [illegible]
[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXCVII.

1. Videtur enim includi in eo quod est *gratia plena*, sicut consequens includitur in antecedente : si enim gratia plena fuit : ergo fructus ventris tui benedictus fuit.

2. Item, Videtur includi in eo quod est : *Benedicta tu in mulieribus* : causa enim intelligitur in suo effectu : sed est benedicta in mulieribus, quia benedictum fructum ventris produxit.

3. Item, Videtur male apponi : quia quando Angelus salutationem dixit, adhuc fructus ejus non fuit benedictus : quare igitur Ecclesia hoc annectit ?

4. Item, Cum major sit laus specialis quam generalis, et magis sit speciale Filius quam fructus, omnis enim filius fructus, et non e contra, debuisset dixisse : Filius ventris tui, non fructus.

5. Item, Cum non tantum de ventre, sed de toto corpore substantia Filii formata fuit, debuisset dixisse : Filius corporis tui.

6. Item, Cum Filius non sit tantum filius corporis, vel etiam tantum animæ, sed conjuncti, debuisset dixisse : Filius tuus, tangendo conjunctum sine partium declaratione.

7. Item, Quæritur, utrum benedictio ista qua dicitur : *Benedictus fructus ventris tui*, sit ejusdem rationis cum illa de qua dictum est : *Benedicta tu in mulieribus* ? Et videtur, quod sic : quia una est causa alterius : ergo oportet, quod sit secundum univocationem.

Sed contra hoc est, quod

1. Benedictio illa de qua dicitur : *Benedicta tu in mulieribus*, dicitur benedictio per exclusionem maledictionis : ista autem benedictio : *Benedictus fructus ventris tui*, numquam fuit maledicibilis : ergo non potest dici *benedictus* per exclusionem maledictionis : ergo oportet, quod secundum aliam rationem.

2. Item, Benedictissima dicitur benedicta in mulieribus propter fœcunditatem : sed fructus ventris benedictus non habuit fœcunditatem : ergo non unius, sed alterius modi habuit benedictionem : ergo non sumitur utrobique secundum eamdem rationem.

3 Item, Benedictissima dicitur benedicta, et determinatur respectu cujus, scilicet in mulieribus : quare igitur non similiter dicitur : Benedictus fructus ventris tui cum determinatione respectu cujus sit benedictus ?

4. Item, Si dicatur, quod absolute dicitur *benedictus* : quia est benedictus super omnia et in omnibus, secundum hoc quoque beatissima non deberet tantum dici benedicta tu in mulieribus, cum sua benedictio ad plus se extendat : et sic deberet dici : Benedicta tu in creaturis omnibus, et non tantum in mulieribus [1].

QUÆSTIO CXCVI.

An benedictio fructus contineat in se benedictiones omnium, et maxime si habeat benedictiones omnium quæ sunt in benedictionibus matris suæ comprehensæ ?

Post hæc quæritur, An benedictio fructus contineat in se benedictiones omnium, et maxime si habeat benedictiones omnium quæ sunt in benedictionibus matris suæ comprehensæ ?

Et videtur, quod non :

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXCVII.

1. Dominus enim non habuit benedictionem conjugatorum, quibus dictum est : *Crescite, et multiplicamini* [1], etc. Dominus enim hujusmodi multiplicationem corporalem non habuit, nec generatione terram implevit.

2. Item, Luc. I, 14 : *Et erit gaudium tibi et exsultatio.* Glossa : « Monentur parentes non minus gratias agere pro ortu sanctorum filiorum, quam pro meritis » Non enim parvum munus Dei est dare liberos propagatores generis, successionis hæredes. Jacob in generatione duodecim filiorum gaudet, Abrahæ filius datur, Zacharias exauditur. Divinum igitur munus est fecunditas parentis. Agant igitur patres gratias, quia genuerunt : filii, quia generati : matres, quia honorantur præmiis conjugii. Stipendia militiæ suæ filii sunt. Dominus autem illud munus, illud præmium, illud stipendium non habuit : quia corporaliter non genuit : ergo non omne bonum, vel omnium benedictionem benedictus fructus in se possidebat.

3. Item, Benedictus fructus ventris benedictum fructum ventris non habuit : quia nullum fructum ventris habuit : ergo aliqua benedictione caruit.

4. Item, Luc. X, 42 : *Maria optimam partem elegit.* Bona est pars conjugatorum, melior viduarum, optima virginum : sed Dominus non habuit bonum conjugatorum, nec viduarum : ergo nec benedictiones omnium.

5. Item, Augustinus dicit, quod cœlibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahæ [2]. Ergo utrumque bonum : ergo ambo simul melius bonum : sed Dominus Jesus habuit tantum alterum : ergo non habuit omne bonum creatum.

6. Item, In femina est gratia, quod est virgo et mater : ergo in viro debuit esse gratia, quod esset virgo et pater : sed hoc non habuit.

7. Item, Bonum est esse virginem, bonum est esse matrem : ergo utrumque simul melius est.

8. Item, Domina mater est carnalis et spiritualis : et filius est tantum pater spiritualis, et non carnalis : ergo ipsa plus habet.

9. Item, Bonum est esse patrem carnalem, bonum est esse patrem spiritualem : ergo utrumque simul esse est melius.

10. Item, Ipse non est pater Dei, nec Patris, nec Filii, nec Spiritus sancti : sed Domina est mater Dei : ergo ipse non habet totum bonum quod habet mater.

Item, Quæritur de singulis privilegiis suis, qualiter a Filio excellatur in illis ?

CONTRA prædicta objicitur in hunc modum :

1. Quidquid boni est in creaturis, est in homine : sed quidquid boni fuit in homine, fuit in Domino nostro JESU CHRISTO : ergo quidquid boni fuit in creaturis, fuit in Christo.

2. Item, Superiores habent proprietates inferiorum cum excellentia.

3. Item, Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Item, ibidem, v. 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum.*

4. Item, Damascenus : « Accepit primitias nostræ naturæ [1]. »

5. Item, Joan. III, 34 : *Non ad mensuram* dedit ei *Deus spiritum.* Item, Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

6. Item, Ad Roman. XI, 36 : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.*

7. Item, Anselmus : « Deus est, quo nihil melius excogitari potest [2]. »

8. Item, Damascenus : « Sive secundum virtutem, sive secundum sapientiam, sive tempus, sive locum deficiat a per-

[1] Genes. I, 28 ; cap. IX, 1.

[2] S. Augustinus, Lib. de Bono conjugali, cap. XXI.

[1] S. J. Damascenus, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 18.

[2] S. Anselmus, In prologio, cap. 2.

fectione, Deus non est [1]. » Ergo quidquid boni est in creaturis, est in ipso quod est Deus.

9. Item, Jacobi, I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum*, etc.

10. Item. Quod in omnibus privilegiis ipsam matrem antecedat, patet. Primum fuit, quod ipsa numquam peccavit : ipse autem nec in peccatis conceptus fuit. Secundum fuit, quod ipsa peccare non potuit : et si ipsa creatura pura peccare non potuit, quanto minus creator. Augustinus in libro XV de *Trinitate* : « Magna est potentia Dei nec peccare nec mentiri posse. » Tertium fuit, quod ipsa in omni actu liberi arbitrii merebatur : ipse autem omni bono in ipsa conceptione dignus fuit, et postea quolibet actu nobis meruit. Quartum fuit puritas in summo : sed ipsa habuit puritatem receptivam, ipse autem dativam habuit : ipsa in summo pura fuit ad modum aeris, ipse autem ad modum solis. Quintum fuit, quod ipsa fuit Virgo virginum : ipse autem virgo virginis filius : et plus est esse virginem virginis filium, quam virginem matrem virginum. Sextum fuit, quod erat mater virgo per generationem : ipse autem pater virgo per creationem : et nobilior est creatio quam generatio, et actus creatoris quam actus creaturæ. Septimum fuit, quod ipsa fuit mater omnium : ipse autem est pater omnium : et majus est esse patrem quam matrem. Item, ipse genuit verbo, illa autem facto : et plus est et primæ generationi similius generare verbo quam facto. Octavum fuit, quod ipsa nullius habuit ignorantiam : ipse autem omnium habuit scientiam. Nonum est, quod ipsa est stella maris : ipse autem est lux mundi. Decimum est, quod ipsa est porta cœli : ipse autem est ostium in quo est porta. Undecimum est, quod ipsa communicationem passionis habuit per compassionem : ipse autem ipsam passionem habuit. Duodecimum est, quod ipsa est super choros Angelorum exaltata : ipse autem nomen habet quod est super omne nomen. Tertium decimum est, quod ipsa est mater misericordiæ : ipse autem est pater misericordiarum et rex gloriæ [2].

QUÆSTIO CXCVII.

Quare salutatio angelica tantum habuerit decem dictiones, et non plures, vel pauciores ?

Ad plenariam intelligentiam prædictorum, quæritur de sufficientia horum et differentia, quæ ponuntur in salutatione ista.

Et quæritur primo de numero dictionum, quare tantum habuerit decem dictiones, et non plures vel pauciores ?

Item, Quæritur quare tantum quatuor sententiæ ponantur in ipsa ?

Item, Quare sententiæ sibi ita succe-

[1] S. J. Damascenus, Lib. I de Fide orthodoxa, cap. 5.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CXCVII.

dant progressive, ita quod prima habeat unam dictionem, secunda duas, tertia tres, quarta quatuor.

Item, Secundum additionem Elisabeth, quinque sunt dictiones, et una est sententia.

Item, Quid significat, quod hic ponitur denarius, qui est numerus triangularis ex omni parte, et quaternarius qui est triangularis a base in communi.

Item, Similiter sunt decem et quinque, sed tunc oportet quinque poni pro base.

Solutio. Ad objecta prima solventes dicimus, quod sufficientia salutationum sumitur hoc modo : In illa salutatione annuntiatur beatissimæ Virgini perfectissima habitudo, et per ipsam et in ipsa toti humano generi. Perfectio autem beatissimæ Virginis, vel est quantum ad substantiam, vel quantum ad causam, vel quantum ad efficientiam. Si quantum ad substantiam, vel est a malo, et sic est : *Ave* : vel est ad bonum, et sic est : *Gratia plena*. Si quantum ad causam, sic est : *Dominus tecum*. Si autem quantum ad efficientiam, vel est immediata, et sic est : *Benedicta tu in mulieribus* : vel mediata, et sic est : *Benedictus fructus ventris tui*.

Ad aliud dicimus, quod per decem verba significatur decalogi impletio. In quatuor sententiis significatur in Evangeliis consiliorum superadditio. Et per hæc duo fit nobis perfectæ salutis annuntiatio. Item, decem verba in quatuor sententiis, est lex in quatuor Evangeliis. Item, gradualis processio significat, quod in via non est perfecta legis impletio, sed tantum initiatio. Item, denarius triangularis signat legis nobilitatem, quaternarius Evangelii æternitatem : et uterque est numerus imperfectus : sed denarius in duobus, quatuor autem in uno. Sic et Evangelium habet perfectionem viæ, sed non patriæ : et ita unum sibi deest. Denarius autem legis deficit in duobus : quia nec habet quidem perfectionem viæ, nec patriæ. Item, quatuor cum omnibus suis partibus facit denarium : et lex materialiter tota est in Evangelio. Item, denarius est numerus triangularis ex omni parte, et quatuor in communi : quia per firmitatem legis et Evangelii recte impleti pervenitur ad unum, de quo dicitur : *Unam petii a Domino*[1]. Item, secundum additionem Elisabeth denarius dictionum significat decalogum, quaternarius sententiarum significat Evangelium, additio Elisabeth doctrinam Apostolorum.

Et hæc omnia figurantur in salutatione beatissimæ Virginis divinitus missa : in ipsa enim fuit legis et Evangelii impletio, et in ipsa fuit utriusque expositio, per ipsam unius cum altero conjunctio. Item, unius in alterum reductio. Item, per ipsam virtutum consummatio. Item, per ipsam sanctitatis progressio. Item, per ipsam ad Deum ascensio. Nobis autem per legem veterem et novam et ipsam, æternæ salutationis nuntiatio et salutis ipsa productio.

Notanda ad solutionem Quæst. CXCIV, CXCV, CXCVI et CXCVII.

His visis, videndum est ad ea quæ de fructus benedictione sunt objecta.

Notandum igitur, quod de benedictione illa possumus loqui secundum tres vias. Primo, quantum ad significationem. Secundo, quantum ad suppositionem. Tertio, quantum ad substantiam. Quantum ad significationem, utrum scilicet benedictio unam habuit significationem, vel plures ? Et si plures, secundum quam hic sumatur ? Vel, si omnis ratio benedictionis salvetur in ista benedictione ? Quantum ad suppositionem, ut si scilicet benedictio sit communis ad plura, pro qua sumatur hic, et utrum pro om-

[1] Psal. xxvi, 4.

nibus suis suppositis? Quantum ad suam substantiam, ex quibus et quantis integratur ista benedictio?

Quantum igitur ad significationem benedictio quatuor habet in se significata, quorum omnium ratio salvatur in ista benedictione. Est enim benedictio maledicti evacuatio, et est benedictio omnis boni possessio, et est benedictio fœcunditatis exaltatio, et est benedictio congratulantium collaudatio. Et quælibet istarum triplex. Est enim benedictio triplicis maledicti evacuatio: inciderat enim homo per peccatum triplex maledictum. Primum est punctio fomitis. Secundum est labor inveniendæ veritatis. Tertium est necessitas incinerationis. Primum intelligitur per hoc: *Cum operatus fueris terram* [1], etc. Secundum per id quod dicitur: *In sudore vultus tui*, etc. Tertium per id, *Pulvis es, et in pulverem reverteris* [2]. Istius triplicis maledicti evacuatio fuit in isto fructu benedicto. Primum: quia puncturam fomitis non habuit. Secundum: quia omnia scivit. Tertium: quia corruptionem non vidit. Secunda benedictio fuit omnis boni possessio, et hæc triplex fuit. Habuit enim bonitatem humanæ naturæ in summo. Item, bonitatem divinæ naturæ in summo. Item, bonitatem quæ est ex conjunctione utriusque habuit: et sic omne bonum possedit in summo. Tertia benedictio fuit fœcunditatis superexaltatio, et hæc quoque triplex fuit. Fuit enim pater per creationem in esse naturæ, per recreationem in esse gratiæ, per glorificationem in esse gloriæ. Quarta benedictio fuit congratulantium collaudatio, et hæc triplex, scilicet Angelorum, hominum, et corporum. Omnes hi benedicunt ipsam: quia genuit Angelorum restauratorem, redemptorem hominum, corporalium renovatorem.

Quantum ad suppositionem tria habet appellata, et pro omnibus illis reddetur locutio vera: est enim fructus benedictio naturæ, benedictio gratiæ, benedictio gloriæ. Et quolibet istorum tripliciter. Benedictio naturæ tripliciter: habuit enim corpus benedictum, animam benedictam, deitatem benedictam. Corpus fuit benedictum tripliciter: in materia, in forma, in harmonia. In materia: quia purum in forma: quia pulchrum in harmonia: quia eucraticum. Pulchrum etiam fuit tripliciter: in congruentia quantitatis, in elegantia dispositionis, in venustate colorum: et sic est in statura, figura, et colore. Item, anima fuit benedicta in se, et in comparatione. In se dupliciter: a malo, et in bono. A malo tripliciter: a peccato, a fomite, ab ignorantia. Item, in bono tripliciter: omnium naturarum naturali conditione, politicarum virtutum perfectione, suprema naturali Dei dilectione. In comparatione benedicta fuit dupliciter: ad Deum, et ad corpus. Ad Deum summa imagine et similitudine, ad corpus sine contrarietate. Item, benedictam tripliciter habuit deitatem: benedictam in seipsa, benedictam in operibus suis, benedictam in donis suis. Item, habuit benedictionem gratiæ, et hanc quoque triplicem, increatam cum Patre, creatam cum matre, conjunctam propter utrumque. Cum Patre triplicem gratiam habuit a patre, quod est Deus, quod est Dei Filius, quod est spirator Spiritus sancti. Cum matre quoque triplicem habuit gratiam. Unam: quia omnem gratiam habuit. Secundam: quia omnem dedit gratiam. Tertiam, quod dedit ultra id quod habuit. Dedit enim gratiam, virtutem, remissionem peccatorum quam non habuit. Unde spiritus in Eliseo duplex fuit. Item, ex conjunctione propter utrumque triplicem habuit gratiam. Unam, quod Filius plurium fuit. Secundam, quod redemptor hominum fuit. Tertiam, quod beatitudo hominum est. Et quodlibet istorum tripliciter est: quia enim Filius plurium fuit, ex hoc sequitur triplex gratia. Mater enim sua habuit patrem et matrem, sed non Deum.

[1] Genes. IV, 12.

[2] Genes. III, 19.

Pater suus nec habuit patrem nec matrem nec Deum nec hominem : ipse autem habuit patrem et matrem, et Deum et hominem. Quia redemptor hominum fuit, ex hoc habuit tria, quia sponsus animarum, sacerdos fidelium, judex vivorum et mortuorum. Quod beatitudo hominum fuit, ex hoc etiam habuit tria, quia est beatitudo Angelorum, hominum, et corporalium. Item, benedictionem gloriæ similiter habuit triplicem : habuit enim gloriam comprehensoris, gloriam creatoris, gloriam redemptoris. Et quælibet istarum triplex. Comprehensoris triplex : summam aureolam in summo : super omnes aureolas in summo : accidentalia præmia in summo. Item, primo est homo viator et non comprehensor, postea comprehensor et non viator, ipse autem non aliquando viator : aliquando comprehensor, sed simul viator et comprehensor. Item, viatorum doctor, comprehensorum coronator, viatorum et comprehensorum adunator. Item, gloria redemptoris triplex fuit, quia hominum liberator, dæmonum superator, naturæ exaltator. Item, gloria creationis triplex fuit : misericordia in sanctis, justitia in damnatis, gloriosus in seipso. Item, habuit gloriam creatoris, justificatoris, glorificatoris.

Si autem consideretur benedictio ista quantum ad partes integrales : tunc est benedictio vel quantum ad essentiam, vel quantum ad principium. Iste fructus benedictus triplicem habuit originem : habuit benedictam Trinitatem per creationem, benedictam matrem per nativitatem, benedictum patrem quantum ad generationem. Quantum ad essentiam benedictus fuit tripliciter secundum Bernardum : odore, sapore, specie. Odore implens cognoscitivam in quantum verum, sapore reficiens affectivam in quantum bonum, specie beatificans comprehensivam in quantum summum fuit et arduum. Addamus et nos odori et sapori speciei valorem : valet enim in medicamentum contra omne malum, in cibum habentem omne delectamentum, in pretium comparans omne bonum. Item, quantum ad efficientiam duplex est benedictio, activa scilicet, et passiva. Activa tripliciter : quia benedixit nos in esse naturæ, gloriæ, et gratiæ. Unde, Psal. LXVI, 7 : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* [1]. Item, benedixit nos benedictione corporali, spirituali, et cœlesti. Passiva tripliciter : quia nos benedicimus eum corde : unde, Psal. CII, 1 : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt*, etc. Benedicimus eum ore : unde, Psal. XXXIII, 2 : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Benedicimus eum opere : unde, Psal. LXII, 5 : *Benedicam Dominum in vita mea*.

Solutio prædictarum quæstionum.

His visis, respondemus ad objecta :

Quod igitur quæritur de copulatione, dicendum quod hic ponitur copulatio, quæ continet alterius finem et alterius inceptionem ad angelicam salutationem et ad personam Filii pertinentem : et etiam ut notet inter Filii benedictionem et matris dilectionem aliquam : quamvis tamen secundum allegoriam ad aliam pertineant rationem : ipsa enim est benedicta per benedictionem fructus : unde sua benedictio descendit a benedictione Filii.

Item, Angelus non addidit : *Benedictus fructus ventris tui* : quia nondum fructus ejus fuit fructus ventris, sed ipsum quasi promissum in hoc quod dicit : *Benedicta tu in mulieribus*, fructum comprehendit : Ecclesia autem quia sibi exhibitus et beatissimæ Virgini commendatus, apposuit. Ordo patet ex sufficientia.

[1] Genes. III, 19.

Item, Quare non dixerit : Filius ventris : quia filius communis est ad spiritualem et carnalem generationem, fructus autem plus determinat carnalem generationem, et maxime cum hac determinatione, *ventris*, qui est locus generationis carnalis. Propter quod etiam non dicit, corporis, sed *ventris*, ut veritas generationis plus exprimeretur, et falsitas hæretica plus sopiretur.

Item, Quare non determinavit respectu cujus esset benedictus. Dicimus, quod secundum omnem significationem, et secundum omnem suppositionem, et secundum omnem partem, et omni modo et in omnibus benedictus fuit, et ejus benedictio per nihil specificum coarctari potuit. Benedictio quoque beatissimæ Virginis per hoc quod dicitur, *in mulieribus*, non restringitur : sed causa et origo omnis benedictionis monstratur.

Concedimus etiam, quod Dominus noster Jesus Christus habuit omnes dignitates matris suæ, vel in se, vel in æquipollenti excellentissimo congruenti. Habuit igitur benedictionem conjugalem : quia sponsus fuit universalis Ecclesiæ. Item, virgo fuit et pater : quia verbo veritatis generavit, et ex aqua et spiritu ex matre Ecclesia omnes regeneravit. Item, sicut ipsa mater Dei, ita et ipse fuit Filius Dei : et plus est esse Filium Dei, quam matrem Dei, Item, plus est esse Filium Virginis, quam esse Virginem virginum : quia si ipse Christus esset Virgo virginum, sequeretur quod ipsa mater sua non esset virgo. Item, plus est esse benedictum fructum ventris, quam habere fructum ventris.

Concedimus etiam, quod a Filio suo in omnibus privilegiis suis antecellitur : nec in hoc laus matris suæ diminuitur, sed exaltatur in eo quod non tantum genuit sibi filium coæqualem, sed infinitum meliorem. Quod etiam ex hac parte quodammodo infinitat bonitatem matris : omnis enim arbor ex fructu cognoscitur proprio : unde si bonitas fructus bonificat arborem, infinita bonitas in fructu adhuc ostendit infinitam in arbore bonitatem.

QUÆSTIO CXCVIII.

Quare turbata fuerit B. Virgo?

Sequitur : *Quæ cum audisset, turbata est* [1].

Quæritur igitur, quare turbata fuerit beatissima Virgo?

Et videtur primo, quod

1. De angelica visione : et hoc probatur a simili. Luc. I, 11 et 12, de Zacharia : *Apparuit illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum*. Ergo ex visione angelica est turbatio et timor.

2. Item, Gregorius : « O in quantam miseriam cecidimus, quia etiam bonos Angelos formidamus ! »

3. Item, Super jam dictum textum

[1] Luc. I, 29.

Lucæ, Glossa : « Sicut humani defectus est terreri, ita angelicæ benignitatis est paventem de suo adspectu blandiendo consolari. » Ergo pavor est de Angelorum adspectu.

4. Item, Luc. II, 9 : *Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Domini circumfulsit illos.* Et sequitur : *Timuerunt timore magno.*

5. Item, Matth. XXVIII, 3, dicitur, quod *adspectus* Angeli *erat sicut fulgur.* Et dicitur post : *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes.* Ergo ex visione Angeli est timor et turbatio.

6. Item, Judicum, XIII, 6 : *Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum terribilem nimis.* Ergo ex visione vultus Angeli est terror.

Contra objicitur :

1. Luc. I, 29 : *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus*, id est, Angeli : ergo non in visione.

2. Item, *Alii datur discretio spirituum* [1], ut dictum est supra. Ergo turbatur non ex visione.

3. Item, Ipsa Angelos cognovit per speciem.

4. Item, Aut cognovit, et non fuit turbata : aut non cognovit, et sic fuisset dubia, quod est ridiculosum dicere.

5. Item, Abraham, Lot, Josue, et alii patres Veteris Testamenti viderunt Angelos : nec fuerunt turbati : ergo nec ipsa : quia a nullo illustrium vincitur.

Sed si propter hoc dicitur, quod fuit turbata in sermone, Contra :

1. Turbatio est a malo et a contrario : sed in isto sermone nihil erat mali, vel contrarium : ergo de isto sermone non turbatur.

2. Item, Nec nuntiatio est aliqua ad ipsam contrarietas : ergo nec per illum, nec per nuntium turbatur.

3. Item, Comminatio est causa turbationis : ergo consolatio est causa exsultationis.

Item, Ex prudentia novæ salutationis formam miratur : videtur igitur, quod ista turbatio fuerit ex admiratione. Quæritur igitur, si fuerit turbatio admirationis ?

Et videtur, quod non. Legitur de sancto Augustino, quia non satiabatur altitudinem divini consilii considerare præ dulcedine mirabili super salute generis humani : ergo illa admiratio est bona : ergo non est prohibenda. Sed istam turbationem removet Angelus Domini dicens : *Ne timeas, Maria* [2] : ergo ista turbatio non fuit admirationis. Vel dicitur, quod fuerit dubitationis. Contra hoc dicit Ambrosius : « Conturbatur : quia nesciebat si præteritum an futurum esset quod Angelus dixit. » Item, Bernardus dicit : « Dubiam confirmat. »

Sed si propter hoc dicatur esse turbatio dubitationis. Contra hoc dicit Glossa in hunc modum : « Cum Sara risit in promissione filii, et in promissione Dei Maria dixit : *Quomodo fiet istud*, cur non fuit utraque muta facta sicut Zacharias ? Quia Sara et Maria non dubitant faciendum quod promittitur, sed quærunt modum. » Ergo hic nulla fuit turbatio dubitationis [1].

[1] I ad Corinth. XII, 10.
[2] Luc. I, 30.

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. CCIV.

QUÆSTIO CXCIX.

Utrum convenienter dicatur : Et cogitabat ?

Post hæc quæritur de hoc quod dicit : *Et cogitabat* [1].

Et objicitur in hunc modum :

1. Cogitatio est decursus rationis de uno oppositorum super reliquum : unde dicitur cogitatio quasi coagitatio : sed ubi fluctuatio est de uno oppositorum super reliquum, ibi est dubitatio : ergo videtur, quod hic fuerit dubitatio.

2. Item, Bernardus : « Sciebat prudens virgo, quod sæpe Angelus satanæ transfigurat se in Angelum lucis ; et quia nimirum humilis et simplex erat, nihil tale penitus a sancto Angelo sperabat, et ideo cogitabat qualis esset ista salutatio. Tunc Angelus intuitus Virginem, et varias eum secum volvere cogitationes facillime deprehendens, pavidam consolatur, confirmat dubiam [2]. » Ergo videtur, quod hæc cogitatio fuit per modum dubitationis.

3. Item, Ibidem, Bernardus : « Solent virgines quæ vere virgines sunt, semper pavidæ et numquam esse securæ, et ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, et nimis arduum esse vivere angelice inter homines, et in terris more cœlestium conversari, et in carne cœlibem agere vitam. Ac proinde quidquid novum, quidquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se existimant machinatum. Idcirco et Maria turbata est. » Ex hac auctoritate igitur iterum videtur, quod turbatio et cogitatio fuit causa timoris et dubitationis [3].

QUÆSTIO CC.

Cum hic dicitur : Ne timeas, cur hujusmodi timor hic removeatur?

Deinde sequitur : *Ne timeas* [4].

Et quæritur, Cur hujusmodi timor hic removeatur?

Et videtur, quod nullus hic vere possit removeri : quia

1. Ut Damascenus dicit [5], timor divi-

[1] Luc. I, 29.

[2] S. Bernardus, Homilia 3 super Missus est.

[3] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. CCIV.

[4] Luc. I, 30.

[5] S. J. Damascenus, Lib. II de Fide orthodoxa, cap. 15.

ditur in sex, in cunctationem, verecundiam, erubescentiam, in stuporem, terrorem et agoniam. Cunctatio est timor futuræ operationis. Ille non fuit hic : quia ei nihil nuntiatur operandum. Verecundia est timor ex exspectatione convicii. Et ille quoque non est hic. Erubescentia est timor ex re turpi perpetrata. Et de hoc nihil hic. Stupor est timor ex magna imaginatione. Contra illam non est necessaria consolatio, ut dictum est. Terror est timor ex imaginatione inconsueti mali. Hic autem nihil de imaginationibus agebatur. Agonia autem est timor casus et infortunii : timentes enim in operatione infortunari, agonizamur. Hic quoque de infortunio vel casu nihil. Ergo non fuit agonia : et sic nullus timor : et sic frusta removetur timor, ubi nullus est timor.

2. Item, Si stuporis timor, ille non prohibetur.

3. Item, Non est timor nisi contra malum : quia nihil timetur timore removibili nisi culpa vel pœna.

4. Item, Perfectis nulla timenda est pœna : ergo frustra : unde, Act. v, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes*, etc.

5. Item, Laus plus excitat ad amorem quam ad timorem : ergo cum nihil præcessit nisi quod fuit de laude, nullus debuit timor ei removeri.

Sed contra. Glossa : « Ex verecundia pavet. » Item, alia Glossa : « Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affectus vereri : ergo videtur, quod ex verecundia timuit [1]. »

QUÆSTIO CCI.

Utrum B. Virgo habuerit verecundiam?

Post hæc quæritur de verecundia. Utrum beatissima Virgo habuit verecundiam?

Et videtur, quod sic.

1. Glossa : « Ex verecundia pavet. » Item, alia Glossa : « Elisabeth ex culpa erubuit, Maria de verecundia : in muliere enim modus adhibetur, in virgine gratia pudoris augetur. »

2. Item, Eccli. xxvi, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.*

3. Item, Pudore bono repletus Dei famulus stupri nefas prohibuit.

4. Item, Jerem. iii, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Et hoc est malum. Ergo verecundia est bonum.

5. Item, Eccli. xxiii, 6 : *Animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me.*

6. Item, Eccli. iv, 25 : *Est confusio adducens gloriam.*

7. Item, Damascenus de verecundia dicit : « Optima est hæc passio [2]. » Item,

[1] S. Ambrosius, Lib. II super Lucam, cap. 2. Pro solutione objectionum hujus quæstionis vide infra post Quæst. CCIV.

[2] S. J. Damascenus, Lib. II, de Fide orthodoxa, cap. 15.

De erubescentia dicit, quia non est sine spe salutis. Item, Erubescentia res salutifera est. Ex his omnibus patet, quod erubescentia est bonum et verecundia. Ergo ipsam habuit beata Virgo, cui nullum defuit bonum cujus pura creatura capax fuit.

Sed contra :

1. Damascenus dicit : « Erubescentia est timor ex re turpi perpetrata. » Sed nihil fuit turpe in beatissima Virgine. Ergo nec erubescentia.

2. Item, Adam non habuit verecundiam ante peccatum : sed post viderunt, quia nudi erant, et fecerunt sibi perizomata.

3. Item, Qui non quærit sibi gloriam, non sentit contumeliam, ut dicit Hieronymus : sed humillima Virgo nullam quæsivit gloriam : ergo non sensit contumeliam : ergo non habuit verecundiam : sed summe fuit humilis : ergo voluit vilis reputari [1].

QUÆSTIO CCII.

Utrum Deus ipse habuerit verecundiam?

Juxta hoc quæritur de Deo, Utrum ipse habuit verecundiam ?

Et videtur, quod non : quia

1. Dicit Damascenus [2], quod ea assumpsit quæ in natura nostra plantavit : sed verecundiam non plantavit : ergo non habuit verecundiam.

2. Item, Verecundia est sequela peccati : ergo non habuit eam.

Sed contra :

1. Passio hæc est meritoria : ergo est bona : ergo habuit eam.

2. Item, Ipsa est naturalis : ergo, etc.

3. Item, Omnia assumpsit præter peccatum et ignorantiam : sed verecundia neutrum horum est : ergo habuit verecundiam.

4. Item, Psal. xliii, 16 : *Verecundia mea contra me est.* Item, Psal. lxviii, 8 : *Quoniam propter te sustinui opprobrium.* Item, Psal. lxviii, 20 : *Tu scis improperium meum, et confusionem meam*, etc. Has auctoritates exponit Glossa de Deo : ergo habuit verecundiam [3].

QUÆSTIO CCIII.

Cum dicitur : Invenisti gratiam, quid sit gratiam invenire?

Post hæc quæritur de hoc quod dicitur : *Invenisti enim gratiam* [4].

Et quæritur, Quid sit gratiam invenire ? Si hoc est gratiam recuperare : hoc

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. CCIV.

[2] S. J. Damascenus, Lib. III de Fide orthodoxa, cap. 20.

[3] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. CCIV.

[4] Luc. i, 30.

autem est multis commune. Item, si hoc est perditum primo recuperare, tunc beata Virgo gratiam non invenit : sed Adam et Heva eam primo recuperaverunt. Item, si invenire est prius in ratione invenire, secundum hoc primus homo gratiam invenit.

Quæritur igitur, Utrum beatissima Virgo meruit fieri mater Dei ?

Et videtur, quod sic : quia

1. Dicit Augustinus : « Tuo singulari merito mundo succurristi perdito. »

2. Item, Propter virtutes gratuitas est proprie meritum : sed dicit Augustinus, quia sola humilitas genuit Deum nobis.

3. Item, Bernardus dicit, quod corpus Christi et anima et divinitas tria sunt sata, quæ miscuit mulier Evangelica [1], et quod fermentum est fides Virginis : ergo mediante fide facta est mater Dei : sed a fide est meritum : ergo meruit fieri mater Dei.

4. Item, Elisabeth ad ipsam, Luc. i, 45 : *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te*, etc.

5. Item, Propter credere est beata : ergo merito fidei est beatificata.

6. Item, Majus est habere gloriam æternam, quam esse matrem Dei : sed illud potest homo mereri : ergo et istud. Si dicatur, quod de congruo, sed non de condigno, hoc nihil dictum est : quia vitam æternam non meretur quis de condigno : quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis* [2],etc : nullum enim temporale digne valet æternum.

7. Item, Augustinus : « In Isaac facta est repromissio, et precibus sanctorum juvanda est Dei præfinitio. » Ergo si precibus potest obtineri gratia gratum faciens, multo fortius gratia gratis data.

8. Item, Augustinus dicit, quod beatior est concipiens fide quam carne [3]. Ergo si per virtutes gratuitas est alicui mereri gratiam fidei, etiam per virtutes potest mereri fieri mater Dei.

9. Item, Luc. i, 13 : *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua*. Ergo oratione meruit, quod Elisabeth fuit mater. Sed dicit Glossa, quod Elisabeth quæ est Dei mei saturitas, signat Mariam, quæ plena fuit. Obtentum igitur et significatum potuit merito obtineri vel potest merito obtineri [1].

QUÆSTIO CCIV.

Utrum bene addantur hæc verba : Apud Deum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit : *Apud Deum* [2]. Solet enim præpositio *apud* in tribus significationibus reperiri : quandoque enim signat æqualitatem essentiæ, ut illud Joannis, i, 1 : *Verbum erat apud Deum*. Quandoque situs æqualitatem, secundum quod opponitur ad supra vel infra : unde dicitur, III Regum, ii, 19 : *Positus est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus*. Juxta hunc

[1] Cf. Matth. xiii, 33, et Luc. xiii, 21.

[2] Ad Roman. viii, 18.

[3] S. Augustinus, Lib. de Sancta virginitate, cap. 3.

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. CCIV.

[2] Luc. i, 30.

modum dicitur mater Jesus et discipulus quem diligebat Jesus stare juxta crucem [1]. Quandoque *apud* vel juxta dicitur respective, secundum quem modum dicuntur aliæ mulieres stare juxta crucem, non juxta crucem absolute, sed respectu turbæ quæ longius stabat : unde et dicuntur a *longe stare* respectu matris et discipuli, qui prope stabant sive juxta. Medium enim in comparatione est inter duo extrema.

Quæritur igitur, quo istorum modorum hic sumatur ?

Et videtur, quod ultimo : ipsa enim invenit gratiam propinquiorem quam aliqua alia creatura, non tamen simpliciter æqualis situs potuit esse cum Deo : impossibile enim est in situ vel in aliquo creaturam æquari Deo : oportet ergo si dicitur quoad aliquid esse apud Deum, quod hoc sit respectu aliarum creaturarum.

Quod autem secundo modo sumatur, videtur : quia proprium est reginæ apud regem esse, juxta illud Psalmi XLIV, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis.* Unde etiam mulier facta fuit de latere viri [2]. Similiter etiam matris proprium est esse apud filium, juxta illud, *Positus est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus* [3].

Item, Quod etiam primo modo hoc sumi possit, videtur. Una est majestas regia a qua rex est rex et regina regina : ergo coæquantur illa : ergo *apud* potest dicere æqualitatem in illa. Vel, sicut dicitur filius esse apud patrem propter identitatem naturæ, sic etiam dici potest esse apud filium propter identitatem naturæ in qua unum est cum matre, sicut et alia natura unum est cum patre. Et sic potest ibi sumi primo modo *apud*.

Item, Quæritur quæ sit differentia inter *apud* et *coram*, secundum quod in aliis reperitur, quod invenerunt gratiam coram Domino, vel in oculis ejus [4] : et, Utrum gratiam habere apud Deum proprium possit esse Virginis gloriosæ ?

Responsio ad Quæstiones CC, CCI, etc.

Ad prædicta solvendo dicimus, quod beata Virgo commemorans præteritam humilitatem, et admirans præsentis salutationis sublimitatem, speransque futuræ impletionis veritatem, quæ cum audisset humiliter, diligenter, prudenter, reverenter, lætanter, credendo, sperando, turbatur, admirans Dei potentiam, sapientiam, misericordiam, charitatem, veritatem, humilitatem, nuntii dignitatem, salutationis novitatem, rerum immensitatem, sui parvitatem, propter cautelæ timorem, propter verecundiam virginalem, cogitabat lecta dictis comparando, Hevæ deceptionem recordando, locutionis præcipitium fugiendo, consuetudinem meditationis exhibendo, usum prudentiæ exercendo, modum responsionis ordinando, se fallibilem recognoscendo, nos ad prudentiam invitando. Cogitabat, inquam, qualis, quam admirabilis, quam venerabilis, quam salubris, quam sublimis, quam subtilis, quam familiaris, quam generalis, quam specialis esset ista salutatio. Ista dico, a Deo Patre dictata, a Filio scripta, a Spiritu sancto nuntiata, ab Angelo portata. Ista, inquam, salutatio, quæ fuit salutis operatio, inchoatio, portatio, perfectio, augmentatio, confirmatio, perpetuatio. Cui Angelus : Ne timeas regis magnitudinem, tui parvitatem, sermonis falsitatem, rerum incomprehensibilitatem, sententiæ ambiguitatem, promissi protractionem, salutis amissionem, retenti diminutionem. Ne timeas, inquam : quia invenisti, non creasti ut Deus, non semper habuisti ut Filius tuus, non rapuisti ut primus Ange-

[1] Joan. XIX, 25.
[2] Genes. II, 21 et seq.
[3] III Regum, II, 19.
[4] Cf. Genes. VI, 8 ; Eccli. III, 20 et alibi.

lus, non perdidisti ut primus parens, non emisti ut Simon magus : sed invenisti, quia quæsivisti ubi fuit ut virgo prudentissima, non abscondisti ut doctrix fidelissima, sed reddidisti ut mater mundissima. Invenisti enim, inquam, Dei miserantis charitate, promittentis veritate, hominis necessitate, tui ad hoc idoneitate. Invenisti, inquam, gratiam increatam, et in illa et cum illa omnem creatam. Venerunt enim tibi omnia bona pariter cum illa[1]. Creatam autem spiritualem et corporalem : spiritualem generalem, specialem, singularem : generalem summitatem omnium quæ singulariter fuerunt in aliis, specialem summitatem charitatis, singularem summitatem quæ comprehensa est duodecim privilegiis. Corporalem similiter generalem, specialem, singularem : generalem corporis resurrectionem, specialem virginitatis integritatem, singularem virginalis uteri fœcunditatem. Hæc autem omnia invenisti apud Deum. *Apud* dico propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate, naturæ unitate : et hoc apud Deum creatorem, recreatorem, justificatorem, glorificatorem.

His visis et intellectis, patet solutio ad objecta.

Concedimus enim, quod beata Virgo in sermone salutatorio, laudabilissimo, consolatorio, instructorio, credibili, delectabili, utili, honorabili, admirabili : sermone, inquam, quem veritas misit, qui a veritate numquam recessit, qui falli non potuit, nec fallere voluit : in isto, inquam, sermone fuit beata Virgo omnifariam mirata, in sensu per verecundiam virginalem de Angelica visione in specie viri, in ratione per timorem cautelæ de deceptione, in intellectu per laudes annuntiationis de promissorum et nuntiatorum magnitudine in sermone.

Patet etiam, quod non est turbatio tantum de malo, sed etiam de magno. Item, non est timor tantum mali, sed etiam magni. Unde, Damascenus : « Stupor est timor ex magna imaginatione : terror vero, timor ex imaginatione inconsueti mali. »

Patet igitur qualis fuerit turbatio, qualis cogitatio, qualis timor, qualis salutatio, qualis et quæ gratia quam invenit. Invenit autem : quia humano generi perditam primo recuperavit. Hoc Abraham non fecit nec Adam. Ideo per ipsam omnes gratiam rehabuerunt, ut patet in privilegio, *mater omnium*, et privilegio, *porta cœli*.

Concedimus etiam, quod *apud* ibi potest sumi quolibet illorum trium modorum, sicut dictum est in opponendo.

QUÆSTIO CCV.

Cum dicitur : Ecce concipies, de quo facta sit conceptio tamquam de causa efficiente per appropriationem ?

Sequitur : *Ecce concipies*[2].

De conceptione primo quæritur, de quo facta sit conceptio tamquam de causa efficiente per appropriationem ?

[1] Sapient. vii, 11.

[2] Luc. i, 31.

Et videtur, quod de Patre :

1. Conceptio enim fuit de generante : Patris autem solius proprium est generare : ergo si alicui debet appropriari, debet appropriari personæ Patris.

2. Item, Generatio temporalis imago est generationis æternæ : sed illa est de Patre : ergo et ista.

3. Item, Idem est nobis filium dare quod generatio temporalis : sed ista datio est a Patre : ergo et conceptio.

Quod autem Filio debet appropriari, sic probatur :

1. Triplex est opus, creatio, recreatio, et glorificatio : sed creatio appropriatur Patri, glorificatio Spiritui sancto : ergo et recreatio Filio.

2. Item, Ab illo dicitur fieri conceptio qui agit et remanet in generato : sed hoc fuit tantum in persona Filii : ergo ei tantum convenit conceptio.

3. Item, Exinanivit seipsum : sed hoc fuit in conceptione : ergo conceptio fuit ab ipso.

Quod autem de Spiritu sancto debeat fieri ista conceptio, patet

1. Per Evangelium ubi sic dicitur : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*[1].

2. Item, Ista conceptio est summæ benignitatis : ergo debet appropriari Spiritui sancto.

3. Item, In Evangelio Nazaræorum dicitur, quod descendit super eum fons omnis spiritus, et dixit : *Hic est filius meus dilectus*[2].

Juxta hoc quæritur, Utrum Spiritus sanctus sit pater illius concepti ?

Et videtur, quod sic : quidquid enim est ab alio operante ut causa efficiente, illud est mater, et illud est pater : sed beata Virgo est mater Dei, et concepit filium de Spiritu sancto : ergo sicut ipsa est mater, ita Spiritus sanctus est pater[3].

QUÆSTIO CCVI.

De quo tamquam de materia facta sit ista conceptio ?

Post hæc quæritur, de quo tamquam de materia facta sit ista conceptio ?

Et videtur, quod de carne : quia

1. Dicit Augustinus, quod de carne beatissimæ Virginis carnem sibi assumpsit.

2. Item, In momento facta est ista formatio et unio corporis cum anima : ergo cum vicinior sit caro ad corpus quam sit sanguis, videtur quod de carne conceptus sit.

3. Item, De illo assumpsit corpus quod descendit de Adam : sed sanguis non descendit de Adam : ergo non assumpsit de sanguine. Probatio mediæ. Dicit Philosophus : « Sanguis est ultimum nutrimentum in habentibus sanguinem : » ergo sanguis est de cibo : ergo non de-

[1] Matth. i, 18.
[2] Matth. iii, 17 ; II Petri, i, 17 ; Luc. ix, 35.
[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXIII.

scendit de Adam : ergo non assumpsit de sanguine.

Contra :

1. Damascenus : « Ex castis semper Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali et intellectuali sustentavit[1]. »

2. Item, Sanguis potentia est totum corpus : caro autem non est potentia totum corpus : ergo non potuit accipere de carne. Ita etiam est in aliis hominibus, quod corpus eorum coagulatur de sanguine matris et non carne.

Istis rationibus consentiunt quidam et dicunt, quod tantum de sanguinibus conceptus sit, et ubi auctoritates dicunt ipsum conceptum de carne, dicunt ibi sumi carnem pro sanguine : et dicunt, quod quamvis de cibo sit sanguis et materialiter non descenderit ab Adam, in ipso tamen fuit virtus generativa et nutritiva, quæ non secundum esse, sed secundum originem fuit in Adam.

Contra hos objicitur in hunc modum: Secundum philosophiam naturalem, ad conservationem individui et salvationem speciei ponuntur quatuor digestiones. Prima digestio est in ore, quam probant ex eo quod aliquam operationem et effectum plus habet res masticata quam non masticata. Secunda fit in stomacho, ubi segregatur subtile a grosso : et constat, quod adhuc neutrum est pars corporis. Tertia fit in hepate, ubi fit ulterior segregatio puri ab impuro : et constat, quod adhuc neutrum est unitum corporis, vel pars corporis. Quarta fit in membris, ubi transmittitur totum purum magis proprium : et illud ad membra transmissum, tria facit. Primum est, quod nutrit et salvat substantiam suscipientis, restaurando deperditum continuæ defectionis, quæ est ex calore naturali agente in suam materiam. Secundum est, quod eamdem substantiam etiam augmentat et deducit usque ad debitam quantitatem si est citra. Tertium est, quod illud quod his duabus actionibus superfluum est, transmittit ad viam generationis, et fit semen, quod est superfluitas quartæ digestionis.

Modo quæro de illo superfluo : quia aut tantum de illo fit decisio, vel non tantum de illo. Si tantum de illo : sed illud numquam fuit corpus generantis, nec pars corporis : quia in fine quartæ digestionis primo convertitur in corpus si est necessarium, vel transmittitur in generationem si est superfluum : ergo si tantum de illo est propagatio, non est essentialis propagatio : quia nec anima de anima, nec corpus de corpore. Item, superfluum numquam fuit unitum massæ corruptæ, ex cujus conjunctione contrahitur originale : ergo ille generator prius non habuit originale. Item, secundum hoc nihil esset in Christo quod secundum esse fuit in Adam : ergo non descendit ab Adam secundum corpulentam substantiam, quod expresse est contra Augustinum. Item, si dicatur ab ipso descendisse, non quod aliquid sui fuerit in ipso secundum esse, sed tantum secundum originem animæ vegetabilis et nutritivæ quæ est in potentia in semine : ergo potius deberet dici descendisse a prima planta, vel a primo animali, in quo primam habuit originem anima nutritiva vel vegetabilis. Item, cum anima vegetabilis et sensitiva una substantia sint cum rationali in homine, et illa nullam habuit originem ab Adam: ergo nec secundum animam vegetativam et nutritivam illo modo dicetur Dominus descendisse ad Adam. Si diceretur, quod in semine est virtus animæ vegetabilis, et non in anima : hoc nihil est : virtus enim non est sine substantia cujus est virtus. Item, ponamus quod homo tantum comedat hominem, et inde fiat propagatio. Quæritur, in quo resurget caro comesti, sive in generante, sive in propagato, sive in comesto ? Si in propagato : ergo nihil habet comestus

[1] S. J. Damascenus, Lib. III de Fide orthodoxa, cap. 2.

in quo resurgat. Si autem resurgat in comesto : ergo nihil propagatus habet in quo resurgat, cum non acceperit corpus nisi de comesto : ergo de necessitate oporteret, quod non resurgat nisi unus homo, vel quod propagatio non fieret de nutrimento : ergo non tantum de semine quod est ultimum quartæ digestionis. Et ideo ex hac positione sequi videtur, quod non sit essentialis propagatio. Si autem in generante : ergo nihil habet comestus in quo resurgat. Item, sequitur, quod non sit peccati originalis contractio. Item, quod Dominus non descenderit secundum corpulentam substantiam ab Adam. Item, quod non sit omnium rerum necessaria resurrectio. Item, Damascenus : « Ex Patris beneplacito et cooperatione Spiritus sancti tribuit creatori creari, et plasmatori plasmari, et Filio Dei et Deo incarnari et humanari ex castis et non coinquinatis ejus carnibus et sanguinibus, primæ matris explens debitum [1]. » Ecce expresse dicit, quod ex carnibus et sanguinibus : non igitur tantum ex sanguine beatæ Virginis [2].

QUÆSTIO CCVII.

Quis modus concipiendi ?

Post hæc quæritur de modo concipiendi. Et videtur, quod fuerit creatio.

1. Dominus non est seminans, sed per Spiritum sanctum creans : ergo fuit creatio.

2. Item, Cum duplex sit principium, movens scilicet et mutans, et mutatio et creatio sit opus solius primi, et illud quod immediate exit a primo principio, est creatio : sed conceptio ista immediate fuit a Deo : ergo fuit creatio.

3. Item, Quidquid fit subito, non est motus, sed creatio, vel mutatio : sed ista conceptio facta fuit subito : ergo fuit creatio.

4. Item, Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum* : sed illa conceptio fuit circumdatio : ergo conceptio fuit creatio : ergo, etc. [3].

QUÆSTIO CCVIII.

Utrum hæc conceptio fuerit immediate a virtute creata, vel increata ?

Juxta hoc quæritur, Utrum hæc conceptio fuerit immediate a virtute creata vel increata ?

Et videtur, quod a creata : quia, dicit Damascenus, quod Spiritus sanctus descendit in ipsam, dans ei virtutem suscep-

[1] S. Joannes Damascenus, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 15.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXIII.

[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXIII.

tivam simul et generativam [1] : sed generativa est quæ active generat : ergo videtur, quod immediate sit generatus a virtute beatissimæ Virginis.

Præterea quæritur. Quid sit dare virtutem generativam ad actum in ipsa? Aut enim hoc est quia ipsa sola habuerit ad hoc virtutem generativam : et sic sequitur, quod prius sit genitus a virtute creata simpliciter. Aut hoc ex virtute Spiritus sancti et virtute generativa beatæ Virginis simul conceptum efficere : et sic videtur esse commixtio virtutum, quod est hæresis : ergo non dedit ei virtutem generativam. Item, si data fuerit ei virtus generativa : ergo actus non est miraculosus : si enim cæco dantur oculi, non est miraculum si postea videat.

CONTRA hoc objicitur : Conjungere ea quæ sunt infinitæ distantiæ, est virtutis et potentiæ infinitæ : ejusdem autem virtutis est operari conceptionem et unionem quæ simul fiunt in uno : sed in unione Dei et hominis substantiæ infinitæ distantiæ sunt conjunctæ : ergo hoc fuit a virtute infinita : ergo non fuit virtus creata : nulla enim creatura infinita est [2].

QUÆSTIO CCIX.

Quanto tempore Dominus fuerit in utero ?

DEINDE quæritur. Quanto tempore Dominus fuerit in utero ?

1. Et dicit Augustinus in libro IV de *Trinitate* [3], quod novem mensibus et sex diebus, secundum quod dicitur in Joanne, II, 20 : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc*. Hoc est contra Jeremiam, Jerem. XXXI, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum*. Ergo statim in conceptione fuit vir : ergo quadraginta dies et ipsi sex dies fuerunt superflui, qui aliis sunt necessarii : ergo prius nasci debuit et minus esse in utero quam alii.

2. Præterea, Quæ necessitas fuit, quod corpus in conceptione statim unitum et formatum fuit, cum non sic sit in aliis, etiam si non esset peccatum ?

3. Item, Utrumque potuit fieri operatione Spiritus sancti, et quod statim esset perfectum, et quod quadraginta et sex diebus : ergo cum ipse nostram naturam assumpserit, etiam modum assumendi naturalem et communem observare debuit.

4. Item, Christus est secundus Adam, ut dicit Apostolus, I ad Corinth. XV, 45 : ergo debuit in eadem perfectione esse in qua primus homo Adam fuit in perfectione corporis : ille autem perfectionem corporis non accepit per incrementa.

5. Item, Deuteron. XXXII, 4 : *Dei perfecta sunt opera* : sed illa conceptio fuit immediate opus Dei : ergo debuit in perfectum corpus terminari [4].

[1] S. J. Damascenus, Lib. III de Fide orthodoxa, cap. 2.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXIII.

[3] S. Augustinus, Lib. IV de Trinitate, cap. 5, et Tract. 10 super Joannem, et Lib. LXXXIII Quæstionum, Quæst. [illegible].

[4] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXIII.

QUÆSTIO CCX.

Qualiter fuit egressus ex utero?

Post hæc quæritur de partu, qualiter fuit egressus ex utero, cum corpus non transeat per corpus grossum nisi dividendo?

1. Ad hoc quidam dixerunt, quod Dominus divisim et successive assumpsit quatuor dotes corporis, scilicet subtilitatem in egressione de utero, agilitatem ambulando super aquas, claritatem in transfiguratione, impassibilitatem in cœna. Sed contra : De veritate naturæ ipse habuit corpus grossum et materiale sicut competit naturæ nostræ nascenti : ergo si nascendo aliud assumpsit, hoc fuit falsitatis et fictionis.

2. Item, Secundum hoc egressio de utero non fuit miraculosa, sicut post resurrectionem non fuit miraculosum, quod intravit januis clausis, quando habuit subtilitatem corporis gloriosi.

3. Item, Dionysius in libro de *Divinis nominibus* : « Ignoramus quomodo ex virgineis sanguinibus altera præter naturam lege compositus est, et quomodo siccis pedibus corporale pondus habentibus et materiæ gravitatem ambulavit humida et instabili substantia [1]. » Manifestum est igitur, quod omnia fiebant per miraculum [2].

QUÆSTIO CCXI.

Utrum B. Virgo in conceptione habuerit dolorem, vel aliquam delectationem?

Juxta hoc quæritur, Utrum beatissima Virgo in conceptione habuit dolorem, vel aliquam delectationem?

Quod dolorem habuit, videtur : quia ibi fuit divisio et dissolutio continui : ergo dolor.

Contra :

1. Quod ibi fuerit delectatio, videtur : quia producere de se simile est naturale : ergo est delectabile.

3. Item, In statu innocentiæ in conceptione fuisset delectatio.

[1] S. Dionysius, Lib. de Divinis nominibus, cap. 2.

[2] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXIII.

2. Item, Delectatio illa est naturalis, et non est majorata per peccatum, sed minorata : ergo major fuit in statu innocentiæ quam illa quæ est modo cum libidine : sed illa conceptio est similis illi cum immunitate peccati et libidinis : ergo major debet esse delectatio sine libidine quam illa quæ est cum libidine.

4. Item, Natura nobilior nobiliores habet operationes et etiam delectationes : sed natura non corrupta est nobilior quam corrupta : ergo etiam nobilior est ejus delectatio : ergo et illius etiam quæ illi magis similis.

5. Item, Beatissima Virgo maximam habuit delectationem in essendo mater Dei : ergo in fiendo [1].

QUÆSTIO CCXII.

Utrum aliquam gravitatem habuerit B. Virgo in portando?

Quærendum etiam dignum esse videtur, Utrum aliquam gravitatem habuerit beata Virgo in portando?

Et videtur, quod sic :

1. Grossum et grave additum corpori grosso et gravi, necessario trahit ipsum secundum suam inclinationem deorsum, et sic gravat necessario aliquantulum.

2. Item, Hoc non videtur repugnare beatitudini beatæ Virginis, sed magis est ad meritum, cum gravari sit pœnale : unde, II Machab. vii, 27, mater quædam ad memoriam revocat filio suo, quæ et quanta sustinuerit pro ipso in utero. Videtur igitur, quod beata Virgo debuit gravari in portando.

Sed contra :

1. In statu ante peccatum non fuisset hujusmodi gravitas in portatione : ergo nec in ista portatione cujus conceptio fuit sine peccato.

2. Item, Hoc est pure naturale : ergo non fuit pœnale.

3. Item, Habere in se et apud se dilectum non est pœnale, sed delectabile : ergo beata Virgo non habuit gravitatem in portando [2].

QUÆSTIO CCXIII.

Utrum habuerit dolorem, vel delectationem in pariendo?

Post hæc quæritur, Utrum habuerit dolorem vel delectationem in pariendo?

Et videtur, quod dolorem : quia ex conjunctione quæ facta fuit in con-

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXIII.

[2] Ibidem.

ceptione, fuit delectatio : ergo in divisione quæ facta est in partu, est dolor.

Contra :

1. Peperit sine dolore.

2 Item, Isa. lxvi, 7 : *Antequam parturiret, peperit.*

3 Item, Ante partum tantum reficiebatur secundum intellectum et tactum, nunc autem secundum intellectum et omnem sensum : ergo modo majorata est sua delectatio [1].

Responsio ad Quæstiones CCV, CCVI, etc.

Ad prædicta secundum ordinem solvendo dicimus, quod hæc conceptio est opus Trinitatis, appropriabile tantum Spiritui sancto rationibus assignatis. Patri autem congruit generatio quæ est in identitate substantiæ : omnis enim pater generat in identitate naturæ suæ, ut Deus Deum, homo hominem.

Item, Generatio temporalis quamvis habeat cum æterna convenientiam remotam, non tamen propinquam : in ista enim temporali est differentia ejusdem naturæ et essentiæ secundum speciem inter matrem et filium : in æterna autem non est differentia ejusdem naturæ et essentiæ inter patrem et filium : unde hoc non appropriatur Patri, sed Spiritui sancto cujus est donorum distributio.

Item, Non est idem Filium dare et incarnationem facere : quia posset Filium dare non existentem in carne, ut dicit Augustinus in libro quarto de *Trinitate.* Item, cum recreatio et glorificatio habeant se ad invicem sicut causa ad causatum, sicut unum appropriatur Spiritui sancto, ita et reliquum. Item, generatum efficere est dupliciter, per modum efficientis, et per modum materialis. Primum istorum habet rationem patris.

Unde autem materialiter facta sit ista conceptio, dicimus cum Damasceno, quod non tantum de sanguine, sed et de sanguinibus et carnibus beatissimæ Virginis. Et dicimus, quod duplex est humiditas sive sanguis in corpore. Una nutrimentalis, quæ venit a cibo : et hæc non est corpus vel corporis pars, sed potest bene uniri et pars fieri, vel transmitti ad generationem corporis alterius. Præter hanc est ibi humiditas substantialis, quæ est actualiter in omnibus membris, et est pars essentialis corporis, vel essentialibus partibus generantibus conjuncta, vel per nutrimentum in corpus conversa, et illi unita. Et ex his utrisque fit decisio vel propagatio. Et hoc est quod subtiliter tangit Philosophus in libro de *Anima,* dicens quod humiditas est generationis factivum. Et hoc duobus modis. Uno modo : quia ex superfluitate ipsius in ultima digestione fit pars seminis et rei generatæ. Alio modo : quia per alimentum membra suscipiunt completam quantitatem et substantiam, ut possint ex ipsis descindere essentialiorem et veriorem partem seminis et rei generatæ : alias si nutrimentum tantum esset materia seminis et non factivum, non bene diceret Philosophus factivum, quod dicit potentiam activam. Nunc autem est nutrimentum et materia seminis quantum ad majorem partem ipsius seminis, et est causa efficiens et conferens membris complementum ad descindendum de se partem seminis essentialiorem et veriorem.

Item, Idem tangit Damascenus, dicendo in uno loco ex sanguinibus, et non ex sanguine : in alio dicit expresse ex purissimis carnibus et sanguinibus. Idem tangit Joannes, i, 13, qui dicit : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,* dicendo *sanguinibus* pluraliter, et *voluntate* singulariter. Unde Philosophus etiam et non Catholicus diceret, quod omnes homines naturaliter fuissent in Adam, et corpus ejus

[1] Pro solutione objectorum, vide immediate infra.

continuum fuisset divisibile in semper divisibilia, et numquam fuisset status divisionis ex parte rei divisæ : et sic homo comestus habet pro veritate humanæ naturæ illud quod contraxit in sua conceptione a parentibus : reliquum autem quod postmodum sibi per nutrimentum et ante animationem vel post est unitum, cedet tertio : et sic quilibet habet suam propriam humanæ naturæ veritatem.

Ad aliud dicendum, quod ista conceptio fuit per modum generationis et non creationis. Nec Damascenus dicit hic creans, quamvis, Magister hoc dicat in *Sententiis* [1] : sed dicit non spermatice, non seminaliter, sed conditive per Spiritum sanctum. Et alia translatio habet *crealiter*, quasi diceret, quamvis non sit pure creatio, est tamen illa proprietas et similitudo creationis : quia facta fuit subito et immediate a Deo qui non indiget materia.

Concedimus etiam, quod Dominus fuerit in utero ducentis septuaginta quinque diebus, hoc est, triginta novem septimanis, et duobus diebus. Et congruentissimum et perfectissimum tempus est, quo secundum ordinem naturæ non errantis nec deficientis, partum congruit esse in utero post animæ infusionem.

Nec debet Dominus concipi perfectione corporali, quod esset contra modum humanæ nativitatis, sed perfectione spirituali. Sed primo Adæ de terra nato congruebat perfectio corporalis, secundo cœlesti Adæ congruebat perfectio spiritualis : et hoc intelligitur per *virum* cum dicitur : *Fœmina circumdabit virum* [2]. Item, sine dotis assumptione exivit clauso utero supernaturaliter nascendo.

Concepit etiam Virgo beatissima sine dolore, cum summa spiritus delectatione, et etiam cum delectatione summa naturali : sed naturalis fuit ibi materialis, spiritualis vero formalis, sicut ipsa conceptio fuit Spiritu sancto tantum operante, et natura operationem suscipiente. Nec dissolutio continui est dolor, nisi fiat a principio extra agente per violentiam : et hoc non fuit hic.

Idem dicimus de partu per omnia.

De portatione dicimus, quod fuit sine gravedine secundum proprietatem status innocentiæ : sicut corpus proprium proprie non gravat, sic naturaliter corpus matris et Filii ante partum fuit quasi unum corpus : unde secundum naturam non est unum aptum natum alterum gravare.

QUÆSTIO CCXIV.

Utrum convenienter dicatur : In utero ?

Post hæc quæritur de hoc quod dicit, *In utero* ?

Et videtur superfluum esse : omnis enim concipiens concepit in utero.

Ad hoc dicimus, quod hoc est privilegium istius solius conceptionis : omnes enim aliæ concipiunt in uterum, ista sola concepit in utero : quia concepit virgo.

[1] II Sententiarum, Dist. 4.
[2] Jerem. xxxi, 22.
[3] Luc. i, 31.

QUÆSTIO CCXV.

Utrum Verbum incarnatum habeat unum solum nomen?

Post hæc quæritur de nomine de quo subjungitur : *Et vocabis nomen ejus Jesum* [1].

1. Quæritur igitur, Utrum Verbum incarnatum habeat unum solum nomen?

Et videtur, quod sic :

1. Unius enim individui debet esse unum nomen.

2. Item, Unum sufficit ipsum individuum determinare ab aliis.

3. Item, Unum est significatum.

Contra :

1. Inferius dicitur : *Filius Altissimi vocabitur* [2].

2. Item, Isa. vii, 14 : *Vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

4. Item, Cum hic annuntietur divinæ et humanæ naturæ unio, et hoc intelligitur per *Emmanuel*, hic potius deberet poni illud nomen.

4. Item, De eodem est annuntiatio, de quo fuit prophetizatio : sed illa fuit sub hoc nomine, *Emmanuel* : ergo et hic deberet poni.

5. Item, Isa. ix, 6 : *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis*, etc. Ergo habuit multa nomina.

6. Item, Isa. viii, 3 : *Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere, festina prædari.*

7. Item, Omnia nomina conveniunt tribus personis : ergo non sunt propria Verbi incarnati.

8. Item, Nullum commune est proprium : sed fortis, admirabilis, et hujusmodi, non sunt propria, sed communia.

9. Item, Messias fuit promissus : hic autem est Christus : ergo hic debuit vocari *Christus* [3].

QUÆSTIO CCXVI.

Quis imposuerit illud nomen Jesu?

Post hæc quæritur, quis imposuerit illud nomen?

Et videtur, quod Joseph.

1. Matth. i, 20 : *Joseph, fili David,*

[1] Luc. i, 31.

[2] Ibid., ℣. 32.

[3] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXVIII.

noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Et infra, ỳ. 21 : *Et vocabis nomen ejus Jesum*. Ergo Joseph imposuit.

2. Item, Luc. II, 21 : *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur* : ergo Angelus imposuit.

3. Item, Hic dicitur, quod beatissima Virgo Filio suo nomen imposuit.

4. Item, Ad ipsam pertinebat : quia ipsa sola inter homines jus ad eum habebat.

5. Item, Ipsa plene sola ipsum tunc cognovit, et optime proprietates ejus scivit.

6. Item, Significatio est per institutionem : sed est una significatio : ergo una debet esse institutio [1].

QUÆSTIO CCXVII.

Quando institutum fuerit illud nomen ?

Post hæc quæritur, Quando institutum fuerit illud nomen ?

Et videtur, quod ab æterno.

1. Luc. II, 21 : *Priusquam in utero conciperetur*.

2. Item, Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum*. Glossa : « Non imponens quod ab æterno impositum est. » Item, Glossa : « Non decuit tam gloriosum nomen prius ab hominibus appellari, sed excellentiori natura, ne homo videatur machinator hujus nominis. » Item, alia Glossa : « Sicut a Christo Christiani, sic et in utraque nostra circumcisione a Jesu, id est, a salvatore salvati vocamur. Quod nomen non solum antequam concipiamur in utero Ecclesiæ per fidem, sed etiam ante tempora sæcularia a Deo nobis vocatum est. »

Contra :

1. Luc. II, 22 : *Postquam impleti sunt dies*, etc.

2. Item, Domina imposuit vel Joseph : ergo in tempore [2].

QUÆSTIO CCXVIII.

Cui conveniat illud nomen ?

Post hæc quæritur, Cui conveniat illud nomen ?

Et videtur, quod tribus personis.

1. Pater enim et Filius et Spiritus

[1] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. CCXVIII.

[2] Ibid.

sanctus salvant a peccatis : ergo salvator : ergo Jesus.

2. Item, Opera Trinitatis sunt indivisa.

3. Item, Est æternum, et non est personale : ergo convenit tribus.

4. Item, Connotat effectum : ergo convenit tribus.

Contra : Illud est proprium nomen Verbi incarnati : ergo non convenit Trinitati [1].

Responsio ad Quæstiones CCXV, CCXVI, etc.

Ad hæc solvendo dicimus, quod quamvis unum proprium nomen non est plurium, tamen unius possunt esse plura propria, ut risibile et susceptibile disciplinæ hominis : unde cum Verbum incarnatum habeat plures proprietates sibi soli convenientes, et nulli alteri vel alii personæ, potest a qualibet istarum demominari : unde omnia prædicta nomina conveniunt ei ratione diversarum proprietatum. Cum autem ab ultimo et ab optimo unumquodque habet denominari : finis autem est ultimum in unoquoque : ergo debet unumquodque propriissime denominari a fine. Cum igitur finis incarnationis sit salvatio humani generis, Verbum Dei incarnatum, vel Filius Dei incarnatus recte vocatus est Jesus. Sic igitur quamvis salvatio a culpa sit communis tribus personis, tamen redemptio per passionem propria est Filii incarnati : secundum hoc Filius solus sanguine suo salvum fecit populum suum a peccatis : unde ipse solus Jesus dicitur quasi salvator.

Item, Quamvis et mirabilitas et fortitudo in se communia sint, tamen mirabilitas nativitatis de Virgine, et fortitudo in morte, non sunt communia tribus personis, sed propria Filii incarnati.

Item, Nomen illud imposuit Deus, Angelus, et Domina omnium, et Joseph : Deus rem nominis præstando, Angelus prædicando, Domina imperando, Joseph exsequendo.

Ex hoc patet quando impositum fuit, scilicet a Deo æternaliter, ab Angelo in annuntiatione, a Domina et Joseph in circumcisione.

Ex his igitur patet cui conveniat hoc nomen Jesus.

Si autem quæritur de conjunctione istorum nominum, *Jesus Christus*. Dicimus, quod nominat unam personam a duabus naturis, scilicet secundum humanitatem junctam divinitati, secundum divinitatem conjunctam humanitati.

QUÆSTIO CCXIX.

Utrum Dominus per incarnationem suam factus sit parvus, vel magnus ?

Post hæc quæritur de eo quod hic subjungitur : *Hic erit magnus* [2].

Quæritur igitur, Utrum Dominus per incarnationem suam factus sit parvus, vel magnus ?

Et videtur, quod parvus :

[1] Pro solutione objectorum, vide immediate infra.

[2] Luc. I, 32.

1. Unde, Psal. VIII, 6 : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Sed prius multo major fuit Angelis.

2. Item, Apostolus, ad Hebr. II, 9 : *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.*

3. Item, Ad Philip. II, 7 : *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.*

4. Item, Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis.*

5. Item, Bernardus : « Quare erit et non potius est magnus, qui semper æqualiter magnus, non habet quo crescat, nec major post conceptum futurus sit quam ante, vel sit, vel fuerit [1] ? »

6. Item, Duplex est magnitudo : molis, et virtutis. De magnitudine molis nihil ad propositum, quia illa est indifferens : juxta quod, I Regum, XVI, 7, dicitur : *Non respicias vultum ejus, nec altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum.* Magnitudo autem virtutis nulla accessit Deo per incarnationem : quidquid enim homo potest, Deus potest et plus : ergo quidquid potuit modo, potuit et prius : ergo non est magnus factus.

Contra :

1. Luc. I, 46 : *Magnificat anima mea Dominum.* Ergo ipsa magnificavit eum : ergo ipse est magnificatus. Unde in figura, III Regum, X, 23 et 24 : *Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ divitiis et sapientia. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis,* etc.

2. Item, Bernardus : « *Erit magnus* : quia magnificabit eum Deus in conspectu regum, adeo ut adorent eum omnes reges, et omnes gentes serviant ei. »

3. Item, Augmentum est præexistentis quantitatis additamentum : ipse autem manens quod erat, assumpsit quod non erat : ergo magnificatus.

4. Item, Tale additum tali facit magis tale : sed divinitas est bonum, et humanitas est bonum : ergo additum alteri erit magis bonum.

Ad hæc solvendo dicimus, quod Dominus Jesus Christus in incarnatione factus est magnus et parvus : quia factus est Deus et homo : magnus in quantum Deus, parvus in quantum homo respectu divinitatis : ergo una et eadem persona magnificata et parvificata est : magnificentia hæc a deitate, parvitas autem sive exinanitio ab humanitate. Quod autem persona potest magnificari, hoc habet ab humanitate : quia divina natura non habet quo crescat. Quod autem persona dicitur *exinaniri*, hoc habet ratione divinitatis. Est autem parvificatio sive exinanitio non naturæ diminutio in aliquo, sed cum inferiori unio : sic et magnificatio non est naturæ extra metam propriam elevatio, sed cum summa natura personalis conjunctio.

Erit itaque magnus nobilitate, dignitate, virtute, potestate, famositate, utilitate, novitate. De magnitudine nobilitatis, Bernardus : « Annon magnus, cujus magnitudinis non est finis ? Et quis magnus sicut Deus noster ? Plane magnus, qui tam magnus quam Altissimus. » Et infra : « Altissimus enim Deus Pater quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque Angelum magnum : sed non quantus ipse : et ideo nec altissimum. Solum autem Unigenitum quem non fecit, sed genuit omnipotens omnipotentem, altissimus altissimum, æternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec injuriam. »

De magnitudine dignitatis sive auctoritatis, idem Bernardus : « Erit enim magnus : quia magnificabit eum Dominus, ut supra. »

De magnitudine autem potestatis, Bernardus : « Magnificet anima tua Do-

[1] S. Bernardus, Homil. 3 super *Missus est.*

minum : quia hic erit magnus et magna faciet tibi, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Item, *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur*[1].

De magnitudine autem virtutis et dignitatis simul, Apocal. XIX, 16 : *Habens in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Item, Apocal. V, 5 : *Vicit leo de tribu Juda.*

De magnitudine famæ, Psal. XLVII, 2 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis*[2]. Item, Psal. XLIX, 1 : *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.*

De magnitudine utilitatis, Bernardus : « Magnificetur et a nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus, *Parvulus*, ait, *natus est nobis.* Nobis, inquam, non Angelis : quia cum magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis et datus, quia nobis necessarius. Jam de nobis nato et dato faciamus ad quod natus est et datus : utamur nostro in nostram utilitatem, de salvatore salutem operemur. »

De magnitudine novitatis, Jerem. XXXI, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum.* Et Dionysius : « Quod est omnium novorum novissimum. »

Magnus, inquam, erit secundum omnem modum. Magnus secundum substantiam : quia Deus. Magnus secundum quantitatem : quia omnipotens. Magnus secundum qualitatem : quia summe bonus Deus. Magnus secundum relationem : quia Filius Dei. Magnus secundum quando : quia æternus. Magnus secundum ubi : quia ubique est. Magnus secundum situm vel positionem : quia cœlum sibi sedes est, et terra scabellum pedum suorum, et sedet super Cherubim, et ambulat super pennas ventorum, sedet ad dexteram Patris, et adstat nunc vultui ejus pro nobis. Magnus secundum habitum : quia vestimenta ejus sunt candida super nivem, qualia fullo non potest facere super terram : quia fortitudo et decor indumentum ejus : indutus enim decore præcinxit se virtute, conscidit saccum suum, et circumdedit se lætitia.

Magnus quoque est in magnitudine actionis, ut in principio creavit Deus cœlum et terram, etc., id est, Filium quem genuit, in quo omnia creavit, recreavit, justificavit, glorificavit. Unde generatio et generatio laudabit opera ejus. Item, opera fecit, quæ nullus alius fecit : et opera quæ ipse fecit, testimonium perhibent ei, quia magnus Filius magni Dei.

Magnus quoque in passione : ipse enim novissimus virorum, vir dolorum, et non fuit dolor similis dolori ejus.

Sic igitur patet qualiter parvus ille per omnem modum magnificatus est. Est autem magnus iste parvificatus. Unde Bernardus : « Ecce parvulus in medio statuitur. O parvulus parvulis desideratus ! O vere parvulus, sed malitia non sapientia ! Studeamus effici sicut parvulus iste, discamus ab ipso quia mitis est et humilis corde : ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis homo mortuus, ne in vacuum crucifixus. »

Patet igitur qualiter parvulus iste parvus est et magnus, leo et agnus, leo de tribu Juda, et agnus qui tollit peccata mundi.

[1] Daniel. VII, 14.

[2] Cf. etiam, Psal. XCV, 4 ; CXLIV, 3 ; I Paralip. XVI, 25.

QUÆSTIO CCXX.

Quare addantur hæc verba : Et filius Altissimi vocabitur, cum supra dictum sit : Et vocabitur nomen ejus Jesus ?

Post hæc quæritur de eo quod sequitur : *Et Filius Altissimi vocabitur* [1], ad quid addatur, cum supra dictum sit : *Et vocabis nomen ejus Jesum* [2], et qualiter differat hæc vocatio ab illa ?

Item, Filius Altissimi est commune omni homini, juxta illud Psalmi LXXXI, 6 : *Filii Excelsi omnes*. Et illud, *Pater noster, qui es in cælis* [3]. Et illud, Eris filius Altissimi obediens. Item, Altissimus est Deus trinitas. Ergo ipse erit Filius Dei trinitatis : ergo filius Spiritus sancti, et filius Filii.

Solutio. Ad hoc dicitur, quod differt hæc vocatio ab illa, et hæc filiatio ab aliis : hæc enim filiatio est per æternam filiationem : aliæ autem per adoptionem. Superius posita vocatio notat proprii nominis impositionem : hæc autem non solum propriam nominationem, sed etiam rei nominis et divinæ naturæ per opera declarationem. Ipse itaque vocabitur æterna nominatione, Scripturæ attestatione, Joannis prophetizatione, operum probatione, Patris declaratione, columbæ ostensione, Petri confessione, dæmonum suspicatione, doctrinæ singularitate, quia dicitur, Joan. VII, 46 : *Numquam sic locutus est homo*. Glossa : « Quia Deus et homo, cujus erat sermo in potestate, et non sicut Scribarum et Pharisæorum ».

Omnibus ergo his modis vocabitur ab hominibus Filius Altissimi, unigenitus in esse naturæ, unigenitus in donis gratiæ, summus in esse gloriæ : unde in essentia cum Patre est a Patre æterna generatione, unum principium in communi spiratione.

QUÆSTIO CCXXI.

Utrum quando dicitur : Dabit illi Dominus sedem David, patris ejus, per sedem David intelligatur regnum corporale, vel spirituale ?

Post hæc quæritur de eo quod subditur : *Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus* [4].

Quæritur ergo, Utrum per sedem David intelligatur regnum corporale, vel spirituale ?

[1] Luc. I, 32.
[2] Ibid., v. 31.
[3] Matth. VI, 9 ; Luc. XI, 2.
[4] Luc. I, 32.

1. Si corporale, illud numquam habuit, imo a turbis eum regem facere volentibus fugit [1], et ante Pilatum protestatus fuit, dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo* [2]. Si autem intelligatur per hoc spirituale, illud semper habuit.

2. Item, Luc. I, 32: *Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus.* Glossa: « In præsenti vita corda inhabitans, regnabis in futuro de exsilio ad gloriam vocans. » Sed Christus homo regnum spirituale numquam habuit, in quantum Deus semper habuit: ergo illi numquam datum fuit.

3. Item, Quando natus fuit, tunc rex fuit: ergo nascendo vel per nativitatem non accepit.

4. Item, Diffinientes per genus propinquius diffiniunt: regnum Judæorum propinquius fuit Domino nostro Jesu Christo: unde potius dixisse debuit: Sedem Josiæ, patris ejus, præsertim cum Josias in pluribus figuraverit Dominum nostrum Jesum Christum.

5. Item, Regnum David fuit in sanguinis effusione: propter quod dicitur ei, II Regum, VII, 5: *Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Glossa: « Non: quia vir sanguinum es. » Et, III Regum, V, 3: *Non potuit* (David) *ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum.* Regnum autem Salomonis fuit pacificum, sicut ibidem subjungitur, ℣. 4: *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: et non est satan, neque occursus malus.* Si ergo regnum David est in sanguinis effusione, regnum vero Salomonis in pace, tunc similius fuit regnum Salomonis regno Christi, qui non regnat nisi in pace: regnum enim suum intra nos est, et justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto: quia in pace factus est locus ejus: et non est ipse Deus dissensionis, sed pacis, qui est Pater futuri sæculi, princeps pacis: ergo expressius et potius figuratur regnum ejus per regnum Salomonis, quam per regnum David.

6. Item, Nomine et re et regimine videtur Salomon expressius Deum figurasse quam David. Nomine: quia pacificus interpretatur. Christus autem *pacem fecit ei qui longe est, et qui prope est* [3]. III Regum, X, 23 et 24: *Magnificatus est rex Salomon, super omnes reges terræ, divitiis et sapientia. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis.* Hæc autem propriissime conveniunt Christo: quia virtus est et sapientia Patris, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* [4]. Psal. XLIV, 3: *Speciosus forma præ filiis hominum,* in quem desiderant etiam Angeli prospicere [5]. Regimine: quia non fuit satan, nec occursus malus, sicut dictum est, in regno suo.

Item, In opere Dominum figuravit: ipse enim domum Domino ædificavit. III Regum, VIII, 13: *Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum.* Et Christus vera sapientia ædificavit sibi domum, et excidit sibi columnas septem [6].

Item, Divina electione videtur Dominum figurare: quia de eo juxta litteram scriptum est: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* [7]. Quod vere et proprie solummodo convenit Domino Jesu Christo. Nec obstat, quod Salomon alienigenas uxores sibi duxit et copulavit [8], cum etiam Christum in hoc figuravit, qui zelotypia animarum quasi extra se raptus, animas peccatrices sibi in misericordia et miserationibus desponsavit. Quod autem malum factum, potuit bonum figurare, patet per Glossam in libro II Regum, XI, 1 et seq., super historia adulterii et interfectionis Uriæ.

[1] Joan. VI, 15.
[2] Joan. XVIII, 36.
[3] Isa. LVII, 19.
[4] Ad Coloss. II, 3.
[5] I Petri, I, 12.
[6] Proverb. IX, 1.
[7] II Regum, VII, 14; I Paralip. XXII, 10; ad Hebr. I, 5.
[8] III Regum, XI, 1 et seq.

Item, Cantic. III, 11: *Videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.* Glossa: « Virgo Maria. »

Item, Per regem Salomonem intelligitur rex Christus: ergo et sua sedes debuit dici sedes Salomonis [1].

QUÆSTIO CCXXII.

Utrum bene dicatur: Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis?

Post hæc quæritur de eo quod sequitur: *Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* [2].

1. Si enim sedet super sedem David: ergo et regnat in domo David: nihil enim esset dictum: Dabo ei sedem regis Teuthoniæ, et regnabit in domo regis Franciæ.

2. Item, Si intelligatur, quod regnaturus sit utrobique: ergo regnum Jacob debuit præposuisse.

3. Item, Non potest de diversis regnis intelligi: quia regnum David non fuit nisi in domo Jacob, id est, in Judæis.

4. Item, Cum Dominus regnet spiritualiter, non solum super eos qui sunt in domo Jacob, sed super totam Ecclesiam, debuisset dixisse: In domo Adæ vel Abel, a quorum altero Ecclesia incepit.

5. Item, Si intelligatur de regno spirituali, quo spiritualiter regnavit super populum peculiarem, scilicet Ecclesiam Judæorum, tunc debuisset dixisse: In domo Abrahæ, unde disseminatio istius populi facta est per Isaac, juxta illud Genesis, XXI, 12: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Ergo debuit dicere: In domo Isaac.

6. Item, Si voluit dominari a primo rege Israël, hic fuit Saül: ergo debuisset dixisse: In domo Saul.

7. Item, Cum David non habuerit spiritualem sedem, quomodo regnum spirituale dicitur *sedes David*?

8. Item, Quidquid est æternum, illius non erit finis: ergo alterum eorum erit superfluum [1].

QUÆSTIO CCXXIII.

Utrum Christus sit rex Angelorum et Ecclesiæ triumphantis?

Juxta prædicta quæritur, Utrum sit rex Angelorum et Ecclesiæ triumphantis?

Et videtur, quod sic:

1. Homo est dignissima omnium creaturarum: ergo dignissimus inter omnes

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXXIII.

[2] Luc. I, 32 et 33.

[1] Pro solutione objectorum, vide infra post Quæst. CCXXIII.

homines erit omnium creaturatum dignissima : ergo rex.

2. Item, Mater sua est regina Angelorum : ergo ipse Angelorum rex.

3. Item, Mater sua exaltata est super choros Angelorum, ut dicit Hieronymus: quod sibi soli convenit, et matri et Filio : ergo ipsa regina et ipse rex Angelorum.

4. Item, Charitas ordinat statum patriæ : sed Dominus improportionabiliter habuit charitatem super Seraphim : ergo et statum : ergo et rex Angelorum.

5. Item, Matth. IV, 11 : *Ecce Angeli accessèrunt, et ministrabant ei.*

6. Item, Ipse est *in quem desiderant Angeli prospicere* [1].

7. Item, Apocal. XIX, 10: *Conservus tuus sum, et fratrum tuorum,* dicit Angelus ad Joannem.

8. Item, Apocal. IV, 10, viginti quatuor seniores mittunt coronas suas ante pedes sedentis in throno: quia omnes sancti confitentur, quod per humanitatem Christi coronati sunt.

9. Item, Filii resurrectionis æquales erunt Angelis : sed ipse est illorum rex : ergo et Angelorum : ipse enim est primogenitus mortuorum et princeps regum [2].

10. Item, Luc. XIX, 12 : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.* Ergo Christus accepit regnum Ecclesiæ triumphantis.

11. Item, Isidorus: « Trinitas sibi soli nota est et homini assumpto. »

12. Item, Anima Christi scivit omnia, quæ Deus: ergo ipse superior Angelorum in cognitione : ergo et in dilectione.

13. Item Dionysius dicit in libro de *Ecclesiastica hierarchia.* « Lex quidem hæc est divinitatis sacratissima per prima secunda ad divinissimam suam reducere lucem [3]. » Et sic per superiora reguntur inferiora : ergo ipse rex est Angelorum.

14. Item, Apocal. XIX, 16 : *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Item, Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia* : « Quasdam illarum (cœlestes essentias) introducunt a prioribus sacre eruditas, Dominum esse cœlestium virtutum et regem gloriæ in cœlos humanitus receptum. Quasdam vero apud ipsum Jesum quærentes, et pro nobis suæ divinæ actionis scientiam discentes, et eas ipsum Jesum immediate docentem, et prælargiens eis manifestantem suam humanam benignitatem. Ego, inquit, disputo justitiam et judicium salutaris [4]. » Ex his patet, quod Angeli illuminantur et perficiuntur in quibusdam immediate a Domino nostro Jesu Christo in quantum homo : ergo in quantum homo est rex Angelorum.

Contra :

1. Cœlestis hierarchia est supra humanam : ergo infimus de cœlesti est super supremum de humana : sed inferiora non regunt superiora : ergo nullus homo potest esse rex Angelorum.

2. Item, Simile est simplum simplo et optimum optimo : sed Angelus est superior et melior homine : ergo optimus Angelus optimo homine.

3. Item, Dionysius : « Regnum est omnis finis et ornatus et legis et ordinis distributio [5]. » Sed Christus in quantum homo non distribuit Angelis fines et ornatus et legem : ergo non est rex eorum in quantum homo.

4. Item, Psal. VIII, 6 : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Ergo non est rex Angelorum.

5. Item, Christus aut est superior Angelis in quantum homo, aut non. Si non : ergo non est rex Angelorum. Si sic et in quantum homo : ergo omnis homo, quod est falsum.

6. Item, Rex debet esse ejusdem na-

[1] I Petri, I, 12.
[2] Apocal. I, 5.
[3] S. Dionysius, Lib. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 5.
[4] Idem, Lib. de Cœletsi hierarchia, cap. 7.
[5] Idem, Lib. de Divinis nominibus, cap. 12.

turæ cum eis quorum est rex, et e converso : asinus enim non ponetur rex avium, nec aquila rex animalium gressibilium : sed Christus homo non est ejusdem naturæ cum Angelis : ergo in quantum homo non est rex Angelorum.

7. Item, In Angelis non est proprie lex : ergo non est rex.

8. Item, Anima est substantia intellectualis illuminationum a primo ultima delatione recipiens : ergo Angelus prior : ergo naturaliter superior anima : et anima est supremum hominis : ergo superior omni homine : ergo non est rex Angelorum.

9. Item, Spiritus unibilis corpori, propinquior est quam non unibilis : et spiritus non unibilis, propinquior est spiritui increato quam unibilis : ergo spiritus Angelicus propinquior est Deo quam humanus : ergo nobilior et melior : ergo homo non potest esse rex Angelorum.

10. Item, Luc. XXII, 43 : *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum.* Item, Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia* : « Video enim, quod et ipse Jesus supercœlestium essentiarum superessentialis essentia, ad id quod secundum nos immutabiliter veniens, non resilit a se ordinata et assumpta humana ordinatione, sed obediens subditur Patris et Dei per Angelos dispositionibus, et per medios ipsos nuntiatur Joseph a Patre disposita Filii ad Ægyptum recessio, et item ad Judæam ex Ægypto transductio, et per Angelos ipsum videmus sub Patris legislationibus ordinatum. Iusto enim dicere ut scienti nostris sacerdotalibus traditionibus expressa, et de Angelo ipsum Jesum confortante [1]. »

Ex his autem omnibus videtur, quod Dominus noster Jesus Christus in quantum homo sit sub Angelis : ergo non est rex Angelorum.

Responsio ad Quæstiones CCXXI, CCXXII, CCXXIII.

Ad hæc solvendo dicimus, quod de Domino Jesu Christo est quadruplex modus loquendi. Primo, de ipsa hypostasi sive persona, et secundum hoc est rex omnium Angelorum. Secundo, de natura, id est, de persona ratione divinæ naturæ, et sic est adhuc superior omni Angelo. Tertio, de persona ratione humanæ naturæ : sed hoc potest esse dupliciter, vel secundum quod ipsa est in unione cum divina, et sic est superior omni Angelo : vel secundum quod in se circumscripta divinitate consideratur, et sic est inferior omni Angelo : et sic loquitur Damascenus, ubi ait, quod ignorantem et servilem naturam assumpsit. Tribus ergo modis est superior omni Angelo. Quarto modo est inferior omni Angelo.

Ad ea quæ objecta sunt de sede et solio et regno David, dicimus, quod ibi accipitur signum pro signato. Per regnum autem David temporale figuratur regnum Christi spirituale. *Dabit* ergo *illi sedem* regni, sacerdotii, magistèrii, judicii, convivii David : propter carnis propagationem, divinam electionem, humilium exaltationem, hostium dejectionem, sanguinis effusionem, divini cultus augmentationem, spiritualem præfigurationem, specialem promissionem, operum incitationem, virtutum similitudinem, charitatis magnitudinem. *Et regnabit* miseris miserando, malos exstirpando, bonos exaltando, omnibus imperando, hostes subjugando, curias celebrando, jura promulgando, regnum dilatando. Regnabit autem per gratiam et gloriam in domo, per charitatem et unitatem hospitis, identitatem cibi, et vestitus communitatem, operum conformitatem. *In domo Jacob,*

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 4.

inquam, qui imitabitur Jacob peregrinantem, servientem, contrahentem, fugientem, repatriantem.

Dicimus enim, quod regnum Christi figuratum fuit in regno David et in regno Salomonis. Sed regnum David significat regnum Christi præsens super militantem Ecclesiam, quæ est in bello contra vitia, et cum effusione sanguinis, et castigatione corporis, et crucifixione carnis cum vitiis et concupiscentiis. Regnum autem Salomonis figurat regnum triumphantis Ecclesiæ, quæ est in visione pacis, ubi non auditur malleus nec securis, sicut dicitur de templo quod ædificavit Salomon [1]. Sed sedet ibi populus Domini *in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta* [2]. Unde sedes David appellatur hic regnum per gratiam in præsenti: per domum Jacob intelligitur regnum gloriæ in futuro: unde potissime ponitur ibi *Jacob* qui charitatem signat, juxta illud : *Abraham genuit Isaac*: *Isaac autem genuit Jacob* [3], id est, fides spem, spes vero charitatem. Unde non est domus Adæ : quia non est ibi terrena, sed cœlestis conversatio. Non Abrahæ vel Isaac : quia fides et spes evacuabuntur: sola autem charitas numquam excidet: unde *regnabit in domo Jacob in æternum*. Unde Bernardus [4]: « Denique quid magnum promittitur ei qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit sedentem *super solium excelsum et elevatum* [5], sedere in throno David, patris sui? Sed novimus quamdam aliam Jerusalem ab ea quæ nunc est, in qua regnavit David, significatam, multo ista nobiliorem, multo ditiorem. Hanc igitur puto hic fuisse significatam, illo videlicet usu loquendi, quo sæpe reperis in Scripturis significans poni pro significato. Tunc sane dedit illi Deus sedem David, patris sui, quando *constitutus est rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus* [6]. Sed hic Propheta de quo regno dixerat, expressius aperuisse videtur in eo quod non in Sion posuit, sed *super Sion*. Nam ideo fortassis dictum est *super Sion*, quia in Sion quidem regnavit David : super Sion vero regnum est illius, de quo dictum est ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [7]. De quo et dictum est per alium Prophetam : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit* [8]. Vides quia ubique reperis *super:* super Sion, super sedem, super solium, super regnum. *Dabit* ergo *ei Dominus Deus sedem David, patris ejus*, non typicam, sed veram, non temporalem, sed æternam, non terrenam, sed cœlestem. Quæ idcirco (ut jam dictum est) memoratur fuisse David: quia hæc in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem.

« *Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Hic quoque si domum Jacob temporalem accipimus, quomodo in illa quæ æterna non est, in æternum regnaturus est? Quærenda est ergo domus æterna Jacob, in qua regnet in æternum, cujus regni non erit finis. Annon denique domus illa Jacob exasperans impie abnegavit eum, et insipienter respuit ante faciem Pilati, quando illo perhibente : *Regem vestrum crucifigam*? uno ore respondendo clamavit : *Non habemus regem nisi Cæsarem* [9] ? Require itaque Apostolum [10], et discernet tibi eum qui in occulto Judæus est, ab illo qui est in manifesto : et quæ in spiritu est circumcisionem, ab ea quæ sit in carne, et spiritualem Israel a carnali, et filios Dei Abrahæ a filiis carnis. *Non enim*, inquit, *omnes qui ex Israel sunt ii sunt Israelitæ, neque qui semen Abrahæ*

[1] III Regum, vi, 7.
[2] Isa. xxxii, 18.
[3] Matth. i, 2.
[4] S. Bernardus, Homilia 4 super *Missus est.*
[5] Isa. vi, 1.
[6] Psal. ii, 6.
[7] Psal. cxxxi, 11.
[8] Isa. ix, 7.
[9] Joan. xix, 15.
[10] Ad Roman. ii, 28 et seq.

sunt, omnes filii[1]. Sequere ergo et dic: Similiter non omnes qui ex Jacob, hi reputandi sunt in domo Jacob. Jacob quippe ipse est qui Israel. Solos igitur qui in fide Jacob perfecti inventi sunt, reputa in domo Jacob, vel potius ipsos noveris fore spiritualem et æternam domum Jacob, in qua regnabit Dominus Jesus in æternum. Quis ex nobis est qui juxta interpretationem nominis Jacob, supplantet diabolum de corde suo, luctetur cum vitiis et concupiscentiis suis, ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Jesus, et nunc quidem per gratiam, et in æternum per gloriam? Beati in quibus Jesus regnabit in æternum: quia et ipsi cum eo regnabunt et regni ejus non erit finis. O quam gloriosum est illud regnum, in quo reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet et glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum, et Dominus dominantium, de cujus splendidissima contemplatione fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum! O si et mei peccatoris meminerit Jesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum! O si me in illa die quando traditurus est regnum Deo et Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur etiam a me cum hæreditate sua! Veni interim, Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia et vindicat in me sibi sedem: jactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex: luxuria dicit, ego regnabo: ambitio, detractio, invidia, et iracundia certant in meipso, de meipso cujus ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo resisto, renitor quantum juvor, Dominum meum Jesum reclamo, ipsi me defendo, quia ipsius me juris cognosco. Ipsum mihi Dominum teneo et dico: Non habeo regem nisi ipsum Dominum Jesum. Veni ergo, Domine, disperge illos in virtute tua, et regnabis in me. Quia *tu es ipse rex meus, et Deus meus*[2]. »

QUÆSTIO CCXXIV.

An B. Virgo dixerit dubitando: Quomodo fiet istud?

Post hæc quæritur de illo quod sequitur: *Quomodo fiet istud*[3]?

Et videtur, quod potius dixerit dubitando:

1. Annuntiatio enim Isaac fuit figura istius annuntiationis: sed ibi Sara risit et dubitavit: ergo videtur, quod similiter debet esse in figurato.

2. Item, Abraham dixit: *Utinam Ismael vivat coram te*[4]. Ergo videtur similiter dubitasse.

3. Item, Zacharias dubitavit[5]: quæ

[1] Ad Roman. ix, 6 et 7.
[2] Psal. xliii, 5.
[3] Luc. i, 34.
[4] Genes. xvii, 18.
[5] Luc. i, 18 et seq.

annuntiatio etiam fuit figura istius annuntiationis : ergo in ista annuntiatione debuit esse dubitatio.

SED CONTRA :

In Glossa super Lucam, I, 34 : « Cum Sara riserit de promissione Dei, et Maria dixit : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, cur non fuerunt mutæ sicut Zacharias ? Sed Sara et Maria non dubitant faciendum quod promittitur, sed modum requirunt. » Item alia Glossa : « Legerat Maria virginem parituram. Non dubitabat : sciebat enim quia impleri oportebat quod ab Angelo nuntiabatur. Sed quia quo modo fieret non legerat, nec ab Angelo audierat, quo ordine impleri debeat, requirit. » Unde Bernardus : « Non dubitabat de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat : Cum sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei ut fiat istud ? Si oportuerit me frangere votum ut pariam talem filium, et gaudeo de filio, et doleo de proposito. Fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique si placuerit ei, impossibile non erit, tunc scio vere, quia respexit humilitatem ancillæ suæ [1]. » Ex his videtur, quod non dubitavit de facto, sed de modo.

SED CONTRA :

1. Videtur, quod per illud *quomodo*, non solum quæritur quando dubitatur de modo, sed quando dubitatur de facto. Joan. III, 4 : *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex ?* ubi dubitatur de facto, et non tantum de modo.

2. Item, Signum quod Angelus dat ad istam quæstionem, non certificat de modo, sed de facto. Quasi dicat : Si Elisabeth potest concipere : ergo et tu.

3. Item, Modus videtur satis expressus cum dicit : *Concipies in utero* : quia si concipit in utero : ergo concipit virgo : nupta concipit in uterum, et non in utero.

4. Item, Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Glossa : id est, factum quod verbo exprimitur. Ergo de facto certificatur : ergo dubitavit de facto.

5. Item, Philosophus : « Dubitare de singulis non est inutile. » Ergo potuit de utroque dubitare.

6. Item, Si dubitare de modo licuit : ergo de facto.

7. Item, Sancti exponunt istam conceptionem mystice. Unde Ambrosius : « Maria desponsata, sed virgo, typus est Ecclesiæ, quæ est immaculata, sed nupta. Concipit nos de Spiritu, parit nos Virgo sine gemitu. Et ideo fortasse alii nupta, ab alio repleta [2]. » Ergo cum ista conceptio possit spiritualiter intelligi, licite potuit dubitare utrum sic vel sic hoc debeat fieri.

8. Item, Non est credendum omni spiritui : quia Angelus satanæ transfigurat se in Angelum lucis : ergo de hoc potuit dubitare.

9. Item, Qui cito credit, levis est corde.

Item, Quod ex hoc quod quæsivit, sequitur aliqua dubitatio nec de facto, nec de modo, patet ex hoc quod non omnis quæstio est propter dubitationem : Dominus enim in Evangelio sæpe et plura quæsivit : et tamen de nullo umquam dubitavit.

1. Item, Matth, XI, 2 : *Joannes, cum audisset in vinculis opera Christi*, etc. Glossa Chrysostomi : « Quod non propter se, sed propter discipulos quæsivit. » A simili videtur, quod etiam beatissima Virgo non sibi, sed nobis dubitavit.

2. Item, Legerat virginem parituram : ergo scivit hoc per fidem : et ei dicitur modo, quod sit illa : ergo ipsa credidit se virginem parituram.

3. Item, Ipsa credidit articulum de incarnatione : sed de substantia illius articuli est credere virginem Deum concipere

[1] S. BERNARDUS, Homilia 4 super *Missus est*.

[2] S. AMBROSIUS, Lib. II super Lucam, cap. 2.

et parere : ergo non dubitavit utrum manens virgo esset conceptura et paritura.

4. Item, Angelus non respondit nisi quod scivit prius.

5. Item, Angelus non respondit nisi de modo concipiendi.

Item, Videtur quod non bene dicitur in hoc quod subjungitur : *Virum non cognosco :* multæ enim virgines virum non cognoscunt, et tamen in posterum possunt concipere.

Solutio. Ad hæc solvendo dicimus, quod beatissima Virgo quia prudentissima, nec de facto, nec de modo dubitavit. Nec obstat si in figuris dubitatio præcessit : quidquid enim dubitationis in figuris præcessit vel imperfectionis, in hoc istud figuratum figuras excellit : quia nulla figura figuratum per omnia et in omnibus exprimere sufficiens fuit.

Quæstionem autem quam beatissima Virgo Angelo fecit, propter istius dubitationem non fecit, sed propter materiæ descriptionem pleniorem, propter veritatis majorem expressionem, propter erroris dubitationem, et opinionum exclusionem, propter nostram ædificationem.

Ad id quod quæritur de causæ cognitionis redditione, patet solutio per argumentum Glossæ : *Non cognosco,* id est, non cognituram propono.

Ex his patet solutio ad objecta.

QUÆSTIO CCXXV.

An bene dixerit : Virum non cognosco ?

Post hæc sequitur de hoc : *Virum non cognosco* [1]:

1. Novit enim patrem suum : ergo virum.

2. Item, Numquid non novit Joseph ?

3. Item, Omnis cognitio vel est sensitiva vel intellectiva : omnis intellectiva est speculativa vel affectiva : beatissima Virgo cognovit virum cognitione speculativa et affectiva, quia dilexit omnes viros et communes homines. Item sensitiva : quia multos viros viderat et audierat. Ergo omni modo virum novit.

4. Item, Si dicatur quod intelligatur de cognitione experientiæ. Contra : Multos enim viros fuit experta : experientia enim est cognitio multorum singularium simul : ex multis enim memoriis fit unum experimentum : et sic experta fuit multos viros.

Si autem dicatur, quod ibi capiatur cognitio pro actu generationis, hoc videtur inconveniens : quia actus generationis et actus cognitionis genere opponuntur. Item non sequitur : Non cognosco experientia : ergo non cognosco.

Item, Si dicatur quod sequitur secundum usum, hoc adhuc non videtur posse

[1] Luc. I, 34.

stare : quia sic beatissima Virgo proprie loquendo dixisset filium, quod absit.

Ad hoc dicendum, quod vir secundum quod dicitur relative ad mulierem, ut vir mulieris vir, vir importat, quod beatissima Virgo noverat se virum numquam vel videre, vel audire, vel intelligere, vel sapere, vel diligere. Dicat igitur : Non cognosco ut personæ meæ dominatorem, operum rectorem, corporis corruptorem, animæ obligatorem, prolis propagatorem, numquam volo cognoscere aliqua actione.

Ex his soluta sunt objecta.

QUÆSTIO CCXXVI.

An congrue dicatur : Spiritus sanctus superveniat in te ?

Deinde quæritur de illo quod subditur : *Spiritus sanctus superveniet in te* [1] : quia

1. Illo modo specialissimo tantum Filius fuit in ipsa per præsentiam corporalem.

2. Item, Cum ista adventio sit per Filii humiliationem, potius dixisset : Descendet in te.

3. Item, De Domino legitur, Joan. i, 33 : *Super quem videris Spiritum descendentem*, etc.

4. Item, Luc. iii, 22 : *Spiritus sanctus corporali specie descendit in ipsum.*

5. Item, Quando dictum fuit : *Dominus tecum*, intelligebatur de corporali præsentia : ergo videtur superfluere.

6. Item, De Joanne, Luc. i, 15 : *Spiritu sancto replebitur ex utero matris suæ.* Ergo multo fortius beata Virgo : ergo ista superflua.

7. Item, Glossa dicit, quod Spiritus sanctus castigavit ipsam a sorde vitiorum. Sed nihil de vitiis vel sordibus habuit [2].

QUÆSTIO CCXXVII.

An congrue dicatur : Virtus Altissimi obumbrabit tibi ?

Post hæc quæritur de hoc quod dicit : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* [3]. Christus enim Dei virtus et sapientia non habet obumbrare, sed illuminare : quia est

[1] Luc. i, 35.
[2] Pro solutione objectionum, vide infra post Quæst. CCXXVII.

[3] Luc. i, 35.

lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [1]. Ergo illuminat in summo beatissimam Virginem.

2. Item, Ezechiel. XLIII, 2 : *Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur*, scilicet in templum,... *et terra splendebat a majestate ejus.* Ergo beata Virgo non est obumbrata, sed illuminata.

3. Item, Purgatio ordinatur ad illuminationem, illuminatio ad perfectionem : sed in conceptione perficiebatur in summo : ergo illuminabatur in summo [2].

Responsio ad Quæstiones CCXXVI *et* CCXXVII.

Ad hæc solvendo dicimus, quod *Spiritus timores*, pietatis, scientiæ, fortitudinis, consilii, intellectus, sapientiæ, spiritus veritatis purgans, illuminans, inflammans, perficiens, stabiliens, consecrans, fœcundans, *superveniet*, id est, subito veniet, super illud quod modo est, veniet de superno, veniet plus omnibus, veniet præter solitum, veniet supra merita, et quod veniet plus quam quod venit, quia veniet super naturam venientis, quia numquam recedet, in summo veniet, ad summum actum veniet, super omnes est qui secum veniet Filius Dei : et *virtus Altissimi obumbrabit tibi*, fomitem extinguendo, contra tribulationem protegendo, de carne tua obumbraculum faciendo, illum modum tibi soli notificando, lucem suam in te abscondendo, lucem tuam in mundo pandendo, viatorum refrigerium te faciendo, contra æstum concupiscentiæ te opponendo, lucem corporalis prosperitatis tibi subtrahendo, vitam tuam cum Christo in Deo abscondendo.

Unde Bernardus : « Non dubitat de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim quærit, an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat : Cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud ? Si oportuerit me frangere votum ut pariam talem filium, et gaudeo de filio, et doleo de proposito. Fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, pariam et virgo, quod utique si placuerit ei, impossibile non erit, tunc scio vere, quia *respexit humilitatem ancillæ suæ. Quomodo* ergo *fiet istud, quoniam virum non cognosco ? Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Numquid potuit repelli gratia, et necdum habere Spiritum sanctum, cum ipse sit dator gratiarum ? Si autem Spiritus sanctus in ea erat, quomodo adhuc tamquam noviter superventurus repromittitur ? An forte ideo non dixit simpliciter, veniet in te, sed addit *super*, quia et prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem quam effusurus est super illam ? At vero cum plena jam sit, illud amplius quomodo capere poterit ? Si autem plus aliquid capere potest, quomodo et ante plena fuisse intelligenda est ? An prior quidem gratia ejus tantum repleverat mentem, sequens vero etiam ventrem perfundere debeat, quatenus scilicet plenitudo divinitatis, quæ ante in illa, sicut et in multis sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat ? Ait itaque : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ?* Quid est, *et virtus Altissimi obumbrabit tibi ?* Qui potest capere, capiat. Quis enim excepta fortassis illa quæ hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit,

[1] Joan. I, 9.

[2] Pro solutione istarum objectionum vide infra.

et ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis cui se animate contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit ? Et fortasse propter hoc maxime dictum est : *Obumbrabit tibi,* quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se trinitas in sola et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicitur ergo : *Spiritus sanctus superveniet in te,* qui utique sua potentia fœcundabit te. Et *virtus Altissimi obumbrabit tibi,* hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus et Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget et occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur et tibi. Ac si Angelus respondeat ad Virginem : Quid a me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies, et feliciter scies, sed illo doctore, quo et auctore. Ego autem missus sum nuntiare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri nisi a donante : nec potest addisci nisi a suscipiente. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod est dicere : Quoniam non est de homine, sed de Spiritu sancto quod concipies, concipies autem Altissimi virtutem, id est, Filium Dei : *ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei,* id est, non solum qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur Filius Dei, quemadmodum et is qui a Patre est ante sæcula genitus, tuus quoque amodo reputabitur filius. Sic autem et quod natum est ex Patre, et quod nascetur ex te, erit ejus : ut tamen non sint duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque erit filius. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*[1]. »

QUÆSTIO CCXXVIII.

An congrue dicatur : Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei ?

Post hæc quæritur de hoc quod sequitur : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*[2].

1. Cum enim natura non nascatur, sed persona, videtur quod dixisse debuisset : Qui ex te nascetur.

2. Item, Etiam oratio videtur incongrua, Filius est sanctum.

3. Item, *Filius Dei* est commune multis.

Quod bene solvit Bernardus : « Ut quid enim ita simpliciter *sanctum* et absque additamento? Credo quia non habuit quid proprie digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima unico Patri erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, Solutio.

[1] S. Bernardus, Homilia 4 super *Missus est.*

[2] Luc. I, 35.

quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite *sanctum* : quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem. »

QUÆSTIO CCXXIX.

Cum dicitur : Ecce Elisabeth, cognata tua, quare vel ad quid inducitur?

Post hæc quæritur de hoc quod dicitur : *Ecce Elisabeth, cognata tua* [1], etc., quare vel ad quid inducitur?

Et videtur, quod ad certificandum dominam de prædictis.

Unde, Glossa Bedæ : « Ne virgo desperet de partu, accipit exemplum sterilis. »

Item, Alia Glossa : Quasi dicat : « Non debes hæsitare : quia cognata tua, etc. »

Contra :

1. Alia Glossa : « Non quasi incredulam exemplis hortatur ad fidem, sed credenti quæ audierat, ampliora replicat mysteria, ut quæ Deum virgo erat paritura, præcursorem quoque de anu sterili nasciturum agnosceret. »

2. Item, Si illa est exemplum promissi, hoc non videtur simile : quomodo enim hoc probaret propositum, vel quæ esset consequentia, si vetula de vetulo concipit hominem : ergo virgo sine viro concipiet et pariet Deum et hominem.

3. Item, Illud posset eam in credendo potius impedire, cum non duceret nisi in simile [2].

QUÆSTIO CCXXX.

Utrum bene dicatur : Non erit impossibile apud Deum omne verbum?

Post hæc quæritur de hoc quod dicit : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum* [1].

Et videtur esse falsum : quia Deum non esse, est verbum : et tamen est impossibile apud Deum

[1] Luc. i, 36.

[2] Pro solutione objectionum, vide infra post quæst. CCXXX.

[1] Luc. i, 37.

Item, De illo quod dicit : *Fiat mihi secundum verbum tuum* [1] : quare dicit *tuum*, cum non sit suum, sed Dei fuerit verbum [2].

Responsio ad Quæstiones

CCXXIX ET CCXXX.

Ad hæc dicimus secundum Bernardum, quod quatuor de causis hic inducitur conceptio Elisabeth. Dicit enim sic : « Quid fuit necesse etiam hujus sterilis Virgini nuntiare conceptum ? Numquid forte dubiam adhuc et incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo ? Absit. Legimus et Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso Angelo fuisse castigatam : Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus, quin potius fidem ipsius Elisabeth prophetante laudatam agnovimus. *Beata*, inquit, *quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino* [3]. Sed ideo sterilis cognatæ conceptus Virgini nuntiatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio accumuletur. Porro necesse erat non modico lætitiæ et amoris præveniente inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo, tanta se capere poterat dulcedinis et alacritatis affluentia.

« Vel ideo conceptus Elisabeth nuntiatur Mariæ : quia profecto decebat ut verbum mox divulgandum ubique, prius sciret Virgo per Angelum, quam audiret ab homine : ne mater videlicet Dei a consiliis videretur amota, si eorum quæ in terris tam prope gererentur, remansisset ignara.

« Vel ideo potius conceptus Elisabeth Mariæ nuntiatus est, ut dum nunc Salvatoris, nunc præcursoris edocetur adventum, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus ac prædicatoribus Evangelii referret veritatem, quæ et plene de omnibus a principio cœlitus fuerit instructa mysteriis.

« Vel ideo adhuc nuntiatur Mariæ conceptus Elisabeth, ut audiens cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvencula de obsequio, sicque illa properante ad visitandum, parvulo prophetæ locus et occasio detur, quo minori adhuc Domino sui officii valeat exhibere primitias : et dum ad se invicem occurrit matrum infantiumque ab alterutro excitata devotio, mirabilius fiat miraculum de miraculo. »

[1] Luc. I, 38.
[2] Pro solutione objectorum vide immediate infra.
[3] Luc. I, 45.

INDEX

Quæstionum super Evangelium, Missus est.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN QUÆSTIONIBUS

SUPER MISSUS CONTINENTUR.

N.-B. — **Numerus prior romanus signat quæstiones, posterior vero arabicus paragraphos. Quandoque inveniuntur expositiones rerum post aliquas quæstiones in** *solutionibus objectorum vel responsionibus.*

B

C

D

G

H

I

J

L

P

R

S

T

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

Qui in Quæstionibus

SUPER MISSUS EXPLICANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

EXODI.

NUMERORUM.

DEUTERONOMII.

II REGUM.

ESTHER.

PSALMORUM.

PROVERBIORUM.

CANTICORUM

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

EZECHIELIS.

ZACHARIÆ.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆI.

MARCI.

LUCÆ.

JOANNIS.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

JACOBI.

I PETRI.

APOCALYPSIS.

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

BIBLIA MARIANA.

INCIPIT LIB. GENESIS.

In principio creavit Deus cœlum, et terram[1].

Cœlum, scilicet empyreum, per quod intelligitur Domina mundi, Virgo Maria. Est enim similis cœlo multis de causis, quarum una ponitur in historia. Empyreum etenim quam cito factum est, statim dispositum est, ordinatum est, quod non alii cœli. Sic ipsa in gratia, et sanctificatione. (Require in titulo de *cœlo).*

Ipsa etiam dicitur *lux*. Genes. I, 2 : *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Glossa : « *Tenebræ* ignorantiæ et cæcitatis, *super faciem* cordis humani. »

Dixitque Deus : Fiat lux[2], id est, Maria generetur, et nascatur. Glossa : « Ab æterna luce primo fiat temporalis lux, ut per eam cætera videantur. » Lux enim a luendo dicitur, id est, purgando tenebras hæreticorum, et peccatorum.

Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona[3]. Lux enim multa bona facit. (Require in titulo de *luce*, et adapta.)

Appellavitque lucem Diem[4], id est Mariam, hoc nomen ei est in æternum. Ipsa enim optime *dies* dicitur, et Heva *nox*. Glossa : « Deus a luce opera sua inchoavit. »

Ipsa etiam est terra fructificans[5], id 3.
est, Christum in nativitate. Glossa : « Pabulum Verbi opera misericordiæ. » *Et lignum pomiferum faciens fructum*[6], etc. : ipse enim Jesus fuit herba viridis

[1] Genes. I, 1.
[2] Ibid., ỳ. 3.
[3] Ibid., ỳỳ. 3 et 4.
[4] Ibid., ỳ. 4.
[5] Ibid., ỳ. 11.
[6] Ibid.

in nativitate, lignum vero faciens fructum in passione.

4. Ipsa est etiam dies completionis operum Domini. Genes. ii, 2 : *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat.* Glossa : « Quia ipsam benedixit et sanctificavit. » Opus enim suum est benedictio, et sanctificatio. *Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Glossa : « Quia creaturis rationalibus in se requiem dedit. »

5. Ipsa est fons irrigationis peccatorum per peccatum aridorum. Genes. ii, 6 : *Fons*, id est Maria, *ascendebat*, in nativitate quando nata fuit, vel in assumptione, *e terra* miseriæ et tenebrarum, *irrigans* gratia, venia, gloria, *universam superficiem terræ*.

6. Ipsa est etiam paradisus plantationis. Genes. ii, 8 : *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis*, id est, Mariam, *a principio : in quo posuit hominem*, id est, Christum, *quem formaverat*, in quantum est homo, in incarnatione. Glossa : « Paradisus est hortus deliciarum, qui factus est remotis aquis a superficie terræ, et est altus locus, quia aquæ diluvii illuc non pervenerunt. » Nota de sanctificatione ejus.

7. Ipsa est fluvius jucunditatis. Genes. ii, 10 et seq. : *Fluvius*, id est, affluentia æternæ jucunditatis, *egrediebatur*, scilicet in nativitate, *de loco voluptatis*. Glossa : « A paterno fonte : » *ad irrigandum paradisum*. Glossa : id est, Ecclesiam. *Nomen uni Phison*. Glossa : id est, oris mutatio : quia mutavit nobis os severitatis, in os benignitatis. *Nomen fluvii secundi Gehon*. Glossa : id est, hiatus terræ, quia in se ampliavit et dilatavit per desiderium Sanctorum. Hiatio est ad percipiendam pro nobis abundantiam gratiarum, insuper et nos hiare facit, et Filium suum ad nos. *Nomen fluminis tertii Tygris*. Glossa : id est, velocitas in auxilii subventione, in consolationis exhibitione, pro peccatoribus ad Deum interpellatione. *Fluvius quartus, ipse est Euphrates.* Glossa : id est, frugifera in omni gratiarum repletione, et quantum ad nos largissima communicatione.

Ipsa est etiam adjutrix nostræ redemptionis. Genes. ii, 20 : *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus :* quia *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*[1].

Dixit ergo Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum[2], id est Christum. *Faciamus ei* creando, et in mundum producendo, *adjutorium simile sibi*, id est, Mariam.

Ipsa etiam est contus contritionis diaboli. Genes. iii, 15 : *Inimicitias ponam* magnas, et implacabiles, *inter te et mulierem : ... ipsa conteret caput tuum.* Glossa : quod est mors.

Ipsa est etiam mater vitæ. Genes. iii, 20 : *Vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva, eo quod mater esset cunctarum gentium*, id est, cunctorum bene operantium, quibus contraria sunt peccata, quæ dicuntur mortalia.

Ipsa etiam est arca salvationis. Genes. vi, 13 et seq. : *Dixit Dominus ad Noe : Finis universæ carnis venit coram me.* Glossa : id est, omnium mortalium, præter eos, qui salvandi erant in arca. *Fac tibi arcam*, id est, Mariam, quod respicit ejus nativitatem, *de lignis levigatis*, id est, quadratis, et bituminatis, et politis, ne quid inhæreat (hæc nota de sanctificatione ejus), et fortibus, et insolubilibus, ut nec vi ventorum, nec inundatione solvatur. Talis est Domina nostra.

Mansiunculas in arca facies. Glossa : Diversos ordines vitæ : ipsa enim habet

[1] Psal. xiii, 3.

[2] Genes. ii, 18.

ordines Conjugatorum, Viduarum, Virginum. *Et bitumine*, id est, dilectionis ardore, *linies intrinsecus et extrinsecus.* Glossa : ne dissolvatur intus, vel foris.

Fenestram in arca facies. Glossa : ad emittendum corvum, vel columbam. Hæc fenestra dicitur diluculum meridianum, dicitur et crystallina. *Et in cubito consummabis summitatem ejus.* Glossa : Cubitus unus, charitas est.

Bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere[1]. Glossa : ne diluvio pereant.

Ipsa etiam post Deum est principium omnis gratiæ in nobis. Genes. VII, 11 : *Anno sexcentesimo vitæ Noe*, id est, Christi, qui intravit in arcam, id est, in uterum Virginis Mariæ, quod factum est in incarnatione, *rupti sunt omnes fontes*, id est, gratiarum, *abyssi magnæ*, quando gratiarum diluvium Mariæ inundavit, et diabolus est submersus, et peccata deleta.

Ipsa etiam per adventum suum in mundum, quando nata est, *ramum olivæ*[2], id est, pacis inter nos et Deum attulit. Genes. VIII, 11 : *Columba*, id est, Maria, quæ columbæ comparatur, *venit ad eum*, scilicet ad Noe, *ad vesperam*, scilicet in fine mundi, *portans ramum olivæ*, id est, pacis inter nos. Glossa : « Refectionis et luminis. » *Virentibus foliis in ore suo*, quando dixit : *Ecce ancilla*[3]. *Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ* indignationis et furoris Dei, *super terram.*

Ipsa etiam altare propitiationis est, et placationis Dei. Genes. VIII, 20 et 21 : *Ædificavit Noe altare Domino*, id est, Mariam : *et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines... Non igitur ultra percutiam.* Glossa : temporali judicio, *omnem animam viventem, sicut feci* : sed Maria precante parcam omni veniam quærenti.

Ipsa est etiam signum securitatis formidoloso peccatori. Genes. IX, 12 et 13 : 15.
Hoc signum fœderis, quod do inter me et vos :... arcum meum. Glossa : qui habuit duos colores, cæruleum extrinsecus, et igneum intrinsecus, *ponam in nubibus.* Hoc pono mihi signum securitatis in nubibus cœli, ne homines formidolosi timeant altero deleri diluvio pluviarum. Arcus non est, nisi ex radiis solis, et humida nube.

Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus, id est, Maria, *in nubibus* : *et recordabor fœderis mei vobiscum :... et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam universam carnem*[4], id est, peccatores.

Ipsa etiam est humilitatis nostræ exal- 16.
tatrix, quia soror et neptis nostra est. Genes. XII, 11 et seq. : *Cumque prope esset ut ingrederetur Abram Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ : Novi quod pulchra sis mulier, ...et Ægyptii interficient me, et te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui.* Et in fine capitis XX, 13 : *Hanc misericordiam facias mecum : in omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim.*

Ipsa etiam vocatur mater gaudii, et 17.
exsultationis. Genes. XXI, 1 et seq. : *Visitavit Dominus Saram*, id est, Mariam. Glossa : quod interpretatur princeps. *Et implevit quæ locutus est.* Glossa : per Prophetas. *Concepit et peperit filium in senectute sua.* Glossa : id est, novissimis temporibus, Christum.

[1] Genes. VI, 20.
[2] Genes. VIII, 11.
[3] Luc. I, 38.
[4] Genes. IX, 14 et 15.

Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac, id est, gaudium, quia in nativitate Christi gavisi sunt pastores, et Angeli[1].

Dixitque Sara, id est, Maria : *Risum fecit mihi Deus*, sed Heva planctum : *quicumque audierit* peccator, justus, Angelus, *corridebit mihi*, id est, congaudebit, quia peperi Angelo lætitiam, justo gratiam, peccatori veniam.

Rursumque ait : Quis auditurum crederet Abraham quod Sara, id est, paupercula Maria, *lactaret filium, quem peperit ei jam seni?* lactem eum, qui lactat omnia : portem eum, qui portat omnia. Glossa : « Hæc est commendatio gratiæ. »

18. Ipsa etiam est princeps omnium creaturarum, quantum ad defensionem, cohortationem, et commissionem. Genes. XVII, 15 : *Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai*, id est, princeps mea, et quasi unius gentis, *sed Saram*, id est princeps absolute, quasi omnium princeps. Dicet enim huic : *Vade, et vadit : et alii : Veni, et venit*[2]. De hoc principatu, dicit Pharao ad Joseph, Genes. XLI, 40 : *Uno tantum regni solio te præcedam*. Et infra, ℣. 44 : *Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem*, etc.

19. Ipsa etiam est fontis vitæ haustrium, animarum sitibundarum refocillatrix. Genes. XXIV, 15 et seq. : *Rebecca*, quæ interpretatur *patientia*, id est, Maria, *egrediebatur*, scilicet in nativitate, quando nata est, *habens hydriam in scapula sua*. Glossa : « Verbum Dei humiliter susceptura : » *puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro : descenderat autem ad fontem*. Glossa : Vitæ, ad quem se inclinaverat hauriendum, *et impleverat hydriam*, scilicet cordis, gratia, venia, gloria.

Occurritque ei servus, et ait : Paurillum aquæ mihi ad bibendum. Glossa : de salute animæ, *præbe de hydria tua* : quia de mundi hydria, hausi vanitatem, de hydria diaboli iniquitatem. *Quæ respondit : Bibe, domine mi : celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, et dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adjecit : Quin et camelis tuis hauriam aquam* gratiæ, veniæ, lætitiæ, *donec cuncti bibant*. Cantic. V, 1 : *Bibite, et inebriamini, carissimi*, etc. Haustum igitur omnibus camelis dedit, unde et largissima est.

Ipsa est etiam vagantium animarum hospitatrix. Genes. XXIV, 23 et seq. : *Dixit Eliezer ad Rebeccam : Cujus es filia? indica mihi : est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit : Filia sum Bathuelis... Palearum quoque et feni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum*. Glossa : « Per latitudinem charitatis. »

Et ait Laban frater Rebeccæ : *Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas? præparavi domum, et locum camelis. Et introduxit eum in hospitium*[3]. Rebecca etiam Maria, frater Rebeccæ, Christus, qui nos in regnum introduxit.

Ipsa etiam est sponsa, et mater propitiationis, quam præparavit ab æterno, Filio in matrem, reo in reconciliationem, justo in præmium. Genes. XXIV, 42 et seq. : Dixit Eliezer : *Veni hodie ad fontem aquæ, et dixi : .... Virgo quæ audierit a me : Da mihi paurillum aquæ ad bibendum ex hydria tua, et dixerit mihi : Et tu bibe, et camelis tuis hauriam, ipsa est mulier quam præparavit Dominus filio domini mei*. Unde ipsa dicere potest : *Ab æterno ordinata sum*[4].

Ipsa etiam est soror nostræ profes-

[1] Luc. II, 8 et seq.
[2] Matth. VIII, 9.

[3] Genes. XXIV, 31 et 32.
[4] Proverb. VIII, 23.

sionis, defensionis, fidelitatis, et exaltationis. Genes. xxiv, 59 et seq. : *Dimiserunt ergo eam,* scilicet quando assumpta est a nobis in cœlum, imprecantes prospera sorori suæ, dicentes : *Soror nostra es* ex humanitate, fidelitate, et dignitate, *crescas in mille millia,* ultra omnes choros Angelorum ascendendo, *et possideat semen tuum,* id est, nos vermiculi, *portas* empyrei, *inimicorum suorum,* dæmonum, qui inde ejecti sunt.

Ipsa est etiam æternæ benedictionis procuratrix. Genes. xxvii, 13 et seq., dixit mater Rebecca ad Jacob : *In me sit, ait, ista maledictio, fili mi : tantum audi vocem meam,* monentis, consulentis, vocantis : *et pergens affer quæ dixi,* si quo modo hanc benedictionem promearis.

Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni. Glossa : Pleni virtutibus, *cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli.* Glossa : id est, de contemplatione, *et de pinguedine terræ,* bonorum operum, *abundantiam, frumenti,* scilicet charitatis, *et vini,* fervoris Spiritus sancti, *et olei,* misericordiæ. Hæc tria perfectissime in se habuit beata Virgo, et illa etiam nobis procurat.

Ipsa etiam est scala ascensionis de culpa ad gratiam, de mundo ad cœlum. Genes. xxviii, 12 et 13 : *Vidit Jacob in somnis scalam,* id est, Mariam. Per eam enim descendit Filius Dei ad nos, et nos per ad eam eum. *Stantem super terram* : licet sedeat in throno, ad proficiendum tamen peccatoribus, vicina est : *et cacumen illius tangens cœlum* : quia licet humillima sit, subtilissima tamen est, in ipsam Trinitatem attingens. *Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam* : *et Dominum innixum scalæ,* ex ea carnem sumendo, nos per eam ad se trahendo.

Ipsa etiam est porta regni, et nostræ ingressionis in regnum. Genes. xxviii, 16, Jacob ait : *Vere Dominus est in loco isto.* Et infra, ℣. 17 : *Quam terribilis est locus iste* dæmonibus, amabilis hominibus, delectabilis Deo ! *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli* : quia inde aditus est ad regnum cœlorum. 25.

Ipsa etiam est aurora illuminationis. Aurora est lux infusa vapori terrestri. Genes. xxxii, 26 et 27, dicit Angelus ad Jacob : *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Jam ascendit per nativitatem, in mundo apparendo, vel in assumptione, ad cœlos pergendo, aurora, id est, Maria. Respondit : *Non dimittam te,* etc. Et ait Angelus : *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel* [1]. 26.

Ipsa est etiam plenitudo perfectissima omnium gratiarum post Dominum. Genes. xli, 5 : *Septem spicæ.* Glossa : id est, spiritualia dona, *pullulabant in culmo uno,* id est, Maria, *plenæ atque formosæ,* quibus larga pietate redundat. 27.

Ipsa est etiam horreum sanctitatis, contra famen mortis. Genes. xli, 33 et seq : *Provideat rex,* id est, Deus Pater, *virum sapientem et industrium,* scilicet Filium suum Christum, *et præficiat eum* secundum humanitatem, *terræ Ægypti,* id est, mundo, *qui... quintam partem fructum* gratiarum *per septem annos fertilitatis,* scilicet tempore gratiæ, *congreget in horrea,* totius æternitatis, id est, Mariam. *Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum.* Quæ scilicet erit in gehenna. 28.

Aperuitque Joseph, id est, Christus, *universa horrea,* scilicet Mariam in annuntiatione, quæ plena est secundum dicta Gabrielis, Luc. i, 28 : *Ave, gratia plena,* in passione seipsum, in ascensione cœlum empyreum. *Et vendebat*

[1] Genes. xxxii, 28.

Ægyptiis[1]. Glossa : Pretio salutis eorum.

Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis : Quare negligitis, etc.[2] ?

29. Ipsa est etiam terra sacerdotalis, scilicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quæ semper libera fuit, et est a conditione actualis peccati, tam venialis, quam mortalis. Genes. XLVIII, 22, dixit Jacob, id est, Deus Pater, ad Joseph, id est, ad Christum : *Do tibi partem unam*, id est, Mariam, quæ acceptæ actionis in omnibus est, *quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo*. Nota hic de sanctificatione ejus.

Ipsa est etiam mater benedictionis. Genes. XLIV, 25 et 26 : O Maria, *Deus patris tui, erit adjutor tuus*, supra, et infra, intus, et extra, a dextris, et a sinistris. *Et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper*. Glossa : Subjiciens tibi omnia cœlestia, et terrestria, ut Angelis et hominibus domineris. *Benedictionibus abyssi jacentis deorsum*, ut et in Purgatorio domineris. *Benedictionibus uberum*. Glossa : Potum lactis Domino ministrantium. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus*. Glossa : Omnium meritis Patriarcharum et Prophetarum, ut nullus tibi comparetur.

LIBER EXODI.

Hæc sunt nomina filiorum Israel[3].

1. Beatissima Domina regina cœli, mater Dei dicitur *fiscella absconsionis*[4] : unde cum jam tempore gratiæ *celare non posset*, scilicet Deus Pater, quin Filium suum a sæculis absconditum mundo manifestaret, *sumpsit fiscellam scirpeam*, id est, Mariam, *et linivit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum*, id est, Christum, in incarnatione, *et exposuit eum in carecto ripæ*, ubi eminus accessus est. Expedit enim res aliqua quandoque ad ostendendum, quandoque ad vendendum, quandoque ad dandum. Sic Christus.

2. Ipsa est etiam rubus apparitionis. Exodi, III, 2 : *Apparuit ei* (Moysi) *Dominus in flamma ignis de medio rubi*, id est, Mariæ : *et videbat quod arderet, et non combureretur*.

Ipsa est etiam virga divisionis. Exod. XIV, 15 et 16 : *Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel ut proficiscantur : tu autem eleva virgam tuam*, id est, Mariam, per devotionem, *et extende manum tuam super mare* omnium tribulationum, et tentationum. *Et divide illud*. Glossa : Fluctus contradicentium, *ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum*.

[1] Genes. XLI, 56.
[2] Genes. XLII, 1.
[3] Exod. I, 1.
[4] Exod. II, 3.

Ipsa est etiam virga concussionis, quæ gratiam nobis apud Christum impetrat. Exodi, XVII, 3 et seq : *Sitivit populus præ aquæ penuria... Et ait Dominus ad Moysen* : *Tolle virgam*, id est, Mariam, *percutiesque petram*, id est, Christum. ipsum per eam impulsando : *et exibit ex ea aqua, ut bibat populus.*

Ipsa est etiam dulcificatrix omnium amaritudinum. Exod. XV, 23 et seq. : *Non poterant bibere aquas, eo quod essent amaræ.* Glossa : id est, tribulationes, sed Dominus *ostendit ei* (Moysi) *lignum*, id est, Mariam, istam habens vim, *quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.*

Ipsa est etiam vas refectionis. Exod. XVI, 33 : *Sume vas unum*, id est, Mariam, *et mitte ibi Man*, id est, Christum Deum, et hominem, quod factum est in incarnatione, *et repone coram Domino* ad servandum. Glossa : in memoriam æternam.

Ipsa est etiam mons habitationis in incarnatione. Exod. XIX, 18 : *Totus mons Sinai*, id est, Maria, *fumabat* gratia, et devotione, *eo quod descendisset Dominus super eum in igne* Spiritus sancti : *et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace* : *eratque omnis mons terribilis*, scilicet diabolo, et omnibus Sanctis.

Exod. XXIV, 16 : *Habitavit gloria Domini super Sinai*, id est, Mariam. Glossa : id est, super mensuram meam, vel amphoram meam : ipsa enim et mensura Dei, et nostra est, et amphora liberationis, *tegens illum nube.* Glossa : divina protectione, *sex diebus.* Glossa : quia sex diebus operari jubemur.

Ipsa est et propitiatorium veniæ. Exod. XXV, 17 et seq. : *Facies propitiatorium*, id est, Mariam, *de auro mundissimo*, quia in utero matris plusquam alii, fuit sanctificata. *Inde præcipiam, et loquar ad te*, etc. *Facies et mensam* : ...*faciesque illi labium aureum.* Glossa : quia omnia nociva, et otiosa redarguit. *Et pones super mensam panes propositionis.* Unde et mensa satietatis dicitur.

Ipsa est etiam candelabrum illuminationis. Exod. XXV, 31 et seq. : *Facies candelabrum ductile.* Glossa : malleis passionis. *Et lucernas septem.* Glossa : Septem dona Spiritus sancti : *et pones eas super candelabrum*, id est, Mariam, *ut luceant.* Glossa : ad illustrandum tabernaculum. 9.

Ipsa est velum hyacinthinum [1], quo velatus fuit Filius Dei, et nos velamur a diabolo, et peccato, et ira Dei. 10.

Ipsa est etiam altare holocausti [2], quantum ad passionem. Et altare thymiamatis [3], quantum ad devotionem et contemplationem. 11.

Ipsa est etiam reconciliatrix, quod officium assumpsit, maxime in cœlum ascendens. Unde designat eam Moyses, Exod. XXXII, 30, qui dixit ad populum, qui adoraverat vitulum : *Peccastis peccatum maximum.* Peccastis, dicit Virgo nostra, facillime, stultissime, verecundissime, multiplicissime, avarissime, insolubilissime. *Ascendam ad Dominum* misericorditer, fideliter, solemniter, *si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Glossa : quod tantum est. Sed nota, quod Moyses orabat, ut peccator, et servus. Unde et dicebat, Exod. XXXII, 13 : *Recordare Abraham, Isaac, et Israel.* Ecce quia pro se patres diligenter inducit. Sed Maria orat ut filia, jubet ut soror, imperat ut mater. III Regum, II, 12.

[1] Exod. XXVI, passim.
[2] Exod. XXXV, 15 et alibi.
[3] Ibid., ỷ. 16.

20 : *Pete, mater mea : neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* Unde in Vigilia assumptionis ejus orat Ecclesia in secreta, dicens : « Munera nostra apud clementiam tuam Dei genitricis commendet oratio, quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. »

13. Ipsa est etiam tabernaculum repletionis. Exod. xl, 31 et 32 : *Postquam omnia perfecta sunt*, ut scilicet Deus fieret homo, et homo Deus, *operuit nubes*, id est, Spiritus sanctus, *tabernaculum testimonii*, id est, Mariam. Luc. i, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc.

Et gloria Domini implevit illud, id est, Christus seipso ad generis humani redemptionem, gratia ad justorum confirmationem, venia ad reorum reconciliationem, gaudio ad tristium consolationem, ut non sit *qui se abscondat a calore ejus* [1].

LIBER LEVITICI.

Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus, etc. [2].

1. Regina mundi dicitur ostium præsentationis, ad quod omnis peccator præsentari debet. Levit. i, 2 : *Homo qui obtulerit.* Glossa : voluntarie, *hostiam Domino*, ad placandum sibi Deum, *offeret* primo *ad ostium tabernaculi*, id est, ad Mariam. Unde Bernardus in Sermone de Nativitate B. Virginis : « Quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, etc. »

2. Item, Ipsa est ostium mundationis. Levit. xiv, 11 et seq., leprosus, id est, peccator, mundatur ad ostium tabernaculi per agnum et oleum, id est, pinguedinem Dei, misericordiam, et gratiam. *Et asperget* oleo sacerdos leprosum *septies coram Domino*. Glossa : Ut ejiciantur septem dæmonia, et ut recipiat Spiritum sanctum.

3. Item, Ipsa est arbor ebans, et obumbrans. Levit. xxiii, 40 et seq. : *Sumetis vobis fructus*, id est, Christi, *arboris pulcherrimæ*, id est, Mariæ, *spatulasque palmarum*. Glossa : id est, ramos continentiæ, et castitatis conjugii. *Et ramos ligni densarum frondium*. Glossa : Omnium virtutum, scilicet fructus, sed maxime misericordiam, quam oportet esse continuam, et permanentem. *Et habitabitis in umbraculis septem diebus.* Glossa : Tota vita pro umbraculo septem dierum habetur.

Item, Ipsa est annus, et tempus propitiationis. Levit. xxv, 9 et seq. : *Clanges buccina mense septimo, decima die mensis, tempore propitiationis*, etc. Glossa : Quia genus humanum bonitate, et clementia a corruptione liberatur, quibus in Adam dictum est : *Pulvis es, et in pulverem reverteris* [3].

Sanctificabisque annum quinquage-

[1] Psal. xviii, 7.
[2] Levit. i, 1.
[3] Genes. iii, 19.

simum, id est, Mariam, *et vocabis remissionem*. Glossa : omnium peccatorum, omnium laborum : *cunctis habitatoribus terræ tuæ*, non solum cœli, sed et terræ. *Revertetur* enim *homo*, scilicet peccator, *ad possessionem suam*. Glossa : paradisum, *et unusquisque rediet ad familiam pristinam*. Glossa : Patriarcharum, et Prophetarum.

Item, Ipsa est tabernaculum unionis inter nos et Deum. Levit. xxvi, 11 et seq. : *Ponam* firmiter *tabernaculum meum in medio vestri. Tabernaculum*, id est, Mariam, quod est *meum* sanctitate *meum* firmitate, *meum* fidelitate, *meum* amplitudine, *meum* largitate, et hoc *in medio vestri*, quia communis est. *Et non abjiciet vos anima mea*. Glossa : Audeo, et dico, quia anima Dei Christus est. Ac si dicat : Non abjiciet vos Filius meus.

Ambulabo inter vos. Glossa : homo factus. *Et ero Deus vester*, protegens, liberans, salvans, coronans. *Vosque eritis populus meus*, me timendo, ut Dominum : me amando, ut Deum : me laudando, ut creatorem.

LIBER NUMERI.

Locutus est Dominus ad Moysen [1].

Regina mundi, Domina cœli, Mater Dei, dicitur mater occultationis, et involutionis : involvit enim Filium Dei nostra humanitate, peccatores miseratione, justos et servos Dei protectione. Numer. iv, 6 et seq.: *Extendent pallium totum hyacinthinum*, id est, Mariam. Nota officium pallii, et Virgini adapta.

Operient candelabrum, id est, Christum in incarnatione. *Omnia vasa, quibus ministratur sanctuario*, id est, omnes servos Christi, qui serviunt Deo, *involvent haycinthino pallio*, quia ipsa proteget omnes servientes Filio suo.

Ipsa est etiam tabernaculum peccatorum, quod sanctificatum est ad aliorum emundationem : quod completum est ad pauperum ditationem : quod erectum est ad abjectorum exaltationem : sanctificatum in conceptione, et nativitate : completum in Filii Dei incarnatione : erectum in ipsius gloriosa assumptione. De his tribus, Numer. vii, 1 : *Moyses*. Glossa : id est, Christus, *in die qua complevit tabernaculum*, ipsam omni gratia replendo. Luc. i, 28 : *Ave, gratia plena. Et erexit illud*. Glossa : gloria spirituali.

Et, ibidem, ix, 15 : *Die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes*. Glossa : Incarnatio Christi, cujus clementia tabernaculum Ecclesiæ protegit, bonitas disponit, prudentia in via hujus sæculi transitum dirigit.

Item, Ipsa est nubes umbrationis, et ductionis. Numer. x, 11 et seq.: *Elevata est nubes*, Maria. (Require de nube.) *Elevata*, inquam, in assumptione, *de tabernaculo fœderis*, id est, de militante 3.

[1] Numer. i, 1.

Ecclesia. *Et recubuit nubes in solitudine Pharan.* Glossa : quod interpretatur onager, vel fertilitas. *Moveruntque castra filii Juda per turmas suas.* Nihil enim aliud restat, nisi eam sequi. Unde, Eccli. xxiv, 26, ipsa clamat : *Transite ad me, omnes*, etc. Et nos clamare debemus : *Trahe me post te* [1].

4. Item, Ipsa tamquam arca fœderis præcessit nos in cœlum, ad præparandum nobis locum. Numer. x, 33 et 34 : *Arca fœderis Domini*, id est, Maria, *præcedebat eos*, quod factum est in assumptione, *per dies tres providens locum castrorum. Nubes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent.* Glossa : Protectio divina, id est, Spiritus sancti gratia, electos ab initio defendit, et ad futuram quietem custodit.

5. Item, Ipsa est tuba convocationis ad veniendum, tuba hortationis ad bellandum, tuba jubilationis ad epulandum. Numer. x, 4 et seq. : *Si semel clangueris*, scilicet tuba, *venient ad te principes...* : *Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi*, etc. *Si exieritis ad bellum..., clangetis ululantibus tubis*, etc. *Si quando habebitis epulum, et dies festos et calendas, canetis tubis*, etc.

6. Item, Ipsa est tabernaculum protectionis in omni tribulatione. Numer. xvi, 43 : *Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis*, cum vellet eos omnis multitudo occidere. *Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini.* Glossa : Discamus ex hoc, quanta sit utilitas Christianis, quomodo protegat eos Deus in tribulatione. Tunc enim maxime adest gratia Dei, cum hominum sævitia concitatur. Et quamvis Sancti magni meriti sint, non apparet eis gloria Domini, nisi in periculo, et pene in ipsa morte.

Item, Ipsa est virga florens. Numer. xvii, 8, Moyses invenit in tabernaculo Domini *germinasse virgam Aaron*, id est, Mariam : quod factum est, cum peperit Filium, virgo manens : *et turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.*

Ipsa est etiam petra refocillationis. Numer. xx, 8 et seq. : *Dixit Dominus ad Moysen : Loquimini ad petram*, id est, Mariam, *et illa dabit aquas* gratiarum limpidissimarum. *Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ.* Glossa : « spiritualis gratiæ, » *largissimæ, ita ut populus biberet, et jumenta.* Glossa : « Quia nulli denegat gratiam postulanti. »

Item, Ipsa est fons et puteus totius consolationis. Numer. xxi, 13, 16 et seq. : *Filii Israel castrametati sunt contra Arnon.* Glossa : id est, contra maledictionem. *Et ex eo loco apparuit*, per nativitatem, *puteus*, id est, Maria, *super quo locutus est Dominus ad Moysen : Congrega populum, et dabo ei aquam. Tunc cecinit Israel*, per gratiarum actionem, *carmen istud : Ascendat puteus*, id est, Maria per nativitatem in mundo apparendo, vel per assumptionem in cœlum, gratiarum profluviis nos perfundendo. *Concinebant* hilariter, unanimiter, et fortiter : *Puteus, quem foderunt Principes.* Glossa : « Prophetæ propter nuntiationem, Patriarchæ per exhibitionem, Apostoli per ostensionem, » *et paraverunt duces*, id est, reges.

Item, Ipsa est stella illuminationis. Numer. xxiv, 17 : *Orietur*, scilicet per nativitatem, *stella*, id est, Maria, quæ bene comparatur stellæ maris, *ex Jacob, et consurget virga*, id est, Christus, *de Israel*, scilicet de radice Jesse [2] : *et percutiet duces Moab*, id est, dæmones a peccatis liberans nos, et salvans.

[1] Cantic. i, 3.

[2] Isa. xi, 1.

LIBER DEUTERONOMII.

Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses[1].

Beatissima Domina, Virgo Maria, dicitur infirmarum animarum portatrix. Portavit enim Filium Dei pro nobis in utero sanctitatis, et nos portat in utero miserationis. Deuter. I, 31: *Portavit te Dominus Deus tuus,* et non solum ipse, sed et Dei genitrix Virgo pia, *ut solet homo gestare parvulum filium suum.* Glossa: « quem tenerrime diligit, nec laborare permittit. » *In omni via per quam ambulastis.* Glossa: «Numquam defuit,» *donec veniretis ad locum istum.*

Item, Ipsa est terra optima, non germinans spinas, et tribulos, ad colendum facillima, fertilissima, quia profert Deum et hominem. Deuter. VIII, 10: *Benedicas Domino.* Glossa: gratias agendo, *pro terra optima,* id est, Maria, *quam dedit tibi* Deus, ut alaris, et diteris, et lauderis.

Item, Ipsa est soror nostræ paupertatis. Unde tenetur nobis ex constitutione legis subvenire. Deuter. XV, 9 et 11: *Non avertas oculos,* miserationis tuæ, o Maria, *a paupere fratre tuo,* scilicet peccatore, qui licet peccator et pauper sit, tamen frater tuus est per naturam. *Non* enim *deerunt pauperes in terra habitationis tuæ,* id est, in mundo. Non enim possunt esse divites sicut tu, cui dictum est: *Ave, gratia plena*[2]. *Idcirco ego præcipio tibi, ut aperias* festinanter, hilariter, abundanter, *manum* subventionis, defensionis, *fratri tuo egeno et pauperi.* Hoc orat Psalmista, Psal. CIII, 28: *Aperiente te manum tuam,* etc.

Item, Ipsa est altare sanctificationis, 4.
continens dilectionem Dei et proximi. Deuter. XXVII, 5 et 8: *Ædificabis altare Domino in monte Hebal.* Glossa: quod *vorago* interpretatur, *de lapidibus quos ferrum* peccati *non tetigit,* qui immaculati, et non corrupti carne et spiritu, jacula diaboli non susceperunt. Et quis est hic inter puros homines, et laudabimus eum[3]? nisi ipsa sola post Deum excellentissima. *Et scribes super lapides omnia verba legis hujus,* maxime dilectionis Dei et proximi, *plane et lucide.* Scriptor hujus altaris fuit Spiritus sanctus.

Item, Ipsa est mons benedictionis, sed 5.
Heva fuit mons maledictionis. Deuter. XXVII, 12: *Hi stabunt ad benedicendum populo,* dantes *benedictionem* non mundi, quæ fallax est, *super montem Garizim.* Glossa: Qui interpretatur *divisio.* Divisit enim ut prudentissima bonum a malo, et melius a bono, et optimum a meliori, illud eligendo. Luc, X, 42: *Maria optimam partem elegit.* Divisit et nos a mundo, diabolo, a peccato, et a morte.

Item, Ipsa est cœlum ditationis, unde 6.
omnia meliora proveniunt. Deuter. XXVIII,

[1] Deuter. I, 1.
[2] Luc. I, 28.
[3] Eccli. XXXI, 9.

12 : *Aperiet Dominus.* Glossa : placatus, qui aliquando clauserat iratus, *thesaurum suum optimum, cœlum :* cœlum, id est, Mariam, *ut tribuat pluviam terræ.* Glossa : cordibus terrenorum. Per ipsam enim Dominus pluit gratiam nobis ad depellendam animæ ariditatem, et fœcunditatem virtutum conferendam.

7. Item, Ipsa est thalamus deliciarum Dei. Deuter. xxxiii, 12 : *Et ait Benjamin : Amantissimus Domini.* Glossa : id est, Christus Filius Dei, *in thalamo*, id est, in Maria, *tota die morabitur.* Glossa: « Nullo vitio alienatus aliquando. » Unde et ibi a quærentibus invenietur, *et inter humeros illius requiescet.* Glossa : « Inter bona opera. »

Item, Ipsa est mater inflammationis, mater custoditionis, mater instructionis. De his tribus, Deuter. xxxiii, 2 et 3 : *In dextera ejus*, id est, Maria, *ignea lex.* Glossa : id est, charitas, qua sanctos facilius amore sui succendit. Secundo, *Omnes sancti* ad custodiam *in manu illius.* Item, *Et qui appropinquant pedibus ejus.* Glossa : « Ut discant, et humiliter accipiant de doctrina illius. » Require, quid doceat.

LIBER JOSUE.

Et factum est post mortem Moysi[1].

1. Domina Angelorum, Mater Dei, est terminus hæreditatis nostræ. Josue, i, 2 et seq. : *Dixit Dominus ad Josue*, id est, omni servienti Deo : *Omnem locum*, qui sursum est (Dominus non vult dare eis locum in terris, qui vilis est, sed sursum, qui est optimus, et hoc quia diligit nos) *quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam..., a deserto et Libano usque ad fluvium magnum Euphraten*, id est, Mariam. Nota utilitates magni fluvii, et adapta. Et *usque ad mare magnum*, id est, usque ad Christum qui comparatur mari magno, *erit terminus vester.* Glossa : « Et non solum efficiaris hæres Dei, sed cohæres Christi. »

2. Item, Ipsa est evasionis fenestra. Josue, ii, 17 et 18, dixerunt exploratores ad Rahab : *Innoxii erimus a juramento..., si signum non fuerit funiculus iste coccineus.* Glossa : id est, sanguine suo rubricatus : *et ligaveris eum in fenestra, per quam dimisisti nos.*

Ipsa est etiam fenestra, quæ per funiculum, id est, per Filium suum, peccatores, ut evadant, dimittit, et justos attrahit.

Item, Ipsa est arca ostensionis directæ viæ in cœlum : unde festinanter eam sequi debemus. Josue, iii, 6, dixit Josue, id est, Christus : *Tollite arcam fœderis, et præcedite populum* : arca enim antecedet nos in cœlum ascendendo, locum præparando, pro nobis advocando, nos ad se trahendo per Jordanem.

[1] Josue, i, 1.

Josue, IV, 10 et 11 : *Festinavitque populus et transiit.* Glossa : « Non otiose, non remisse nobis agendum est : sed omnia festinanter transeunda. » *Cumque transissent omnes*, licet quidam facillime, sed tamen omnes in ipsam spem auxilii figentes, *transivit et arca Domini.* Ipsa enim præcedet nos propter aliqua, et subsequetur propter quædam.

Item, Ipsa est clypeus defensionis, quantum ad nos, et clypeus interfectionis, quantum ad dæmones. Josue, VIII, 18 et seq.: *Dixit Dominus*, scilicet Pater, *ad Josue*, Christum Filium suum : *Leva* super omnem creaturam puram in sanctitate, dignitate, pietate, utilitate, *clypeum*, id est, Mariam, peccatorum defensatricem, dæmonum impugnatricem, *qui in manu tua est, contra urbem Hai.* Glossa : « Hai interpretatur *chaos*, vel *habitaculum eorum*, id est, dæmonum, qui in abysso regnant. *Cumque elevasset clypeum*, id est, Mariam, in annuntiatione ipsam in matrem assumendo, et in assumptione secum in throno collocando, *non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum*, id est, Mariam, nobis in consolationem, diabolo in occisionem, et peccatis in deletionem, *donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Glossa : « De quibus nullum debemus relinquere, sed omnes interimere. »

Item, Ipsa est sol, ad juvandum omnibus fidelibus. Josue, x, 13 : *Steterunt sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* Glossa : visibilibus, et invisibilibus. *Stetit itaque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere.* Glossa: « semper oritur fidelibus. » 6.

Item, Ipsa est civitas refugii. Josue, xx, 1 et seq., ad quam fugere debet, qui effugere cupit mortem. 7.

Item, Ipsa est altare testimonii nostri. Josue, XXII, 26 et seq., dixerunt filii Ruben et Gad : *Exstruamus nobis altare*, id est, Mariam, *infinitæ magnitudinis*, in misericordia, in bonitate, in humilitate, in largitate, in Filii Dei conceptione, in testimonium liberationis, libertatis, et hæreditatis cœlestis, *ut juris nostri sit offerre, et holocausta, et victimas, et pacificas hostias : et nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris : Non est vobis pars in Domino.* Et vocant altare, *Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.* Hoc altare exstructum est in conceptione, sanctificatum in utero, ædificatum in incarnatione, in assumptione. 8.

LIBER JUDICUM.

Post mortem Josue[1].

Domina mundi, Mater Dei, et Regina cœli, pugnatrix pro suis contra mundum, contra diabolum, et peccatum. Unde significatur per Judam de quo dicitur, Ju-

[1] Judicum, I, 1.

dicum, I, 1 et 2 : *Consuluerunt filii Israel Dominum :* et merito, quia ipse dicit : *Sine me nihil potestis facere*[1], *dicentes : Quis ascendet*, si aliquis Angelorum, si aliquis Sanctorum, *ante nos* debiles, inscios, et imprudentes, *contra Chananæum*, id est, mundum, diabolum, et peccatum, *et erit dux belli* maximi, inquietissimi, continui? *Dixitque Dominus : Judas*, id est, Maria quæ interpretatur confitens, *ascendet*. Ascendit enim in nativitate mundo apparendo, in assumptione, coram Patre cœlesti ad eum interpellandum, semper pro nobis se primam offerendo. *Ecce tradidi terram in manus ejus*, imo et cœlum, et meipsum. Unde dicit ex ore Filii sui, Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas*. Noli ergo sine ipsa inire bellum. Ipsa enim dux est belli nostri, debet enim præcedere ex officio sibi a tota Trinitate injuncto.

2. Item, Ipsa est mater liberationis, et jubilationis, et gaudii. Judicum, V, 6 et seq. : *Quieverunt semitæ*. Glossa : « Quia occupata ab hostibus eram, et non audebam ascendere ad orationem ad domum Domini. » *Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt, donec surgeret Debbora*, id est, Maria : *surgeret*, per nativitatem in mundo apparendo, vel per assumptionem in cœlum ascendendo, *mater in Israel*. Glossa : « quia consiliando, hortando, prædicando, ab hostibus liberavit. » Quod et ipsa post Deum summe fecit : unde gratias agendo Deo, dicit, ibidem, ℣. 2 : *Ego sum, ego sum*, paupercula Maria, humilis Maria, tamen Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi, *quæ Domino canam*. Glossa : « Vox justi, ille quidem est canoræ vocis, et sinceræ mentis, ut cantilena ejus divinum delectet auditum : quæ omnino non habet in se raucum peccati sonum, et nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu, » *psallam Domino Deo Israel*, dicens, Luc. I, 46 : *Magnificat anima mea Dominum*. Infra, ibidem, ℣. 8 : *Nova bella elegit Dominus*. Glossa : « Quia inermes, fortes fecit, et triumphales. » *Et portas hostium ipse subvertit*.

Ipsa est vellus roris divini. Judicum, VI, 36 et seq. : *Dixitque Gedeon ad Deum : Ponam hoc vellus lanæ*, id est Virginem sacram, *in area*, in Judaica gente. *Si ros* totius orbis *in solo vellere fluerit*. Glossa : id est, in sola Maria : quod factum fuit in annuntiatione, quando in ea Christus humanitatem assumpsit : *et in omni terra*, et in cordibus infidelium *siccitas, sciam quod per manum meam liberabis Israel*. Quod enim ipsa impleta fuit gratia super omnem puram creaturam, signum fuit liberationis nostræ. *Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere*, id est, Maria, per invocationem, per devotam salutationem, *concham*. Glossa : cordis, *rore*, id est gratia, *implevit*.

LIBER RUTH.

In diebus unius judicis[2].

1. Beatissima Domina vocatur Mater pulchritudinis, sed mihi in passione Filii sui fuit amaritudinis, et mœroris. Ruth, I, 19 et seq. : *Dicebant mulieres*, in adventu

[1] Joan. XV, 5.

[2] Ruth, I, 1.

Noemi in Bethlehem, quod potest respicere duplicem adventum B. Virginis, vel adventum in mundum per nativitatem, vel adventum, quando venit in Bethlehem ad pariendum : *Hæc est illa Noemi.* Hæc est illa, in qua macula etiam venialis peccati non est, quæ in utero portat candidum et rubicundum. Sed quod sequitur, respicit statum passionis Christi. *Quibus ait : Ne vocetis me Noemi (id est pulchram), sed vocate me,* nunc in passione Filii mei, *Mara (id est amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens,* scilicet Dominus qui replevit me in annuntiatione gaudio et lætitia, in passione vero mœrore et tristitia. *Egressa sum plena,* in annuntiatione, quando dictum est mihi, Luc. I, 28 : *Ave, gratia plena. Et vacuam reduxit me Dominus,* cum sola rediens Filium meum reliqui in sepulcro. *Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens ?* Dolores ergo, quos effugeram in nativitate, nunc omnes persolvi in Filii mei passione, ut Damascenus aiebat [1].

Item, Ipsa est ancilla electionis, et operationis. Ruth, II, 2 et seq. : *Dixit Ruth,* quæ interpretatur videns, festinans, indeficiens : *Vadam in agrum,* scilicet Ecclesiæ, *et colligam spicas,* id est, pauperes, cæcos, et claudos, more Filii mei, qui hujusmodi libenter colligit, *quæ fugerint manus metentium,* scilicet mundi, et diaboli. Diabolus fere universam terram congregaverat, mittens falcem suam in messem alienam : unde et gloriando dicit, Isa. X, 14 : *Universam terram ego congregavi.* Colligit autem ancilla Dei in agro Ecclesiæ humiliter, quia *spicas remanentes :* fideliter, quia *sequens messorum vestigia,* ut quod alii abjiciunt, ipsa sumat. Unde, Psal. XXVI, 10 : *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.* Perseveranter, quia usque in finem mundi, fideles ad se congregat. Unde sequitur, ℣. 7 : *De mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est.*

Item, Dixit Booz, id est, Deus : *Colligentem,* scilicet Mariam, quæ colligit quos vult, *nemo corripiat.*

Item, Colligit sapienter : unde sequitur, ℣℣. 17 et 18 : *Quæ collegerat virga cædens,* scilicet tribulationis, *et excutiens, invenit hordei tres modios,* scilicet Conjugatos, Viduas, et Virgines. *Quos portans* in sinu misericordiæ, et in dorso patientiæ, *reversa est in civitatem,* scilicet Jerusalem cœlestem.

Item, Ipsa est quæ se et nos vestivit, 3.
et cooperuit, et involvit pallio divinitatis, sicut dicitur de Christo in Præfatione : « Ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes. » Ruth, III, 9 et seq. : *Dixit Ruth ad Booz,* id est, ad Deum : *Ego sum Ruth, ancilla tua : expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es. Et ille : Benedicta, inquit, es a Domino, filia.... Noli ergo metuere : sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi : scit enim omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ mulierem te esse virtutis. Nec abnuo me propinquum,* etc.

[1] S. JOAN. DAMASCENUS, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 15.

LIBER REGUM PRIMUS.

Fuit vir unus de Ramathaim Sophim[1].

1. Regina cœlorum est arca exsultationis in tabernaculis justorum, et arca timoris in tabernaculis dæmoniorum et malorum. I Regum, IV, 5 et seq. : *Cumque venisset*, per nativitatem in mundum, *arca fœderis Domini*, id est, Maria, *in castra*, tribulatorum, tentatorum, et totius militantis Ecclesiæ, *timuerunt Philistiim*, id est, dæmones, *dicentes : Væ nobis !* Venit enim illa, cui dictum est, Genes. III, 15 : *Inimicitias ponam inter te*, etc. *Non enim fuit tanta exsultatio*, scilicet peccatorum, *heri et nudiustertius*, quando non habebant talem adjutricem. *Et dixerunt Philistiim : Quænam est vox clamoris magni in castris Hebræorum ?* Psal. CXVII, 15 : *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum. Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra. Et dixerunt : Væ nobis !* Illi autem, scilicet Hebræi, bene nobis. *Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum ?* Ubi enim ipsa est per adjutorium, ibi et Trinitas Deus.

2. Item, Ipsa est sol ardens, mater calefactionis frigidorum filiorum Adam. I Regum, XI, 9 : *Cras erit vobis salus*, gratiæ et veniæ, *cum incaluerit sol*, id est, Maria. Numquid non incaluit, cum illi tota deitas substantialiter illapsa est ? Hic est sol, tripliciter nos urens. Unde dicitur, Eccli. XLIII, 4 : *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans*, etc.

Ipsa est etiam cornu unctionis, ex quo unguntur ad dignitatem, ad sanctitatem, ad venustatem. I Regum, XVI, 1 et seq. : *Dixitque Dominus*, Pater, *ad Samuelem*, id est, Christum : *Imple cornu tuum*, id est, Mariam, *oleo*, id est, teipso, et omni gratia : quod factum est in incarnatione. *Et unges*, inde reges, et sacerdotes, et filios Dei, *quemcumque monstravero tibi*. Unde Bernardus : « De plenitudine ejus accipiunt singuli, et universi[2], etc. »

Item, Ipsa est civitas, et domus satietatis. I Regum, XX, 6 : *Rogavit me David ut iret celeriter* : quod factum est in incarnatione, quando etiam prævenit Angelum, quem miserat ad Mariam Virginem gloriosam, *in Bethleem*, civitatem suam, sanctissimam, et opulentissimam. Unde sequitur : *Quia victimæ solemnes* Deo, Angelis, justis, peccatoribus, *ibi sunt universis contribulibus suis*. Psal. LXXXVI, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, id est, Maria !

Item, Ipsa est refrænatrix iræ Dei, quoad peccatores, quæ *David*, id est, Christum, ab interfectione æterna, *Nabal* stulti, id est, peccatoris refrænavit, signata per Abigail, quæ, I Reg. XXV, 24 et seq., *cecidit ad pedes David*, se in omnibus humiliando. *Et dixit : In me sit, domine mi, hæc iniquitas.* Glossa : « Noli ulcisci. » *Malitia ergo non invenitur in*

[1] I Regum, I, 1.

[2] S. Bernardus, Serm. 3 de Annuntiatione et serm. super illud Apocal. XII, 1 : Signum magnum, etc.

te, sed potius bonitas diffusiva, pietas ad condonandum, misericordia attractiva. *Et ait David ad Abigail*, placatus ejus intercessione : *Benedictus Dominus Deus Israel*, scilicet Pater misericordiarum, *qui misit te* misericordissimam et prudentissimam, *hodie*, scilicet quandocumque intercedis pro peccatoribus, vel præcipue in assumptione, *in occursum meum*, ad placandum, ad refrænandum, ac ad componendum inter me, et peccatores. *Et benedictum eloquium tuum*, plusquam omnium Angelorum, imo omnium Sanctorum. Psal. CIV, 19 et 20 : *Eloquium Domini inflammavit eum. Misit rex et solvit eum*, id est, peccatorem. *Et benedicta tu, quæ prohibuisti me* sævissimum contra peccatores, sicut dicit in Osee, V, 14 : *Ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda. Ego, ego capiam, et vadam.* Et, ibidem, XIII, 8 : *Occurram eis quasi ursa, raptis catulis : et dirumpam interiora jecoris eorum*, ulciscens me manu mea gravissima et intolerabili.

Et nisi cito venisses in occursum mihi, quod factum est, quando nata est, peccatorum tibi reconciliationem assumendo, *non remansisset Nabal usque ad matutinam lucem mingens ad parietem*, quia totaliter delevissem eum. *Erat* autem Abigail *mulier illa prudentissima et speciosissima* [1].

Et dixit David ad Abigail : *Vade pacifice in domum tuam : ecce audivi vocem tuam.* Sed quam vocem ? vocem miserationis pro peccatoribus, vocem conservationis pro justis, vocem fidelitatis pro servitiis exhibitis remunerandis. *Et honoravi faciem tuam*, in conceptione, te sanctificando, in nativitate tua, mundum per te illuminando, in incarnatione mea, te in matrem præ omnibus eligendo, et in assumptione tua, te ultra omnes choros Angelorum in mea dextera collocando.

LIBER REGUM II.

Factum est autem, postquam mortuus est Saul [2].

Sancta Theotocos, Virgo et mater Dei, honoratur a Deo in gloriosa assumptione sua in hoc, quod propter honorem ejus, Dominus peccata reis dimittit, gratiam aridis infundit, et justis gloriam promittit. II Regum, VI, 12 et seq. : *Abiit David*, id est, Christus, *et adduxit arcam Dei*, id est, Mariam, *de domo Obededom*, scilicet in assumptione, *in civitatem David*, hoc est, in cœlum empyreum, *cum gaudio. Et erant cum David septem chori.* Quorum primus est chorus Angelorum. Secundus Patriarcharum. Tertius Prophetarum. Quartus Apostolorum. Quintus Martyrum. Sextus Confessorum. Septimus omnium sanctarum Virginum. Ab his omnibus honorata est Regina cœli in assumptione ejus. *Et benedixit David*, id est, Christus, *populo*, reis peccata dimittens, aridis gratiam infundens, et justis gloriam promittens. *Et partitus est universæ multitudini Israel,... collyri-*

[1] I Regum, XXV, 3.

[2] II Regum, I, 1.

dam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam, et similam frixam oleo lætitiæ, in resurrectione, propter honorem suæ matris.

2. Item, Ipsa est Mater revocationis peccatorum de regione longinqua. Unde significatur per mulierem *Thecuiten*, quæ dixit ad David, II Regum, xiv, 7 et seq. : *Quærunt exstinguere scintillam meam quæ relicta est.* Et ait rex David : *Vivit Dominus! quia non cadet de capillis filii tui super terram.* Et sic revocatus est Absalon.

3. Item, Ipsa est mater conservationis, quæ tam diu peccatores fovet, usque dum ipsis gratiam Dei impetret. Unde significatur per *Resphan*, quæ *currus* interpretatur [1], quæ septem viros in patibulo suspensos, scilicet peccati, propter septem peccata mortalia, a David, id est, a Christo, *non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem*, id est, dæmones, prohibens, *donec stillaret aqua*, gratiæ scilicet, contritionis, et confessionis, *super eos de cœlo*, id est, de misericordia Dei. Glossa : « Pia sollicitudo sanctorum succurrit precum instantia peccatoribus, donec misericordiam Dei impetret super eos, pravos homines, et malignos spiritus compescens, ne vitam illorum ulterius corrumpant, prava suggerendo. » Et David Saul sepelivit.

Item, Ipsa est cisterna gratiæ. II Regum, xxiii, 15 : *Desideravit David aquam, et ait : O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam !*

LIBER REGUM III.

Rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies [2].

1. Semper excellentissima Virgo Maria desiderio sanctorum Patrum, et ardore optata, et quæsita fuit, ut Regem regum foveret per incarnationem in gremio, ut ipsum recipiendo calefaceret, in conservatione totius vitæ Christi, in hoc mundo sibi ministrando, et staret in cœlo empyreo pro peccatoribus exorando. III Regum, i, 1 et seq., significatur Virgo Maria per *Abisag Sunamitidem*, quæ interpretatur *pater meus abundans*, vel *patris mei rugitus*, de cujus laude dicitur : *Dixerunt ergo ei*, scilicet David *servi sui*, id est, sancti Patres : *Quæramus* in omni terra creaturam rationalem, quæ sub cœlo est, *domino nostro regi adolescentulam virginem*, dignam, *et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo* : Rex regum, *et foveat eum*, per incarnationem in gremio ventris sui, *dormiatque in sinu suo*, apud mundissimam mundissimus, in creatura creator, in filia Pater, in ancilla Dominus. *Quæramus* etiam Virginem sapientissimam, charitate ardentissimam, quæ ipsum Deum ad liberationem, et miserationem inflammet : habetur enim ibi, *et calefaciat dominum nostrum regem*. *Quæramus* et Virginem sapientissimam, quæ sciat, velit, et possit *stare* ut interpellatrix *coram rege* ad re-

[1] II Regum, xxi, 8 et seq.

[2] III Regum, i, 1.

frænandum, ad excusandum, ad judicandum, ad placandum. *Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt*, licet difficillime, *Abisag Sunamitidem*, id est, Mariam. Hanc omnes eligamus, secundum illud Poetæ :

Elige cui dicas : Tu mihi sola places.

Quæsita fuit in lege, et Prophetis, tempore Patriarcharum, et Prophetarum, sed inventa in Nazareth ab Archangelo Gabriele [1], in tempore gratiæ in annuntiatione.

Item, Ipsa est peccatorum advocata, habens tria, scilicet sapientiam, facundiam, et fidelitatem, quæ debet habere advocata : unde significatur per *Bethsabee*. III Regum, II, 18 et seq., dixit Bethsabee, id est, Maria, ad Adoniam, id est, ad peccatorem : *Bene, ego loquar* prudenter, humiliter, instanter, et perseveranter, *pro te*, misero, egeno, et desperato. Sed cui ? certe Regi magno, forti, et glorioso. *Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem* : quod factum est in assumptione, *ut loqueretur ei pro Adonia*, id est, peccatore. *Et surrexit rex*, id est, Christus, *in occursum ejus*, hilariter, totaliter et solemniter. *Positusque est thronus* gloriæ *matri regis*. In annuntiatione posita fuit Domina mundi in throno gratiæ, in passione Filii in throno misericordiæ, in nostra causa in judicio, in throno misericordiæ, in assumptione vero sua ad cœlos in throno gloriæ. Unde sequitur : *Quæ sedit ad dexteram ejus*, ut imperatrix, ut gratiarum distributrix. *Et dixit ei rex* : *Pete* fiducialiter pro omnibus, *mater mea* mundissima, mihi obsequiosissima, et super omnem creaturam charissima : *neque enim fas est*, nec coram me, nec coram Angelis, ac omnibus sanctis, *ut avertam faciem tuam*, te pro quacumque re postulantem non exaudiendo.

Item, Ipsa est mater et domina salvationis : quod signatum est in Abiathar sacerdote, qui offenderat regem Salomonem. Cui *dixit rex* : ... *Equidem vir mortis* tu *es* : *sed hodie te non interficiam*, *quia portasti arcam*, id est, Mariam, ipsam honorando, te ei subjiciendo, et in ejus fidelitatem et misericordiam committendo, *coram David patre meo* [2]. 3.

Item, Ipsa est templum charitatis. III Regnum, VI, 22, in cujus laude dicitur : *Nihil erat in templo*, id est, Maria, *quod non auro tegeretur*. Glossa : « Sola enim charitas regnat. » *Duo ostia* in templo *de lignis olivarum* [3]. Glossa : « Dilectio Dei, et proximi. » 4.

† Item, Ipsa est nebula, et habitaculum absconsionis Filii Dei [4]. 5.

III Regnum, x, 1 et 2 : *Sed et regina Saba*, id est, Maria, *multo cum comitatu* famulorum, et Sanctorum, imo et ipsius Filii sui, *ingressa est Jerusalem*, et hoc in die assumptionis. Saba est civitas regalis Æthiopiæ, unde hæc regina fuit, quæ præfuit duobus regnis Æthiopiæ, et Ægypti. 6.

Item, Ipsa est thronus totius Trinitatis. III Regnum, x, 18 et seq. : *Fecit rex Salomon thronum*, id est, Virginem gloriosam, et hoc in tempore gratiæ, quando mater misericordiæ in mundo est nata, *de ebore*, castitatis, puritatis, innocentiæ, *grandem*, in natura, in gratia, in gloria, 7.

[1] Cf. Luc. I, 26 et seq.

[2] III Regum, II, 26 et seq.

[3] III Regum, VI, 32.

[4] Nota aliqua hoc in loco deesse, a scriptore per incuriam dimissa. Nam a cap. VIII libri III Regum, in quo agitur de nebula et domo Domini per nebulam impleta, transiit ad cap. x ejusdem, et ad historiam reginæ Saba (Nota edit. Lugd.).

in misericordia, in humilitate, in bonitate, in largitate, et in pulchritudine. Unde sequitur : *Et vestivit eum* totaliter, regaliter, plusquam omnem creaturam puram, *auro fulvo nimis*, id est, charitate suprema, imo et seipso. *Qui habeat sex gradus*. Primus est humilitas. Secundus, virginitas. Tertius, paupertas. Quartus, erubescentia. Quintus, patientia. Sextus, temperantia. *Et summitas throni rotunda erat*, spe cœlestium. *Et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile*, id est, Mariam. *Duæ manus*, scilicet timor et reverentia : habebat enim ad Filium timorem et reverentiam : quia licet esset ejus filius, tamen erat Dominus, et Deus. *Et duo leones stabant juxta manus singulas : et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque et inde : non est factum tale opus* mirabilitate, utilitate, pretiositate, dignitate, pulchritudine, *in universis regnis*, cœli, atque terræ.

8. Item, Ipsa est hydria et vas satietatis. III Regum, xvii, 12 et seq. In cujus laude dicit vidua, id est, Ecclesia : *Vivit Dominus Deus tuus : quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho. Ad quam Elias ait : Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : Hydria farinæ*, id est, Maria, *non deficiet*, quia semper potest et vult dare, quia largissima, quia ditissima, quia gratia plena. *Nec lecythus olei minuetur*, quo nos pascit semper, et ungit, et lætificabit.

Item, Ipsa est nebula refrigerans, pluens, et donans, in annuntiatione, id est, tempore gratiæ. III Regum, xviii, 44 et 45 : *Nubecula parva*, id est, Maria, parva per humilitatem, sed immensa per gratiam, *ascendebat*, vel in nativitate sua, mundo apparendo, vel in assumptione cœlos penetrando : vel, *ascendebat* per naturam, quia nobilissima, per gratiam, quia omni gratia ditissima, per gloriam, quia super omnes choros Sanctorum exaltata. *De mari*, id est, de hoc mundo. Et paulo supra, ℣. 41 : *Et ait Elias*, id est, Christus, *ad Achab : Sonus multæ pluviæ est*, id est, gratiarum, omnes compluens, et gratiam quærentibus infundens. Et infra, ℣. 45 : *Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis*. Nam, ut ait Bernardus, de plenitudine ejus accipiunt singuli et universi [1].

LIBER REGUM IV.

Prævaricatus est Moab [2].

1. Imperatrix cœlorum est vas invocationis et sanationis. IV Regum, ii, 20 et 21, dixit Eliseus: *Afferte mihi vas novum*, id est, Mariam. Alii enim omnes per peccatum *inveterati sunt* [3], et corrupti : sed ipsa est novum, habens multiplicem novitatem.

Et mittite in illud sal. Glossa : « Ver-

[1] S. Bernardus, Serm. in Annuntiatione dominica, et serm. super illa verba Apocal. xii, 1 : *Signum magnum apparuit*, etc.

[2] IV Regum, i, 1.

[3] Psal. xvii, 46.

bum Domini caro factum est. » Sal enim Filius Dei est. Quod cum misisset illud sal in fontem aquarum, quod factum est in annuntiatione, *ait* : *Hæc dicit Dominus* : *Sanavi has aquas*, id est, humanam naturam fluidam et pestiferam : *et non erit in eis ultra mors neque sterilitas*, sed vita, et fœcunditas.

Item, Ipsa est fenestra illuminationis, totam domum Ecclesiæ, luce divinitatis illustrans. Unde et vehiculum lucis vocatur. IV Regnum, XIII, 17 et seq., dixit Eliseus ad Joas, regem Israel : *Aperi fenestram orientalem*, id est, Mariam, per quam intrat lux, et vita : sicut per fenestram occidentalem, id est, Hevam, intravit mors, et tenebræ. *Cumque aperuisset*, quod factum est, quando virgo manens incorrupta mundo peperit salvatorem, *dixit Eliseus* : *Jace sagittam*, id est, Christum, quia ex ea ortus est, et natus. *Et jecit. Et ait Eliseus* : *Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam*, id est, contra omnes dæmones : *percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam*, ad nihilum redigendo. Unde, Psal. XIV, 4 : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*.

LIBER TOBIÆ.

Tobias ex tribu et civitate Nephthali [1].

Commendatur in beatissima Virgine Maria post Deum largitas summa. Tobiæ, IV, 8 et 9 : *Quomodo potueris, ita esto misericors*, omnibus misericordiam te implorantibus præstando. *Si multum tibi fuerit*, quia *gratia* es *plena* [2], Domina cœli et terræ, *abundanter tribue*, sicut decet dare Reginam omnium creaturarum : *si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*. Glossa : « Voluntas a Deo pensatur, non dati quantitas. »

Item, Commendatur in ipsa post Deum humilitas summa. Tobiæ, IV, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu*. Glossa : id est, in mente, *aut in tuo verbo*. Glossa : necdum facto : *dominari permittas*. Glossa : Si quando sit, tamen non regnet. Ipsa enim numquam motum superbiæ habuit, sed post Deum excellentissime humilis fuit.

Item, In ipsa commendatur post Deum facilitas præcipue in servitiorum sibi impensorum festinantissima, et superabundantissima retributione. Tobiæ, IV, 15 : *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit*, o Maria, sive justus, sive peccator, ad laudem, et honorem tuum, ac Filii tui, *statim ei mercedem restitue*, regaliter quia regina es : abundanter, quia ditissima es : utiliter, quia fidelissima est : *et merces mercenarii tui apud te non remaneat*. 3.

[1] Tob. I, 1.

[2] Luc. I, 28.

LIBER JUDITH.

Arphaxad itaque, rex Medorum[1].

1. In nostra Judith, id est, in Virgine Maria commendatur pulchritudo admiranda, et sapientia præ cunctis mortalibus veneranda. Judith, XI, 18 et 19 : *Dicebant* servi Holofernis, quia non solum servi Dei ipsam admirantur, sed etiam servi mundi et diaboli, *alter ad alterum* : *Non est talis mulier super terram*, imo nec supra cœlum, *in adspectu*, quia etiam macula peccati caruit venialis. *In pulchritudine* exteriori credimus eam pulcherrimam fuisse, et optime dispositam, quoad Deum, quando dixit, Luc. I, 38 : *Ecce ancilla Domini*, etc. Quoad Angelum, quando dixit, ibidem, v. 34 : *Quomodo fiet istud ?* Quoad homines justos, quando *salutavit Elisabeth*. Quoad peccatores, quando dixit ministris in nuptiis, Joan. II, 5 : *Quæcumque dixerit vobis, facite*. Et etiam quoad Filium suum, quando dixit, Luc. II, 48 : *Fili, quid fecisti nobis sic ?*

2. Commendatur etiam Domina mundi, nominis præclara excellentia. Ipsa enim est post Deum nominatissima. Judith, XI, 21, dixit Holofernes ad Judith. Glossa : quæ interpretatur *confitens*, vel *laudans*, et significat Mariam : *Magna eris, et nomen tuum*, id est, Maria, vel maris stella, *nominabitur*, quia nominabitur mater Dei a Deo, ab Angelis, a justis, a peccatoribus, a Patriarchis, etc. : *in universa terra*, imo in universo cœlo.

Commendatur etiam sanctissima Virgo amplissima charitate, quæ consideratur in hoc, quod non tam propriam exaltationem, quam nostram quærebat liberationem. Judith, XII, 8, Judith *orabat Dominum*, *Deum Israel*, ferventissime, *ut dirigeret viam ejus ad liberationem populi sui* captivi et afflicti.

Commendatur etiam in ea maxima gratitudo. Gratias enim agebat indesinenter, pro beneficiis sibi collatis, et nobis per eam conferendis, scilicet ut diabolus superaretur, peccatum deleretur, mundus liberaretur. Judith, XIII, 10 et seq. : *Abscidit caput Holofernis*, id est, diaboli, laudando Deum, et nos consolando, *et dixit a longe ad custodes murorum* : *Aperite portas*. Glossa : id est, cordis devotionem, *quoniam nobiscum est Deus*. Glossa : « Ut carnem infirmitatis nostræ in me assumens, divinitatis suæ nos participes faceret, ut propugnator, et victor a potestate diaboli nos eriperet. » *Et concurrerunt ad eam omnes*, scilicet Angeli, quibus dedit lætitiam : justi, quibus gratiam : peccatores, quibus veniam impetrat. *Illa autem ascendens in eminentiorem locum*. Glossa : ad laudandum Deum pro beneficiis suis, auditores attollens, *dixit* : *Laudate Dominum Deum nostrum*. Glossa : Non me, *qui non deseruit sperantes in se*, quia fidelissimus est : *et in me ancilla sua* humili, devota, *adimplevit* mirabiliter, largiter,

[1] Judith, I, 1.

utiliter, et sapienter, *misericordiam suam*, quia incarnatus est in me propter peccatores, *quam promisit* per os Prophetarum *domui Israël*, id est, Ecclesiæ : *et interfecit in manu mea*, id est, per Filium, qui manus mea est, *hostem populi sui*. Glossa : id est, diabolum, *hac nocte* gratiæ et misericordiæ. *Ecce caput Holofernis*. Ipsa, de qua dicitur, Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum*.

Commendatur etiam in ea maxima fortitudo. Judith, XIII, 22 et seq : *Universi*, scilicet Patriarchæ, et Prophetæ, et omnes fideles, *dixerunt ad eam* (Judith), id est, ad Virginem gloriosam Mariam : *Benedixit te Dominus in virtute sua*, tibi gratiam et fortitudinem tribuens, *quia per te*, non per Angelorum, vel Sanctorum aliquem, *ad nihilum redegit inimicos nostros*, diabolum superando, peccata delendo, mundum vivificando. *Quia hodie*, scilicet in die annuntiationis, quando mater Dei effecta est, vel in die assumptionis, quando super omnes choros Angelorum exaltata est, *nomen tuum*, Angelis reverendum, hominibus amandum, dæmonibus tremendum, *ita magnificavit* in cœlo, et in terra, *ut non recedat laus tua de ore hominum*, et omnium Angelorum, *qui memores fuerint virtutis Domini*, per te manifestata *in æternum*, *pro quibus non pepercisti animæ tuæ*, in die amarissimæ mortis prædilecti Filii tui, *propter angustias et tribulationem generis tui*, miserorum filiorum Adam : *sed subvenisti* misericorditer, viriliter, et fideliter, *ruinæ* magnæ, amaræ, ignominiosæ, et æternæ, *ante conspectum Dei nostri*. *Et dixit omnis populus : Fiat ! fiat ! ....Et dixit Judith ad Achior : Caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea*.

Commendatur etiam Regina Angelorum a maxima humilitate quæ consideratur in hoc, quod omnes vermiculos, perditos filios perditi Adam, fratres suos vocat. Judith, XIV, 1 et seq. : *Dixit Judith ad omnem populum : Audite me, fratres*, quorum soror ego sum ex natura. Item, vocat alibi nos filios. Proverb. VIII, 32 : *Nunc ergo, filii, audite me*, tamquam matrem : sed hic, audite me, tamquam fratres sororem. *Suspendite caput hoc* crudele, nequam, omni fallacia plenum, quod ego abscidi, *super muros nostros*. Glossa : « In doctrina Evangelica, quæ est murus credentium, in illa parte, in qua ostendatis aperte hostis superbiam esse contritam. » *Cum exierit sol*. Glossa : « Docet qualiter hostem nostrum persequamur. » *Cum exierit* de utero meo, *tamquam sponsus de thalamo suo*[1] : quod factum est in nativitate Domini, *sol*, id est, Christus filius meus, illuminans cæcos, inflammans frigidos, fœcundans steriles, et se, ut sol, omnibus largiens, et diffundens. *Exite cum impetu* nihil formidantes, ad pugnam contra mundum, diabolum, et peccatum.

Commendatur etiam beatissima Virgo 7.
a summa sapientia, per quam diaboli regnum confudit, et caput suum contrivit. Judith, XIV, 16 : *Una mulier Hebræa*, id est, Maria, *fecit confusionem* magnam, et inopinabilem, *in domo regis Nabuchodonosor*, id est, diaboli. Confudit enim superbiam ejus per humilitatem suam, astutiam per sapientiam, et sic de aliis.

Ipsa est illa, quæ traxit Filium Dei de 8.
cœlo in uterum suum, ut ipsa sibi mater fieret incarnationis, et domus habitationis. Judith, XV, 9 et seq. : *Joacim*. Glossa : « Qui interpretatur *Domini resurrectio*, significat Christum, » qui *de Jerusalem venit in Bethuliam*. Glossa : id est, in uterum Virginis, *ut videret Judith*. Glossa : id est, probaret fidem, et dilectionem. *Quæ cum exiisset ad illum*, per nativitatem, *benedixerunt eam omnes una voce, dicentes : Tu gloria Jerusalem*,

[1] Psal. XVIII, 6.

id est, illorum, qui sunt in cœlo : *tu lætitia Israël*, id est, dolentium, et gementium pro peccatis in hoc mundo, *tu honorificentia populi nostri*, abjecti, *quia fecisti viriliter*. Glossa : « Contra principem mundi. » *Et ideo eris benedicta in æternum* a Deo, ab Angelis, et hominibus. *Et dixit omnis populus* : *Fiat! fiat!*

Item, Ipsa est comminatrix omnium lædentium servos et ancillas filii sui. Judith, xvi, 20 : *Væ genti*. Glossa : in perpetuum, *insurgenti contra genus meum*, id est, cultores Dei !

LIBER ESTHER.

In diebus Assueri[1].

1. Hic commendatur beatissima Domina a suprema potentia, quam post Deum habet super omnes creaturas. Esther, ii, 7, Esther erat *pulchra nimis, et decora facie*. Glossa : « circumdata varietate virtutum. » Et infra, xv, 15 et seq. : *Erat (Esther) formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur*. Omnibus enim placet, Deo, Angelis, justis, peccatoribus. *Et adamavit eam rex* Assuerus, id est, Christus, *plus quam omnes mulieres*, .. *et posuit diadema regni in capite ejus*. Glossa : « Consortem eam regni fecit. » Ecce potentia. *Fecitque eam regnare* potenter, æternaliter : potenter regnat, quia ditissima, et tribuit cui vult, quantum, et quando vult, et quotiescumque vult : æternaliter, quia regni ejus non erit finis[2]. Dicitur ergo merito regina potentissima, largissima, et æterna. Hæc tria in nulla regina, nisi in ea concurrunt.

2. Item, Est sponsa Dei, de cujus dignissimis nuptiis dicitur. Esther, ii, 18, Rex Assuerus, id est, Christus, pro conjunctione, et nuptiis Esther, id est, Mariæ, in die annuntiationis celebratis, quarum conciliator fuit Gabriel, *jussit convivium præparari*. Glossa : id est, gaudium spirituale, *permagnificum* in toto orbe, in cœlo, et in purgatorio : dies enim maximi gaudii est dies incarnationis Filii Dei : *cunctis principibus et servis suis*. Glossa : id est, majoribus, et minoribus. *Et dedit requiem universis provinciis*. Requiem gratiæ terrestribus, requiem gloriæ cœlestibus, requiem tribulationis in purgatorio manentibus, *ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem*, regaliter dans, universa dans, celeriter dans, et hilariter dans. Unde clamat ad nos, dicens id quod senex de monte Ephraim : *Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt : tantum, quæso, ne in platea maneas*[3].

Item, Ipsa est domus, et vestiaria, ex qua indutus fuit Filius Dei carne, peccator venia, justus gratia, perfectus gloria. Esther, iv, 1 et seq. : *Mardochæus indutus est sacco*, mortalitatis, et miseriæ,

[1] Esther, i, 1.
[2] Luc. i, 33.
[3] Judicum, xix, 20.

sed nunc, heu ! multi sacco mortalitatis culpæ. *Usque ad fores palatii gradiens*, gratiæ, et gloriæ : *non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare*. Glossa : « Quia nullus cum corruptione præsentis vitæ, celestem aulam intrabit. » *Quod audiens* (Esther) *consternata est : et vestem misit* nuptialem, *ut ablato sacco induerent eum*, *pallium* scilicet *laudis pro spiritu mœroris* [1].

Item, Ipsa est virga aurea, signum vitæ æternæ. Esther, IV, 11 : *Sive vir, sive mulier*, quicumque, *non vocatus, interius atrium regis intraverit*. Glossa : non habens vestem nuptialem : *statim interficiatur*, morte æterna : *nisi forte rex auream virgam*, id est, Mariam, *ad eum tetenderit pro signo clementiæ*, ut sit in propitiatricem, *atque ita possit vivere*.

Item, Ipsa est interventrix, et revocatrix desperatorum. Ideo enim Dominus eam creavit in nativitate, et assumpsit in matrem in incarnatione, et exaltavit super omnes choros Angelorum in assumptione, ut pro peccatoribus intercedat. Esther, IV, 13 et 14 : *In domo regis es*. Glossa : « In interiori regis sinu. » *Præ cunctis Judæis*, imo præ omnibus Angelis, et omnibus Sanctis. *Si enim nunc*, hoc est, in tempore angustiæ nostræ, *silueris*, id est, non intercesseris pro nobis, quod absit a te, quia Dominus desiderat audire te, dicens illud Canticorum, II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis*, etc. *Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris*, a Deo præordinata, a Patriarchis præfigurata, a Prophetis prænuntiata, a peccatoribus postulata, a tota Trinitate electa, et præelecta, *ut in tali tempore*, iracundiæ Dei, tribulationis, et mœroris omnium filiorum Adam, *parareris ?* Glossa : « Ideo rex te fecit reginam, ut nobis in persecutione auxiliareris. »

Commendatur etiam Regina nostra a maxima fidelitate, bonitate, et misericordia, quæ consideratur in hoc, quod fere tota ejus supplicatio est pro nobis coram Deo, ut ab hostibus liberemur. Unde, Esther, V, 1 et seq. : *Induta est Esther regalibus vestibus*. Glossa : « Fide, spe, et charitate, et cæteris virtutibus, quibus induta, regi dignius societur. » *Et stetit*, ut peccatrix, advocatrix, adjutrix, postquam assumpta est, *in atrio domus regiæ. Et sedebat rex super solium... Cumque vidisset Esther reginam*, natura, gratia, gloria, largitate, dignitate, nobilitate, miseratione, præ omnibus præcipuam, *stantem*, non ut superbum luciferum sedere volentem, sed stantem mirabiliter juxta crucem [2], et misericorditer, et fideliter in cœlo pro peccatoribus. *Placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream*, id est potestatem, quam vult matrem suam habere in cœlo, et in terra, et sub terra. *Dixitque ad eam rex : Quid vis, Esther regina ? Quæ est petitio tua ? Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris*, imo totum, *dabitur tibi... At illa respondit : Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex, dona mihi populum meum* [3]. Glossa : fide meum, devotione meum, ipsius affectuosa veneratione meum, tota donatione meum, et tua commissione, *pro quo obsecro*, stans quandoque apud crucem miserabiliter, sed nunc apud te in cœlo lætanter. *Quomodo enim potero sustinere necem et interfectionem populi mei* [4] *?* Cum possim, et sciam, et velim ipsos liberare per te, et per tuos, et per me.

Item, Ipsa per suum ortum, et nativitatem, totam Ecclesiam luce gaudii 7.
immensi perfudit. Esther, VIII, 16 : *Judæis*, id est, Christianis, *nova lux*, id est, Maria, *oriri visa est*, quando scilicet nata est. Ipsa enim est *gaudium* mæstorum, *honor* cœlestis patriæ, *et tripudium* omnium beatorum.

[1] Isa. LXI, 3.
[2] Joan. XIX, 25.
[3] Esther, VII, 3.
[4] Ibid., VIII, 6.

LIBER JOB.

Vir erat in terra Hus, nomine Job [1].

1. Regina mundi, Virgo Maria dicitur aurora surgens. Job, III, 9 : *Exspectet lucem, et non videat*, qui prava agit, vel etiam bona non recto corde, *nec ortum surgentis auroræ*, id est, Mariæ, quæ in nativitate sua orta est tenebrosis peccatoribus. Glossa : « Aurora surgens Ecclesia, quæ priores tenebras deserit, et in lucem justitiæ venit ». Adventus etiam ejus operatus est multipliciter in mundum.

Job, XIV, 8 : *Recede paululum ab eo.* Glossa : quia recessus non dat quiescere : *donec optata veniat* : optata a Patriarchis, et Prophetis, et ab omni genere humano : sed quo veniat ? Veniat, inquam, Deo meo in adjutorium. Unde in Genesi, II, 18 : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Justis in gratiam, peccatoribus in veniam, Angelis in lætitiam, diabolo in mœstitiam.

2. Item, Ipsa est misericordiæ solium, ad quod veniens peccator, absolvitur. Job, XXIII, 3 et 4 : *Quis mihi tribuat,... ut veniam usque ad solium ejus ?* id est, usque ad Mariam, quæ solium est misericordiæ, et tunc *ponam coram eo judicium, et os meum replebo increpationibus*, ut sua verba misericordiæ mihi respondeant.

3. Item, Ipsa est aurora terrens dæmones. Job, XXIV, 17 : *Si subito apparuerit aurora,* id est, Maria, vel in lucem mundo nascendo prodiens, vel in cœlum ascendens, ut peccatoribus gratiam auctoritate Dei infunderet, *arbitrantur* ipsi dæmones *umbram mortis*. Glossa : qui de hoc dolent. Ipsa etiam, quantum in se est, nulli denegat lumen gratiæ et misericordiæ. Sic Baldad ad Job, XXV, 3 : *Super quem non surget lumen illius ?* scilicet Mariæ, super quem Angelorum, vel electorum, vel justorum, vel peccatorum, non consurgit lumen illius in præmium, vel in adjutorium.

Item, Ipsa est locus unionis divinitatis et humanæ naturæ. Job, XXVIII, 1 : *Auro locus est*, id est, Filio Dei Virgo Maria, *in quo conflatur*, id est, unitur divinitas humanitati, majestas infirmitati, æternitas mirabilitati. Si ergo tu volueris Deo uniri, accede ad Mariam ut efficiaris unus spiritus cum Deo.

Item, Ipsa est lucerna splendens, et petra fundens oleum. Job, XXIX, 1 et seq. : *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos*, etc., *quando splendebat lucerna ejus*, id est, Maria, *super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris : quando petra*, id est, Maria, *fundebat mihi rivos olei*, largiter, et libenter ? Glossa : id est, dona Spiritus sancti.

Item, Ipsa etiam bene comparatur Job, quia omnes virtutes, quæ in eo commendantur, ipsa in summo habuit. Ostendit sibi Maria in persona beati Job,

[1] Job, I, 1.

Dei in se secretam habitationem. Job, xxix, 4 : *Deus secreto erat* mecum *in tabernaculo meo*, quod est contra hypocritas, qui ostendunt eum in via, de facto cum eis esse, quod tamen non est.

Ostendit etiam se liberatricem vociferantium peccatorum. Job, xxix, 11 : *Auris audiens beatificabat me*, dicens, Luc. i, 28 : *Benedicta tu in mulieribus*. etc. Ibidem, ℣℣. 11 et 12 : *Oculus videns* fidelitatem meam, *testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem* misericorditer, et potenter, *pauperem vociferantem*, id est, peccatorem, quem diabolus suffocabat, infernus absorbere volebat, et contra quem omnis creatura insurgere disponebat. *Et pupillum cui non esset adjutor*, nec inter Angelos, nec inter homines.

Ostendit etiam se esse revelatricem cadentium. Job, xxix, 13 : *Benedictio perituri* in anima, et corpore : *perituri* coram Deo et omnni creatura, *super me veniebat*. Glossa : « Benedictio perituri evenit, cum peccatoris interitum prævenit, et a culpæ fovea reducit. » *Et cor viduæ consolatus sum*, id est, animæ Deo viduatæ.

Ostendit etiam se et peccatorum cæcorum ductricem, et claudorum sustentatricem. Job, xxix, 15 : *Oculus fui cæco*, id est, peccatori, ipsum ducens, ipsi viam monstrans, ipsum a fovea inferni defendens. *Et pes claudo*, id est, peccatori.

Ostendit etiam se esse diaboli, et peccati, et inferni spoliatricem, peccatorum ereptricem. Job, xxix, 17 : *Conterebam molas iniqui*, id est, diaboli, insidias ejus nudando, *et de dentibus illius auferebam prædam*, eruendo peccatorem, quem jam comedebat, et deglutire volebat miserabiliter. *Auferebam*. Glossa : « convertendo. » Item, auferebam etiam violenter, sapienter, totaliter, et finaliter, *prædam*, id est, miserum peccatorem.

11. Ostendit etiam se esse aridissimi mundi copiosissimam irrigatricem. Job, xxix, 23 : *Exspectabant me*, id est, meum adventum per nativitatem in mundum, hi qui in terra, et in purgatorio erant, *sicut pluviam* salutiferam, mundam, et generalem. *Et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum*.

12. Ostendit etiam se more Filii esse largissimam gratiarum datricem. Job, xxxi, 16 : *Si negavi quod volebant, pauperibus*. Glossa : id est, humilibus. *Et oculos viduæ exspectare feci*, id est, distuli dare exspectantibus. Glossa : « Lumen dationis tarditas non offuscat. » Incunctanter dandum est, quod cum vera humilitate quæritur, id est, quod nec ex desiderio, sed ex necessitate poscitur, ut non solum ex munere, sed etiam celeritate muneris bonorum operum merita augeantur.

13. Ostendit etiam se esse famelicarum animarum cibatricem. Job, xxxi, 17 : *Si comedi buccellam meam solus*, id est, mihi data a Deo non communicavi aliis : imo, quod plus est, buccellam, id est, corpus Filii mei non communicavi aliis. *Et non comedit* abundanter, et fiducialiter, et regaliter, juxta illud Psalmi, lxxvii, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo* : *pupillus ex ea*, cujus mater ego sum per miserationem, et cibatrix per largitatem. Glossa : « Solent enim nonnulli multa largiri : sed habere pauperes socios in domestica conversatione refugiunt, gratiam communis vitæ non habentes : sed iste præjudicium pietati se facere existimaret, si solus comederet, quod Dominus omnium communiter creasset. »

14. Ostendit etiam se misericordiam continere non posse, præcipue quando invocatur. Job, xxxi, 18 : *Ab infantia mea*

crevit mecum miseratio, magna, pia, et diffusa. *Et de utero matris meæ egressa est mecum*, abundanter, et communiter.

15. Ostendit etiam se non posse despicere quemquam, licet peccator sit, dum tamen quærat misericordiam, Job, xxxi, 19 : *Si desperi pereuntem.* Glossa : « Hic humilitas : quia quidam magis dant pro notitia, quam pro natura : » *eo quod non habuerit indumentum* virtutum. Glossa : « Propter hoc non despexi *absque operimento pauperem*, licet sim *in vestitu deaurato, circumdata varietate* [1].

Et infra, Job, xxxi, 20 : *Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est.* Glossa : « Hæc est pietas. »

16. Ostendit etiam se esse judicem misericordiæ magis, quam justitiæ, in causa peccatorum. Job, xxxi, 21 : *Si levavi super pupillum*, id est, peccatorem, *manum meam*, scilicet ad opprimendum eum : *etiam cum viderem me in porta superiorem.* Glossa : id est, in judicio superiorem omnibus Angelis, et Sanctis. Glossa : « Neque enim tunc utilitatis meæ negotia virtute contra pupillum exigere volui, quando me in judicio, etiam ex justitia potiorem vidi : hic enim *portæ* nomine, judicium, quod in porta agebatur, significat. »

Ostendit etiam se esse hospitam et receptricem generalem Dei et hominum largissimam. Job, xxxi, 32 : *Foris non mansit peregrinus* : hospitium virginalis uteri præbens Filio Dei, peregrino etiam hospitium gratiæ, et misericordiæ, et gloriæ. *Ostium meum viatori patuit*, celeriter, totaliter, et frequenter.

Ostendit etiam se esse Reginam cœlorum. Job, xxix, 25 : *Cumque sederem*, regaliter, potenter, et sublimiter, *quasi rex*, id est, regina, uxor, et mater Regis æterni, circumstante exercitu peccatorum, *eram tamen mœrentium consolator*, id est, Maria consolatrix.

Item, Ipsa est aquila singularis, de cujus laude et præconio loquitur Dominus ad Job, xxxix, 27 et 30 : *Numquid ad præceptum tuum*, sicut ad meum, qui quidquid præcipio, inspiro, *elevabitur*, in natura, gratia, et in gloria etiam, et in omni prærogativa, *aquila*, id est, Maria, super omnes choros Angelorum : *et in arduis ponet nidum suum ?... Pulli ejus lambent sanguinem : et ubicumque cadaver fuerit, statim adest.* Glossa : « Christus sedens in cœlo, justorum est refectio. »

PARABOLÆ SALOMONIS.

Parabolæ Salomonis, filii David, regis Israel [2].

1. Regina omnium creaturarum vocatur a Salomone *sapientia*. Proverb. vii, 4 : *Dicit sapientiæ*, id est, Mariæ : *Soror mea es*. Sicut enim summam humilitatem habuit, ita summam sapientiam, etc. Ubi humilitas, ibi et sapientia. Sed

[1] Psal. xliv, 10.

[2] Proverb. i, 1.

in Maria fuit improportionabilis humilitas. Ergo improportionabilis sapientia. Sapientia enim est quidam gustus spiritualis, et primæ veritatis, per modum summæ bonitatis, quam ipsa præ omnibus habuit. Hanc sapientiam debemus ad consilium Salomonis vocare sororem nostram. Sed quia sequitur, ibidem, ℣. 5 : *Ut custodiat te*, quasi sapientissima, et fidelissima, *a muliere extranea*, id est, ab omni immunda, et prava voluntate, *et ab aliena quæ verba sua dulcia facit*, cum sint amarissima.

Item, Ipsa est saccus redemptionis. Proverb. vii, 20 : *Sacculum*, id est, Mariam, *pecuniæ*, liberationis, hunc *secum tulit* : *in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam*.

Item, Ipsa in persona veritatis increatæ, et sapientiæ æternæ, clamat ad nos per Salomonem, Proverb. viii, 6 et 22 : *Audite* me, tamquam matrem filii, *quia de magnis rebus locutura sum* : *Dominus possedit me*. Quasi diceret : Magna sunt, quæ dico, *quia fecit mihi magna, qui potens est* [1]. De hoc gratias ago, quia Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, scilicet *possedit me*. Pater per omnia *possedit me*, ab omni peccato potentialiter eripiendo. Filius *possedit* per sapientiam, me assumendo in cooperationem, ad generis humani redemptionem. Genes. ii, 18 : *Non est bonum hominem esse solum*, etc. Spiritus sanctus *possedit me*, tamquam templum gloriæ, dignanter inhabitando, et omni gratia totaliter implendo. Luc. i, 28 : *Ave, gratia plena*. Et iterum, ℣. 35 : *Spiritus sanctus superveniet*, etc.

Item, Gratias ago tibi, quia per eum æternum, sive *ab æterno ordinata sum* [2]. Nullus enim Angelorum, Seraphim, vel Cherubim, sed ipse æternus ab æterno ordinavit me. Item, summus Pater ordinavit me in Exorcistam, quantum ad dæmonum expulsionem. Unde, Genes. iii, 15 : *Ipsa conteret caput tuum*. In Ostiariam, quantum ad immundorum exclusionem, et mundorum introductionem. Ezechiel. xliv, 2 et 3 : *Porta hæc clausa erit*, Et iterum, ℣. 3 : *Erit clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea*. Quasi diceret : Porta hæc Principem, et imitatores suos introduxit, et indignioribus clausa erit. In Lectorem, quantum ad omnium Prophetarum expositionem ad litteram in seipsa. Unde, Isa. vii, 14 : *Ecce Virgo concipiet*, etc. Et Angelus ad ipsam, Luc. i, 31 : *Ecce concipies*. In Acolytum, quantum ad illuminationem. Cantic. vi, 9 : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens*, etc. ? Et illud Numerorum, xxiv, 17 : *Orietur stella*. In Subdiaconum, quantum ad verbi divini observationem, quo aliis scribendum narravit. Unde, Luc. ii, 19 : *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens*, etc. In Diaconum et Sacerdotem, quantum ad corporis Domini de ipsa formationem et dispensationem. Communicavit enim nobis corpus Filii sui in cibum, et sanguinem suum in potum. In Episcopum, quantum ad sollicitudinem omnium Ecclesiarum. In Papam, qui est pater patrum, habens in cœlo, et in terra potestatem : sic et ipsa mater est omnium Christianorum, et habet potestatem in cœlo, et in terra, et in purgatorio, et in inferno. Sic ergo mater Dei, Regina cœli est totaliter ordinata.

Vel aliter : *Ordinata sum*, ut dicit Bernardus [3] : « Angelo in lætitiam, justo in gratiam, peccatori in veniam, tristi in consolationem, captivo in redemptionem, diabolo in conculcationem. »

[1] Luc. i, 49.
[2] Proverb. viii, 23.
[3] S. Bernardus, Serm. II in Pentecoste, et in sermone de B. Virgine super illa verba Apocalypsis, xii, 1 : *Mulier amicta sole,... et in capite ejus corona stellarum duodecim*.

5. Tertio, Gratias ago de hoc, quod concepit me propter destinationem, contra mortis et peccati destructionem. Hoc notatur, ibi, Proverb. VIII, 24 : *Nondum erant abyssi*, id est, dæmones : vel abyssi miseriæ, et peccati : *et ego jam concepta eram*, scilicet in præsentia, et prædestinatione Dei, ut exhiberem lucem contra tenebras, gratiam contra culpam, vitam contra mortem.

6. Quarto, Gratias ago de hoc, quod assumpsit me ad componendum : quod notatur, ibi, Proverb. VIII, 30 : *Cum eo eram, cuncta componens*, in utero meo per incarnationem : componens eram primum cum ultimo, parvum cum magno, deitatem cum humanitate. Unde, Proverb. XXXI, 10 : *Procul, et de ultimis finibus terræ.*

Item, Eram in mundo componens per Filii mei passionem, et totius humani generis redemptionem.

Item, Eram componens cum Filio meo cœlestia ad inhabitandum, terrestria ad peregrinandum, infernalia ad cremandum.

7. Commendatur etiam beatissima Virgo Maria, a sua fideli charitate, quia matrem se nostram nominat, et nos, suos filios appellat. Proverb. VIII, 32 : *Nunc ergo, filii, audite me*, vocantem, consolantem, pro vobis intercedentem, et vos instruentem. *Beati* sunt corpore et anima, *qui custodiunt vias meas :* vias humilitatis contra superbiam, castitatis contra luxuriam, largitatis contra avaritiam.

Et infra, v. 35 : *Qui me invenerit*, humiliter, et devote, et fideliter serviendo, *inveniet vitam* gratiæ, et gloriæ, *et hauriet salutem a Domino*, animæ, corporis : *a Domino*, qui est salus æterna.

8. Commendat etiam eam Salomon a fortitudine. Proverb. XXXI, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet*, sicut Mariam? Tria sunt quibus fortitudo maxima appropriatur, scilicet Deus, mors, et diabolus. Deum per humilitatem quodammodo separavit. Unde, Gregorius : « Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, factus est parvus usque ad passionem [1] ? » Item, mortem, cui nemo mortalium resistere potest, superavit : quia per eam vita rediit. Item, diabolum in nihilum cum omni ejus potestate redegit. Unde, Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.*

Item, Commendatur a confidentia, quam quis habet in ipsam. Proverb. XXXI, 11 : *Confidit in ea cor viri sui.* Glossa : « Ut rex in castro inexpugnabili. » Omnes enim Sancti expugnabiles fuerunt, saltem quantum ad venialia. Hæc autem omnino inexpugnabilis.

Vel, *Confidit in ea*, ut negotiator in uxore negotiosissima. Quia nullus Angelorum, vel hominum, tot et tantas animas Deo lucratur, sicut ipsa.

Vel, *Confidit in ea*, ut pater in filia prudentissima. Ipsa enim scit sola præ omnibus prudenter allegare coram omni cœlesti principe, de peccatorum salute.

Item, Commendatur ab ejus officiosissima operatione. Proverb. XXXI, 13 : *Quæsivit* enim *lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.* Glossa : « Quia operuit Filium Dei humanitate, peccatorum miseratione, Ecclesiam sancti Spiritus illuminatione. »

Comparatur etiam navi applicanti ad portum, propter utilitatem. Proverb. XXXI, 14 : *Facta est* Virgo Maria, *quasi navis* refertissima *institoris*, scilicet

[1] S. Gregorius M., Lib. XXXIV Moralium, cap. 18.

Christi, *de longe portans panem suum*, scilicet nobis. *Panem Angelorum manducavit homo* [1].

Commendatur etiam a fortitudine, ibi, Proverb. XXXI, 19 : *Manum suam misit ad fortia.* Fortia dicit perfecta opera, ut est diligere inimicos, benefacere odientibus, et orare pro persequentibus nos [2].

Commendatur etiam a largitate, ibi, Proverb. XXXI, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Tanta enim ejus fuit largitas, ut se totam aperiret per largitatem. Aperuit uterum Filio, oculos pro peccatoribus ad flendum, aures ad preces eorum audiendum, et os ad placandum. Unde subditur, ℣. 26 : *Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.* Glossa : « Ut non statim puniat, ut lex Moysi, sed semper misericorditer parcat. »

Commendatur etiam a summa beatitudine, ibi, Proverb. XXXI, 28 : *Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt.* Prædicaverunt eam beatam in natura, beatiorem in gratia, beatissimam in gloria. Vel, prædicaverunt eam beatam super omnes conjugatas, beatiorem super omnes viduas, beatissimam super omnes virgines. Vel, prædicaverunt eam beatam in conversione peccatorum, beatiorem in conversione justorum, beatissimam in coronatione electorum. 14.

Commendatur etiam in divitiarum immensitate, ut ibi, Proverb. XXXI, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt divitias*, id est, omnes animæ beatæ particulariter, difficulter, exiliter. *Tu* vero, quæ Dei mater es, *supergressa es universas*, in multiplicitate, in pretiositate, et gratiarum omnium immensitate. 15.

LIBER ECCLESIASTÆ.

Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem [3].

Imperatrix Virgo Maria commendatur a Salomone, a suæ nativitatis utilitate, et assumptionis suæ gloriositate. Ecclesiastæ, I, 5 : *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur.* Sol iste est Virgo Maria, qui ortus est toti Ecclesiæ, quando nata fuit. Sciendum autem, quod in genealogia nata fuisse narratur a bonis, et a malis.

Quod a bonis nata fuit, triplex potest esse ratio. Prima, ut nobilitatis antiquitas ipsam nobilitaret : quia unaquæque arbor de fructu suo agnoscitur. Tale enim magis tale in natura per virtutem perficitur, quod ad ipsam ex naturæ origine inclinatur : virtutes enim per se innatæ sunt nobis, perficiuntur autem per consuetudinem. Secunda ratio est, ut sanctitas eam undique circumdaret : retro per nobilitatem, ante per

[1] Psal. LXXVII, 25.
[2] Matth. V, 44.
[3] Eccle. I, 1.

utilitatem, supra per dignitatem, infra per potestatem, a dextris per virtutum summitatem, a sinistris per peccati immunitatem, intra per charitatem, foris per conversationem perfectam. Tertia ratio est, ut ejus humilitas humilior appareret : quia, ut dicit Bernardus : « Nempe in alto non altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius, nil rarius apud homines [1]. »

Triplici etiam ratione orta fuit a malis. Prima est, ut comparatione alterius extremorum extolleretur, juxta illud Philosophi. « Opposita juxta se posita, magis elucescunt [2]. » Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas*, etc.

Sicut spina rosam, genuit Judæa Mariam,

canit Ecclesia. Secunda ratio est, ut sapientia misericordior appareret. Est enim exitus de bono ad bonum. Unde, Genes. I, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.* Est exitus de malo ad malum. Eccli. X, 15 : *Initium omnis peccati est superbia.* Est etiam exitus de bono ad malum, ut, Eccli. XXV, 33 : *A muliere factum est initium peccati.* Est etiam exitus de malo ad bonum. Et hoc solius Dei est proprium, *cujus sapientiam vincit malitia*, quia *attingit*, etc. [3] Tertia ratio est, ut confidentiam peccatoribus generaret, per hoc quod, ut mediatrix eorum, eadem propinquitate utramque extremitatem attingeret. Unde sicut soror Dei est, et mater, et filia : sic etiam Ecclesia mater, soror, et filia Dei : et sic etiam a natura inclinaretur ad miserendum peccatori. Hic est arcus positus in nubibus cœli, in signum fœderis inter cœlum et terram [4]. Non enim potuit Deus cum peccatoribus stabilius et efficacius firmare pacem, quam quod filiam peccatorum, Filio suo accepit in sponsam et in matrem. Nec aliquis inter Deum et hominem pacem fecit, quam quæ mater utriusque exstitit.

Sequitur : *Et occidit* : quia vitam suam per mortem solvit. *Et ad locum suum revertitur*, id est, ad cœlum, a Deo æternaliter præparatum.

Commendatur quoque beatissima Domina ab omni gratiarum redundantia, et immensitate. Eccle. I, 7 : *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat*, scilicet per superbiam. Maria interpretatur Domina, vel illuminatrix, vel illuminata, vel stella maris, vel amarum mare, quæ interpretationes optime illi conveniunt. Ipsa est Domina : quia omnium quorum ipse Deus est Dominus, et ipsa est Domina. Et in hoc notatur singularis excellentia. Ipsa etiam est stella veri solis, sine corruptione, vel diminutione integritatis generativa, et in hoc exponitur suæ conceptionis puritas. Ipsa est etiam omnium bonitatum universalis distributrix. Et ideo dicitur *stella*. Dicitur etiam *mare* : quia omnibus gratiis plenissima est. Quia sicut in mari est omnium aquarum congregatio, ita in ipsa est omnium gratiarum adunatio. Genes. I, 10 : *Congregationes aquarum appellavit maria.* Ipsa etiam in suiipsius conversatione in hoc mundo per totam amara, sed in Filii passione amarissima : insuper omnibus de amaritudine exeuntibus causa, et exemplum.

[1] S. Bernardus, Epist. 123 ad D. Hildebertum, Turonensem archiepiscopum.

[2] Averroes, Lib. II de Cœlo et Mundo, com. 40, et Lib. I de Anima, com. 85.

[3] Sapient. VII, 30 et VIII, 1.

[4] Genes. IX, 12 et 13.

CANTICUM CANTICORUM.

Osculetur me osculo oris sui [1].

Hic commendatur Domina Angelorum a Salomone, a reconciliatione Dei, et peccatorum. Unde merito templum pacis dicitur, in quo osculata est divinitas humanitatem. In quo templo *misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt* [2].

Cantic. I, 1 : *Osculetur me osculo oris sui*. Glossa : Incarnatione Filii, quæ est prælibatio communicationis nostræ, et Dei. Unde Bernardus [3] : « Sit os osculans, Verbum assumens : osculatum, caro quæ assumitur : osculum vero, quod pariter ab osculante et osculato conficitur, persona ipsa ex utroque compacta, *mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* [4]. Minime igitur mihi suspectus erit. *Frater enim et caro* mea *est* [5]. Puto enim, spernere non poterit Christus *os de ossibus* suis, *et carnem de carne* sua [6]. »

Item, Commendatur a pulchritudine, qua interius et exterius pollebat. Cantic. I, 14 : *Ecce tu pulchra es, amica mea*, simplicitate cordis, et munditia operum. *Oculi tui columbarum*. Glossa : « Quibus Deum simpliciter intueris, et nihil aliud nisi ipsum quæris. »

De pulchritudine Virginis nostræ sciendum, quod sicut Filius *speciosissimus forma præ filiis hominum* [7], ita ipsa pulcherrima inter filias, et filios hominum. Habuit enim pulchritudinem quæ potuit esse in mortali corpore. Quod autem Evangelium nihil scribit de pulchritudine ejus, una potest esse causa, quod cum Domina nostra nobis posita sit in exemplum, et in speculum salvos faciendi, non vult eam a talibus laudari, quorum inordinatus appetitus, vel usus fuit multis, et est hodie causa pereundi. Alia causa est : sicut Angeli supremi a donis nobilioribus laudantur, et denominantur, et non ab inferioribus, quæ tamen in ipsis esse non dubitantur : ita et beatissima Virgo donis spiritualibus plenissima, donis gratuitis nobilissima, ita occupat animos laudantium, quod bonorum corporalium obliviscuntur. Tamen pro infallibili regula debemus habere, qui eam diligimus, quod quidquid umquam bonitatis in aliquo sanctorum fuit, vel pulchritudinis, in ipsa hoc per excellentiam excreverit, et per ipsam in eos.

Item, Ipsa est lilium totius castitatis, 3.
et odoris. Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas*, etc. Glossa : « Quod pungitur spinis, candorem tamen retinens, et tunc majorem odorem effundens. » Numquid non fuit lilium nostrum inter spinas detrahentium ei et Filio ejus ?

[1] Cantic. I, 1.
[2] Psal. LXXXIV, 11.
[3] S. BERNARDUS, Serm. II super Cantica.
[4] I ad Timoth. II, 5.
[5] Genes. XXVII, 27.
[6] Genes. II, 23.
[7] Psal. XLIV, 3.

Nonne hic est faber filius Mariæ [1]? etc. : et maxime quando stetit inter crucifixores juxta crucem apud Filium [2].

4. Item, Ipsa est cellaria totius Trinitatis, quæ de vino Spiritus sancti dat, et propinat, cui vult, et quantum vult. Unde et congratulando dicit, Cantic. II, 4 : *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Glossa : « Id est, in Ecclesiam, in cujus unitate Spiritus sanctus solet dari, et accipi. » Vel, cella vinaria, est cœlum empyreum, ubi omnes *inebriabuntur ab ubertate domus Dei* [3], in quam introducta fuit a Rege in die assumptionis.

5. Cantic. II, 4 : *Ordinavit in me charitatem* : quam mihi excellentissime super omnes dedit. Quod sic probatur per Lucam, VII, 41 et seq., quærenti Domino de duobus debitoribus, quorum *unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit : Æstimo quia is cui plus donavit.* Sed beatissimæ Virgini super omnes creaturas plus donatum est. Ergo super omnes creaturas plus diligit.

Item, Deus *dat omnibus affluenter* [4], etc. : *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum* [5]. Non tamen omnes recipiunt æqualiter. Cujus diversitatis duplex causa est. Una ex parte recipientis, quia alter altero capacior est, juxta illud Matthæi, XXV, 14 et 15 : *Tradidit illis bona sua.... unicuique secundum propriam virtutem.* Glossa : id est, capacitatem. Hanc autem capacitatem operatur humilitas vera, juxta illud Jacobi, IV, 6 : *Humilibus dat gratiam.* Ergo ubi major humilitas est, ibi major capacitas est. Sed ipsa super omnes humillima fuit. Ergo maxime capax. Ergo maximam gratiam recipere potuit, scilicet quantum recipere potuit, tantum recepit.

Item, Ex parte dantis est diversitas doni : quia cum dans det secundum rationem, et ratio respiciat finem, majus donum dat quod dat ad majorem finem, ut Imperator majus donum dat ad essendum senatorem, quam cui dat ad essendum simplicem servitorem. Sed dabatur Mariæ gratia ad essendum matrem Dei, et omnibus aliis datur ad essendum servos et ancillas Dei. Sicut ergo improportionabiliter majus est esse matrem Dei, quam servum Dei, ita improportionabiliter erit majus donum ad essendum matrem Dei, quam ad essendum servum Dei : sed donum in quo omnia donantur, est charitas beatissimæ Virginis : ergo improportionabiliter major erit charitate omnis creaturæ. Habuit etiam beata Virgo summam charitatem ad proximum, quia animam Filii, et ipsum Filium pro proximo posuit, quem plus quam propriam animam dilexit, insuper obtulit. Et sic est quod dicitur : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* [6].

Item, Ipsa est speculum totius pulchritudinis post Deum. Cantic. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam*, scilicet faciem humilitatis, quam ostendisti in incarnatione, dicens : *Ecce ancilla Domini* [7]. Faciem palloris, quam ostendisti in mea passione. Faciem summi decoris, quam ostendisti in tua assumptione.

Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis.* Vox pietatis, quando dixisti, Joan. II, 3 : *Vinum non habent.* Vox fidelitatis, quando consuluisti, ibidem, v. 5 : *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Vox doloris quando dixisti, Luc. II, 48 : *Fili, quid fecisti nobis sic?* Vox invitationis, ad famelicos peccatores invitan-

[1] Marc. VI, 3.
[2] Joan. XIX, 25.
[3] Psal. XXXV, 9.
[4] Jacobi, I, 5.
[5] Joan. I, 9.
[6] Luc. II, 35.
[7] Luc. I, 38.

um. Proverb. IX, 5: *Venite, comedite anem meum,* etc. Eccli. XXIV, 26: *Transite ad me, omnes qui concupiscitis ne*, etc. Hæ voces dulciter sonant in auibus meis. *Vox enim tua dulcis, et sermo tuus decorus* [1].

Item, Ipsa est lectulus Salomonis [2], n quo requievit novem mensibus Filius Dei. Unde ipsa dicit, Eccli. XXIV, 12: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

Item, Ipsa est turris munitissima, in se, et in aliis. Cantic. IV, 4: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea.* Ibi quisque inveniet defensionem contra malum suum. Ibi pendet clypeus castitatis contra luxuriam, humilitatis contra superbiam, charitatis contra invidiam, largitatis contra avaritiam. *Omnis armatura fortium* in ipsa.

Item, Ipsa est quam tota Trinitas multiplici nomine ad se venire invitavit. Cantic. IV, 7 et 8: *Tota pulchra es, amica mea.* Glossa: Immunis etiam a veniali peccato: *et* ideo *macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea*, etc. Ter dicit: *Veni*, propter fidem Trinitatis. Nota, quod multum dilecta regis multiplici nomine solet a diligente appellari. Sic beatissima Virgo a Deo vocatur amica, columba, dilecta, speciosa, formosa, soror, immaculata, perfecta, electa, Sulamitis, filia. Diversitatem horum nominum nota, et gloriosæ Virgini adapta.

Item, Ipsa est quam Salomon comparat auroræ in sua nativitate, lunæ plenæ in Filii Dei ineffabili conceptione, soli in sua assumptione, terribili castrorum aciei in dæmonum effugatione. Cantic. VI, 9: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora*, etc.

Item, Ipsa est ad quam omnis peregrinatio clamat. Cantic. VI, 12: *Revertere, revertere, Sulamitis ! revertere*, etc. 12.
Petrus Domianus [3] sic exponit: « Revertere primo per naturam. Numquid quia ita deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam, Domina. Scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant servi tui. Non enim convenit tantæ misericordiæ tantam miseriam oblivisci: quia etsi subtrahit gloria, revocat natura. Non enim ita memoraris justitiæ Dei solius, ut misericordiam non habeas: neque ita es impassibilis, ut sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam, et justum est ut de rore tantæ pietatis diffusius infundamur.

« Revertere secundo per potentiam. *Fecit* in te *magna qui potens est* [4]: et *data est* tibi *omnis potestas in cœlo, et in terra* [5]. Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem de luto fæcis et miseriæ sublevasti. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans sed imperans, Domina non ancilla, moveat te natura, potentia moveat: quia quanto potentior, tanto misericordior esse debebis.

« Revertere tertio per amorem. Scio, Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te, et per

[1] Vulgata habet, Cantic. II, 14. *Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*
[2] Cantic. III, 7.
[3] S. PETRUS DAMIANUS, Serm. II de Nativitate B. Mariæ Virginis.
[4] Luc. I, 49.
[5] Matth. XXVIII, 18.

te, Filius tuus et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeras iram judicis, cum justitiæ virtus a præsentia deitatis egreditur?

« Revertere quarto per largitatem. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, et sola electa es, cui gratia tanta conceditur. Absit ut cesset manus tua, cum occasionem quæras salvandi miseros, et misericordiam effundendi : neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum pœnitentes ad veniam, justificati ad gloriam assumuntur.

« Revertere ergo, Sulamitis, id est, despecta, cujus animam pertransivit gladius [1] : quæ fabri uxor appellata fuisti [2]. Ad quid? *ut intueamur te*. Summa gloria est, post Deum, te videre, adhærere tibi, et tuæ protectionis munimine demorari. Subveni igitur, Domina, ad te clamantibus jugiter fratribus. Hic triplex funiculus est, qui trahit matrem misericordiæ ad nos visitandos, et consolandos, scilicet funiculus naturæ, funiculus amoris, funiculus largitatis. »

13. Commendatur etiam Regina nostra a summa post Dominum nobilitate. Cantic. VII, 1 : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis* [3] a qua ipse Christus etiam vera generatione descendit. Porro ista nobilitas consideratur in substantia, si nobilem substantiam, et proprietatem in se possideat. Habuit autem in substantia, naturæ perfectionem, et in anima gratiæ plenitudinem. Item, consideratur in efficacia, si nobiles de se producat effectus, et ipsa ipsum Dominum, Dei Filium de se generavit. Unde beatissima Virgo in omnibus, in quibus nobilitas consideratur, in summo nobilis invenitur. Ipsa enim originem duxit a regibus, a sacerdotibus, et prophetis. Unde et est regina misericordiæ, sacerdos justitiæ, quæ *proprio Filio suo non pepercit* [3], sed *stabat juxta crucem*, ut dicit Joannes, XIX, 25, ut non solum Filii Dei consideraret, sed ut salutem humani generis exspectaret. Prophetissa sapientiæ, juxta illud Isaiæ, VIII, 3 : *Accessi ad prophetissam*, id est, Mariam. Et licet elevata per summam nobilitatem in sursum, tamen per humilitatem se ipsam depressit subtus omnes deorsum. Unde dicit Augustinus [4], quod nequaquam fuisset super omnes choros Angelorum exaltata, nisi fuisset infra omnes homines humiliata. Et sciendum quod ubi nobilitas carnis ornatur nobilitate meritis, utraque præstat alteri laudis incrementum : si autem separantur, tunc nobilitas carnis non tantum non laudatur, sed vituperatur, quia qualitas mali operis, contraria agit nobilitati carnis originis. Et tanto detestabilior est deformitas operationis, quanto magis est contra naturalem inclinationem originis, et nobilitatis. Nobilitas autem mentis, sine nobilitate carnis, tanto amplius laudatur, quanto etiam propriam vincens naturam laudabilius operatur.

Commendatur etiam a deliciarum copiositate Cantic. VII, 6 : *Quam pulchra es, et quam decora, carissima, in deliciis*, scilicet gratiæ, et gloriæ. Has delicias admiratur Salomon cum ait, Cantic. VIII, 5 : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens*, etc.? De ista gloriosa ascensione, sive assumptione Virginis matris sic loquitur Bernardus [5] : « Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati Verbi mater in cœlum : nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in

[1] Luc. II, 35.
[2] Matth. XIII, 55.
[3] Ad Roman. VIII, 32.
[4] Lectio hæc in S. Augustino non invenitur, sed in anonymo auctore, sermone de Nativitate B. Virginis (incipit : « Creatura matrem ») apud P. Canisium, lib. IV de Deipara, cap. 8. Et in S. Bernardo, Serm. de B. Maria, super illa verba Apocalypsis, XII, 1 : *Signum magnum apparuit*, etc. (Nota edit. Lugd.)
[5] S. Bonaventura, Serm. IV de Assumptione B. Virginis.

Virgine. Sed de ejus gloria, nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est, quod ipsi cœlestis curiæ principes in consideratione tantæ novitatis clamant, non sine admiratione : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens*, etc. ? Quasi dicerent : Quanta est hæc, et unde ei ascendenti utique de deserto, affluentia tanta deliciarum ? Nec enim pares inveniuntur deliciæ, etc. *Quæ est ista*, quæ de sub sole (ubi nihil est nisi labor, et dolor, et afflictio spiritus) *ascendit*, *deliciis* spiritualibus *affluens ?* Quidni delicias dixerim, virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis ? Quid mirantur Angeli de terra deserta Mariam ascendere deliciis affluentem ? mirentur potius pauperem Christum de cœlestis regni plenitudine descendentem. Longe enim ampliori miraculo dignum videtur Dei Filium paulo minus ab Angelis minorari, quam Dei matrem super Angelos exaltari. Illius siquidem exinanitio facta est repletio nostra : illius miseriæ, mundi deliciæ sunt. *Quæ est ista ?* Fateor imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo : non est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod me terreat magis, quam de gloria Virginis Mariæ habere sermonem. *Quæ est* ergo *ista ?* Tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt (ut dignum est) universi, ut licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. *Quæ est* ergo *ista ?* Hæc est, quæ ut inquiebat Sedulius :

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem :
Gaudia matris habens cum virginitatis honore.

Maria, inquit, *optimam partem elegit*[1], etc. Optimam plane, quia beata fœcunditas virginea, et fœcunda virginitas. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri, quia *non auferetur ab ea*[2]. Omnes virtutes singulares prorsus invenies in Maria, quæ videbantur esse communes.

Quæ est ista ? Hæc est purissima super omnes Angelos. Quæ enim vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, etc. ?

Quæ est ista ? Hæc est humillima, super omnes pretiosa. Est in ipsa humilitatis virtus, cum tanta innocentia, cum conscientia prorsus absque delicto, imo cum tanta gratiæ plenitudine, etc.

Quæ est ista ? Hæc est misericordissima. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus.

Quæ est ista ? Hæc est totius mundi reparatrix : hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim eam pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est, Luc. I, 30 : *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum :* gratiam utique, quam quærebas.

Quæ est ista ? Hæc est illa sublimis, cujus longitudinem bonitatis, latitudinem misericordiæ, altitudinem charitatis, profunditatem humilitatis mensurare nemo potest. Quis ergo misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profunditatem queat investigare ? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimi-

[1] Luc. x, 42.

[2] Ibid.

tas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profunditas ejus sedentibus in tenebris et umbra mortis obtinuit redemptionem.

Quæ est ista? Hæc est inferni evacuatrix, cœlestis Jerusalem restauratrix, vitæ perditæ donatrix. Per te enim cœlum repletum est, infernus evacuatus est, instauratæ sunt ruinæ cœlestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data est. Sic potentissima et piissima charitas et affectu compatiendi et subveniendi abundat effectu, æque locuples in utroque. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra! Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat! Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, et prosecuti sumus, saltem a longe Virgo benedicta.

Quæ est ista? Hæc est, quæ ideo ascendit in cœlum, ut toti mundo gratiam, quam invenit, notificet, reis veniam impetret, medelam ægris. Sic deinceps pietatis tuæ, quam apud Deum gratiam invenisti, notam fac mundo, scilicet reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis et lætitiæ dulcissimum Mariæ nomen cum laude invocantibus servulis per te, regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. »

Item, Ipsa est quam super omnem creaturam Deus allocutus est, Cantic. viii, 8 : *Soror nostra*, scilicet Maria, *parva*, scilicet per humilitatem, sed maxima per dignitatem : *ubera non habet*, scilicet concupiscentiæ et luxuriæ, sed gratiæ et misericordiæ. Ergo, *Quid faciemus sorori nostræ*, fidelissimæ, verecundissimæ, *in die* annuntiationis, *quando alloquenda est?* per Angelum exterius, ac per annuntiationem a tota Trinitate interius, ad Filii Dei receptionem, ad hominum reconciliationem, ad inferni clausionem, ad cœli reserationem, ad æternam diaboli conculcationem.

Item, Ipsa est murus defensionis. Cantic. viii, 10 : *Ego murus* firmissimus, *et ubera mea sicut turris* salvans et exaltans, *ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens*, quam nullus poterat reperire. Ego sum columba Noe, Ecclesiæ ramum olivæ et pacis deferens universalis[1].

LIBER SAPIENTIÆ.

Diligite justitiam, qui judicatis terram[2].

1. Beatissima Domina dicitur mater instructionis peccatorum stultorum, Sapient. vii, 12 : *Ignorabam*, ego scilicet peccator, *quoniam horum omnium*, scilicet fidelium Christi, *mater est sapientiæ*, scilicet Maria

[1] Cf. Genes. viii, 10 et 11.

[2] Sapient. i, 1.

Item, Ipsa est speculum bonitatis Dei, et speculum imitationis. Sapient. VII, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.* Glossa : Etiam venialis peccati, *et imago bonitatis illius*, scilicet Dei.

Item, Ipsa est unctrix Dei et hominis, quæ *attingit a fine* misericordiarum Dei, *usque ad finem* miseriarum hominis peccatoris. Sapient. VIII, 1 : Sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter*, etc.

Item, Ipsa est mater communicationis 4.
omnium bonorum : et mater consolationis, tædium auferens per piam consolationem, et allocutionem sapientiæ. Sapient. VIII, 9 : *Proposui ergo hanc*, scilicet Mariam, *adducere mihi ad convivendum* per devotionem, ipsam ad me venire invitans : *sciens quoniam mecum communicabit* largiter, fideliter, et humiliter, et utiliter *de bonis* gratiæ et gloriæ, *et erit allocutio cogitationis et tædii mei.* Glossa : *Allocutio*, id est, alleviatio.

LIBER ECCLESIASTICUS.

Omnis sapientia a Domino Deo est[1].

θέοτοκος, Virgo Maria, dicitur fidelissima susceptrix servorum suorum. Eccli. IV, 12 : *Sapientia*, id est, Maria, *filiis suis vitam inspirat*, gratiæ, et gloriæ, *et* Deus per ipsam *suscipit* gloriose *inquirentes se*, humiliter, et devote, *et præibit in via justitiæ*, scilicet per gratiam in præsenti, et postea in morte, *præibit* ad viam gloriæ : et quo introibit ? Glossa, ibi, *Benedicet Deus*, illum scilicet ditans, et conservans. Genes. XXX, 30, dixit Jacob ad Laban : *Benedixitque tibi Dominus ad introitum meum*, multo fortius ad introitum Mariæ.

Item, Ipsa est mater honorificata [2], quæ cibat esurientem filium, potat sitientem, exaltat vivificatum, implet vacuum, thesaurizat gratiam et gloriam super egentem, *et nomine æterno* glorificat se diligentem. Hæc sex matris gloriosæ beneficia tanguntur, Eccli. XV, 2 et seq. : *Obviabit illi quasi mater honorificata.* Et, *Cibabit illum.* Et, *Potabit illum.* Et, *Nomine æterno hæreditabit illum.*

Item, Ipsa est lumen justitiæ. Eccli. 3.
XXIV, 6 : *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens*, id est, Maria, *et sicut nebula texi omnem terram.*

Item, Ipsa est thalamus requiei, in 4.
quo numquam Filius Dei per aliquod peccatum inquietatus fuit. Eccli. XXIV, 11 : *In omnibus requiem quæsivi*, et non inveni nisi in Maria, propterea *in hæreditate Domini morabor*, hoc est, in Maria, quæ antonomastice portio et hæreditas Domini nuncupatur : unde propter hanc requiem ab Ecclesia ei dicitur, quod Domino cœli præbuit hospitium

[1] Eccli. I, 1.

[2] Eccli. XV, 2.

sui sancti corporis [1]. Quare et ipse ei versa vice in ejus assumptione præbuit hospitium, dicendo : *Hospes eram, et collegistis me : esurivi, et dedistis mihi manducare* [2]. Ideo do tibi potestatem *in cœlo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis* [3].

5. Item, Ipsa est tabernaculum dormitationis, et quietis Filii Dei. Eccli. xxiv, 12 : *Dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me requievit in tabernaculo meo*. Quasi quis quæreret : Quæ causa adventus tui in hunc mundum fœtidissimum? Respondeo : Creavit me, ut per me sapientissimam, Deus Pater placaretur : jurabat enim per Jeremiam, xiii, 14, dicens : *Non parcam..., neque miserebor*. Sed quid sapiens Maria dicebat? Ex quo inevitabile est, ut percutias, *fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi* [4] : qui ex divinitate ictum tantum sufferre possit, et tamen secundum humanitatem de illo dolebat supra modum. Pater vero dicebat illud Isaiæ, liii, 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam*, etc. : Filius vero illud Jonæ, i, 12 : *Quoniam propter me tempestas hæc venit super vos* etc., placabo Patrem clamore, cruore, morte. Et tunc Pater placatus ait : *Nolo mortem impii*, quia jam mortem Filii mei video : *sed volo ut convertatur impius a via sua, et vivat* [5].

Item, Creata sum, ut per me ignobilis peccator nobilitaretur : nihil enim ignobile nisi peccator et peccatum. Psal. lxxxii, 11 : *Facti sunt ut stercus terræ*, scilicet per peccatum, qui prius fuerunt filii Dei per gratiam. Nata ergo Maria, nobilitati sumus per eam natura, quia a Christo dicimur *Christiani*.

Item, Nata sum, ut debilitas humani generis per me fidelissimam juvaretur. Eccle. iv, 1 : *Vidi lacrymas innocentium, et neminem consolatorem*. Unde ipsa consolando nos, dicit illud Osee, xiii, 9 : *Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum*.

Item, Creata sum, ut per me lucidissimam mundi tenebræ fugarentur. Genes. i, 1 : *Fiat lux*, id est, Maria, quæ illuminat omnes, sed dissimiliter : conjugatos illuminat ut stella, viduatos ut luna, virgines et religiosos ut sol

Item, Creata sum, ut fortitudo diaboli per me vinceretur. Genes. iii, 15 : *Ipsa conteret caput tuum*.

Item, Creata sum, ut paupertas filiorum Adam per me ditaretur. Unde Hieronymus in sermone de Assumptione B. Virginis, qui incipit : *Cogitis me* [6], dicebat Virginem esse gratia plenam, quæ dedit cœlis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam.

Sequitur : *Requievit in tabernaculo meo* [7] : quia cum tota divinitate et humanitate. Requievit utiliter, quia in utero meo existens, *operatus est*, ut inquit David, Psal. lxxiii, 12, *salutem in medio terræ*. Requievit dulciter, nullum dolorem inferens, et cum integritate virginalis claustri cubicula intrans, et exiens. Requievit largiter, mihi omnia bona sua secum deferens. Sapient. vii, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, etc. Requievit puriter, purissimus in purissima. Unde ipsa dicit, Eccli. xxiv, 13 : *In ci-*

[1] Vide Prosam seu Sequentiam quæ incipit, *Jubilemus in hac die*,

Hodierna lux diei
Dies fuit requiei
Plasmatoris omnium
[illegible]

Sic quievit in Maria
[illegible]
[illegible] hospitium

[2] Matth. xxv, 35.
[3] Psal. cxxxiv, 6.
[4] Psal. lxxix, 18.
[5] Ezechiel. xxxiii, 11 et xviii, 23-32.
[6] Habetur tom. II, inter epistolas ad Paulam et Eustochium. Nota edit. Lugd.
[7] Eccli. xxiv, 12.

vitate sanctificata, id est, Maria, *similiter requievi.* Potuit enim dicere Filius ei illud quod dicit Jacob ad Laban, Genes. xxx, 30 : *Modicum habuisti*, scilicet o mater, *antequam venirem ad te*, scilicet per gratiam in mente, et divinitatem in ventre. *Et nunc dives* et inclyta *effecta es*, quia Domina es in terra. Tibi enim traditæ sunt *claves mortis et inferni*, atque cœli [1]. *Benedixitque tibi Dominus ad introitum meum.* Iste enim est introitus Noe in arcam, quando *rupti sunt omnes fontes abyssi* gratiarum [2].

Item, Exaltata est in gloria et gratia super omnem creaturam. Eccli. xxiv, 17 et seq.: *Quasi cedrus*, scilicet ad fugandum, *exaltata sum in Libano*, cujus odor diabolum serpentem antiquum fugat. Vel ad sustentandum onera totius generis humani, ibi, *Quasi cypressus in monte Sion*, quæ numquam cedit oneribus : sic ipsa numquam aliquibus tribulationibus. Vel, ad defendendum, ut ibi, *Quasi palma exaltata sum in Cades*, quæ expansis ramis in modum manus hominis habet folia. Vel, ad pacificandum, ut ibi, *Quasi oliva speciosa*, quæ est arbor pacis. Vel, ad adumbrandum contra calorem tentationum, ut ibi, *Quasi platanus exaltata sum*, quæ alta est, et habet lata folia, et per ramos diffusa. Sic et Regina cœli.

Item, Ipsa est vitis jucunditatis, et lætitiæ. Eccli. xxiv, 23 : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Comparatur autem Maria viti, tribus de causis. Primo, quia flos vitis fugat serpentes : sic Maria dæmones. Secundo, quia lacryma vitis sedat impetiginem et scabiem : sic Maria quodlibet crimen. Tertio, quia generat vinum, quod tollit tristitiam : sic Maria dat perpetuam lætitiam.

Item, Beata Virgo appellat se quadruplicem matrem. Matrem pulchræ dilectionis, contra luxuriam : matrem timoris, contra superbam audaciam : matrem agnitionis, contra ingratitudinem et ignorantiam : matrem spei, contra confusam diffidentiam. Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* 8.

Ipsa est etiam depositorium totius Trinitatis, in quo peccator quærere debet quidquid in gratia necesse habet. Eccli. xxiv, 25 : *In me gratia omnis vitæ* [3], contra mortem, *et veritatis*, contra mendacium : *in me omnis spes*, contra desperationem, *in me omnis spes viæ* [4] *et virtutis*, contra omne vitium. 9.

Item, Ipsa sedens in dextera Dei Filii, nostra videns pericula, clamat, Eccli. xxiv, 26 : *Transite ad me, omnes qui*, etc. Nota, a quo, ad quem, et quos ad transeundum invitat. A quo, quia a mundo decipiente, a peccato inficiente, a diabolo devorante. Vel aliter, quasi diceret : Transite de mundo, quia *mundus transit, et concupiscentia ejus* [5], ideo vos ad me transite. Vel, transite quamdiu potestis, de culpa ad gratiam, quia postea non valebitis. Sed ad quem ? *Ad me*, quæ sum peccatorum illuminatrix. Job, xxix, 15 : *Oculus fui cæco.* Item, *ad me*, quæ sum peccatorum reconciliatrix, ut patet, II Regum, xxv, 1 et seq., de Nabal et Abigail. Vel, *ad me*, quæ sum omnium peregrinorum Christi generalis receptrix. Job, xxxi, 32 : *Ostium meum viatori patuit.* Sed quos invitas ad transeundum ad te ? *Omnes qui concupiscitis me*, me honorantes, et diligentes etiam per teneram devotionem. Sed quare transire debemus ? *Ut a generationibus meis impleamini*, quia vacui : ut salvemini, quia perditi : ut dulces efficiamini, quia amari. 10.

[1] Apocal. i, 18.
[2] Cf. Genes. vii, 11.
[3] Vulgata habet *viæ*.
[4] Ibi est *vitæ* in Vulgata.
[5] I Joannis, ii, 17.

Unde, ibidem, ỳ. 27 : *Spiritus enim meus super mel dulcis*, omnium amaritudinem peccati repellens. Et ad hoc transite, ut saturemini, ut ibi, ỳ. 29 : *Qui edunt me adhuc esurient*, etc. Glossa : per desiderium, et devotionem. Vel, propter hoc ut instruamini, ut ibi, ỳ. 30 : *Qui audit me non confundetur, et qui operantur in me*, mihi serviendo, *non peccabunt*. Et infra, ỳ. 31 : *Qui elucidant me*, aliis prædicando fideliter, veraciter, et devote, *vitam æternam habebunt*, per me, et per meum Filium.

11. Item, Ipsa est quæ pro nobis creata est, et missa in mundum Eccli. xxiv, 14 : *Ab initio et ante sæcula creata sum*, etc. Require de hoc in Proverbiis, viii, 22 : *Dominus possedit me*.

12. Item, Ipsa est cujus habitatio est in plenitudine gratiarum Angelorum, et Sanctorum, et in plenitudine ipsius Trinitatis. Eccli. xxiv, 41 et seq. : *Ego quasi fluvius dioryx*, qui interpretatur *medicamentum generationis*, scilicet infirmorum filiorum Adam, *et sicut aquæductus exivi de paradiso. Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum*, id est, Filii … *et illuminabo omnes sperantes in Domino*, non in mundo, vel in alia re.

13. Item, Ipsa est quæ communiter orationibus laudatur, et communiter ab omnibus est laudanda. Eccli. xxiv, 47 : *Videte*, scilicet Angeli, justi, peccatores, *quoniam non soli mihi laboravi*, scilicet filium meum lactando, nutriendo, et apud crucem stando, *sed omnibus exquirentibus veritatem*.

14. Item, Ipsa est sol, qui sua præsentia ornat cœlum. Eccli. xxvi, 21 : *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus*. Et, Eccli. xliii, 16 : *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus*. Iterum, xliii, 2 et seq. : *Sol in adspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi. In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere ? Fornacem custodiens in operibus ardoris : tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis obcæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum*, etc.

Item, Ipsa est luna quæ nobis indicat festa æternæ jucunditatis. Eccli. xliii, 6 : *A luna signum diei festi*. Nota de signis lunæ.

Item, Maria Virgo signata est per Abraham, in cujus laudem, et filii sui Isaac dicitur, Eccli. xliv, 25 : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus* : quod antonomastice de ipsa Virgine verificatum est, cui Dominus omnem benedictionem dedit. Et ut ab initio aliquantulum repetamus, ipsa habuit benedictionem septimi diei, in quo Deus *requievit ab universo opere quod patrarat* [1]. In ipsa enim vere fuit consummatio operum dei, quoniam omnia creata in uno opere, scilicet homine, uniuntur cum creatore : et primum fit ultimum, et ultimum primum. Non est enim perfectio motus, nisi quando est in circulo. Habuit etiam benedictionem Adami et Hevæ. Genes. i, 28 : *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram*. Dominatur enim per potentiam piscibus maris, id est, dæmonibus in amaritudine inferni constitutis. Dominatur etiam volucribus cœli, id est, Angelis volantibus per contemplationem Dei. Dominatur etiam per misericordiam animantibus quæ moventur super terram, id est, hominibus in hoc mundo constitutis.

Item, Habuit benedictionem Jacob, quæ in tribus consistit. Primo in abun-

[1] Genes. ii, 2.

dantia necessariorum, ibi, Genes. XXVII, 28 : *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini.* Secundo, in dignitate bonorum, ibi, ℣. 29 : *Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ : serviant tibi populi.* In amotione incommodorum, ibi, ℣. 29 : *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus : et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Laudemus ergo omnes Mariam, et dicamus : *Benedicta tu in mulieribus*[1].

Habuit etiam benedictionem Balaam, in qua notantur septem. Primum est ejus gloriosa generatio, ibi, Numer. XXIV, 17 : *Orietur stella ex Jacob.* Secundum, Filii Dei incarnatio, ibi, *Et consurget virga de Israël.* Tertium, vitiorum destructio, ibi, *Et percutiat duces Moab.* Quartum, hominum liberatio, ibi, ℣. 18 : *Et erit Idumæa possessio ejus.* Quintum, beatorum confirmatio, ibi, *Israël fortiter aget.* Sextum, cæterorum dominatio, ibi, ℣. 19 : *De Jacob erit qui dominetur.* Septimum, damnatio malorum, ibi, *Et perdat reliquias civitatis.*

Habuit etiam benedictionem Moysis, Deuteron. XXVIII, 3 et seq. : *Benedictus tu in civitate, et benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui..... Benedictus eris tu ingrediens et egrediens* : quæ de hac vita sine dolore mortis migrasti, et cœlum corpore et anima introisti.

Habuit etiam benedictionem Aaron, Eccli. XLV, 9 et seq., de cujus laude dicitur : *Coronavit eum in vasis virtutis,... et cinxit eum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo in memoriam filiis gentis suæ.*

Habuit benedictionem Samuelis, de cujus laude dicitur, Eccli. XLVI, 16 et seq. : *Renovavit imperium, et unxit principes*, etc. Et, *Vidit Deum lucis*, etc. *Pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo.*

Habuit etiam benedictionem Davidis, de cujus laude dicitur, Eccli. XLVII, 4 et seq. : *In juventute sua occidit gigantem, et abstulit opprobrium de gente.... Contrivit inimicos undique, et exstirpavit Philistiim contrarios usque in hodiernumdiem.*

Habuit etiam benedictionem Salomonis, de cujus laude dicitur, Eccli. XLVII, 16 et 17 : *Impletus est, quasi flumen, sapientia... Ad insulas longe divulgatum est nomen tuum.*

Habuit etiam benedictionem Joseph, de cujus laude dicitur, Eccli. XLIX, 17, quod fuit *princeps fratrum, firmamentum gentis*, collector frumenti, et *stabilimentum populi.*

Habuit etiam benedictionem Oniæ, de cujus laude dicitur, Eccli. L, 1 et seq., quod *in diebus ipsius emanaverunt putei aquarum*, et quod *suffulsit domum*, et quod fuit *quasi stella matutina in medio nebulæ*, et *quasi luna plena*, et *quasi sol refulgens*, et *quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, et *quasi flos rosarum in diebus vernis*, et *quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ*, et *quasi thus redolens :* et *quasi ignis effulgens et thus ardens in igne* : et *quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso* : et *quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens* : et quod *porrexit manum suam in liberatione, et libavit de sanguine uvæ*, etc., *excelso principi.*

[1] Luc. I, 28.

ISAIAS PROPHETA.

Visio Isaiæ, filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem[1].

1. Regina et Domina omnium Prophetarum, vocatur domus et civitas fidelitatis nostræ. Isa. I, 27 : *Vocaberis*, o Maria scilicet, a Patriarchis, et Prophetis, *civitas justi*, id est Christi : *urbs fidelis*, fideliter recipiens, et conservans ad se fugientes. Hanc civitatem laudat Psalmista dicens, Psal. LXXXVI, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Fuit enim hæc civitas fundata super humilitatem, murata per castitatem, turrita per charitatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, libera peccatorum immunitate, pacificata tentationum victoria, ornata divino officio per elegantiam morum, ædificata in refugium peccatorum, populosa virtute, omnium donorum gratuitorum integra, miserationibus abundans, in altissimo sita per excellentiam privilegiorum.

2. Item, Ipsa est tabernaculum, quod Deus Pater peccatoribus extendit quatuor de causis. Isa. IV, 6 : *Tabernaculum*, id est, Virgo Maria, *erit in umbraculum*. Glossa : sub protectione, *diei ab æstu*. Glossa : persecutionis, Deus adjutor noster[2] : *et absconsionem a turbine et a pluvia*. Glossa : id est, a persecutione majori, et minori : unde, Psal. LX, 5 : *Protegar in velamento alarum tuarum*.

3. Item, Ipsa est solium incarnationis Filii Dei. Isa. VI, 1 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*, id est, Virginem Mariam excelsam quantum ad animam, et elevatam quantum ad corpus. Et infra, ℣. 3 : *Plena est omnis terra*, id est, domus, *gloria ejus*. Glossa : id est, omni gratia, a majestate ejus. Glossa : regnantis.

Item, Ipsa est, quæ concepit, et peperit liberatorem omnium populorum. Isa. VII, 14 : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum*, salutis, et liberationis, hoc scilicet : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*. Glossa : peccatores revocantem. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Glossa : id est, Nobiscum Deus. Nobiscum humanitate, divinitate et fidelitate. Unde Bernardus : « Noli fugere, o Adam, quia nobiscum est Deus[3], etc. »

Item, Ipsa est virga floris. Isa. XI, 1 : *Egredietur virga*, id est, Maria, *de radice Jesse, et flos*. Glossa : id est, Christus, qui tumidis est virga, sed bonis est flos virtutum, et corona Angelorum, et sertum electorum, *de radice ejus ascendet*, in salutem electorum, in consolationem afflictorum, et in liberationem captivorum.

Item, Ipsa est receptaculum et latibulum fugientium ab ira Dei. Isa. XVI, 4 : *Moab, esto latibulum eorum a facie vastatoris*, id est, Christi qui impios vastabit.

[1] Isa. I, 1.
[2] Psal. XXXI, 20.
[3] S. Bernardus, Serm. II de Adventu Domini.

Item, Ipsa est solium misericordiæ, in quo Filius Dei misericorditer judicat peccatorem. Isa. xv, 5 : *Præparabitur in misericordia solium ejus.* Glossa : id est, Filii : quia omnes peccatores egent gratia Dei : *et sedebit super illud judicans* : aliter enim judicabit sedens in solio justitiæ, quod est in futuro. In solio misericordiæ sedens, et judicans, quando Deus vult parcere peccatori, considerat et attendit quinque. Primo, infirmitatem peccantis. Secundo, malitiam diaboli insultantis, dicentis illud Psalmi LXX, 11 : *Deus dereliquit eum, persequimini*, etc. Tertio, dolorem ipsius pœnitentis, quando clamat, Psal. VI, 3 : *Miserere mei, quoniam infirmus sum* : *sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Quarto, intercessionem Ecclesiæ triumphantis, et præcipue beatæ Virginis, cujus oratio non potest contemni. Quinto, super omnia bonitatem suam, de qua ipsemet dicit, Matth. xx, 15 : *An non licet mihi quod volo facere*, etc. ?

Solium igitur gloriæ preparatum fuit in gloriosæ Virginis nativitate. Super illud sedit in incarnatione. In solio vero justitiæ sedens judicabit, quod justum est. Unde sequitur, ibidem, ℣. 5 : *Quærens judicium*, in secundo adventu, *et velociter reddens*. Glossa : Unicuique secundum opera sua[1] : *quod justum est*. Glossa : dicens maledictis : *Ite in ignem æternum*, etc., et bonis : *Venite, benedicti*[2], etc. Sed quomodo *velociter reddit*, cum exspectet peccatores non ulciscendo, usque ad decrepitam ætatem ? Super hoc verbum, quod dicit, Deuter. VII, 10 : *Reddens odientibus se statim.* Glossa : Omne tempus æternitati comparatum, est quasi punctum : et ideo non reputat Deus, etiam quando multum exspectat.

Item, Ipsa est sine omni peccato nubes purissima. Isa. XIX, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem.* Glossa : corpus beatæ Virginis Mariæ. *Et ingredietur Ægyptum.* Glossa : id est, mundum. *Et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus*, quia omnia peccata destruet.

9 Item, Ipsa est urbs fortitudinis, contra omne malum. Isa. XXVI, 1 et 2 : *Urbs fortitudinis nostræ Sion*, id est, Maria. Glossa : Vox est justorum et nunc et in futuro. *Salvator ponetur in ea murus*, id est, Christus, *et antemurale*, secundum humanitatem. *Aperite portas.* Glossa : Dominus ad Angelos, *et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem*, non mendaces, non injusti.

10. Item, Ipsa est domus, et civitas opulenta. Isa. XXXIII, 20 et 21 : *Respice Sion*, id est, Mariam, *civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt* civitatem *Jerusalem, habitationem opulentam*, scilicet gratia. *Tabernaculum.* Glossa : et ipsa domus, *quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster*, quia in Maria magna fecit, et per eam magna facit, et propter eam, et in ea magnificatus apparuit.

11. Item, Ipsa est causa, propter quam peccatores laudant Deum. Isa. XLIII, 20 : *Glorificabit me bestia agri.* Glossa : id est, homo bestialis, *dracones*, id est, magni, et venenosi, *et struthiones.* Glossa : id est, hypocritæ : *quia dedi*, maxime *in deserto*, id est, in Maria, *aquas*, omnium gratiarum, et *flumina*, donorum sancti Spiritus, *ut darem potum.* Glossa : aquæ vivæ, *populo meo, electo meo*, clamanti ad me, cui dedi potum largiter. Ipsa est enim petra, de qua dicitur, Numer. XX, 8 : *Loquimini ad petram*, id est, ad Mariam, *et illa dabit aquas*, scilicet gratiarum et gaudiorum.

12. Item, Ipsa est terra germinans Salvatorem. Isa. XLV, 8 : *Rorate, cœli, desuper*, etc. Glossa : Veniat Gabriel, mittat nobis rorem, et nuntiet nobis salu-

[1] Psal. LXI, 13.

[2] Matth. XXV, 41 et 34.

tem : *et nubes*. Glossa : id est, Prophetæ, *pluant*. Glossa : annuntiando Christi nativitatem, passionem, et resurrectionem, *Justum*, id est, Christum Jesum.

13. Item, Ipsa est virtus misericordiæ, in qua peccatores portantur ad conversionem. Isa. XLVI, 3 et 4 : *Audite me,... qui portamini a meo utero*. Glossa : id est, in misericordia : *qui gestamini a mea vulva*, id est, clementia. *Ego portabo, et salvabo*. Glossa : si conversi fueritis.

14. Ipsa est terra faciens salutem. Isa. LIII, 2 : *Ascendet*. Glossa : Filius Dei, *sicut virgultum*. Glossa : de utero Virginis, *coram eo, et sicut radix de terra sitienti* Glossa : sicca et munda a concubitu.

15. Item, Ipsa non derelinquit nos. Isa. LIV, 10 : *Montes commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea*, id est, mater mea, *non recedet a te*, non dimittet, neque derelinquet te, dummodo volueris converti.

16. Item, Ipsa est fons, a quo profluit omne bonum. Isa. LVIII, 11 : *Eris*, o Maria, *quasi hortus irriguus*. Glossa : virtutum floribus, et operum fructibus conspicuus, *et sicut fons aquarum*. Glossa : assimilaberis Christo capiti tuo, *cujus non deficient aquæ*, spirituales, quæ irrigant Ecclesiam.

17. Item, Ipsa est quæ Deo fiducialius occurrit, ne feriat peccatores. Isa. LIX, 16 : *Vidit*. Glossa : Deus, *quia non est vir*. Glossa : In Judæis sanctus, *et aporiatus est*. Glossa : id est, contristatus, *quia non est qui occurrat*. Glossa : Deo, ut non percutiat. Sed ipsa pro omnibus occurrit, sicut Abigail, quando placuit David.

18. Item, Ipsa est civitas in Filii sui incarnatione illuminata. Isa. LX, 1 et seq. : *Surge, illuminare, Jerusalem*, id est, Maria, *quia venit lumen tuum*, id est, Filius Dei, ad illuminandum, sicut sol illuminat mundum. *Quia ecce tenebræ*. Glossa : infidelitas, et peccatum, *operient terram*, id est, terram amantem, *et caligo populos : super te autem orietur Dominus*, dignissime. Glossa : verus sol : *et gloria ejus in te videbitur*, sicut lumen in lucerna, sicut sol in nube, et sicut ignis in rubo. *Et ambulabunt gentes*, id est, miseri peccatores, *in lumine tuo*, id est, in Christo, qui est lux : *et reges*, id est, justi, vel etiam Angeli, *in splendore ortus tui* : omnes enim indigent tua gratia, tua illuminatione, tua propitiatione.

Item, Ipsa est, ad quam omnes confluunt per devotionem. Isa. LX, 4 : *Leva*, o Maria, *in circuitu* tuo, *oculos tuos*, scilicet misericordiæ et bonitatis, *et vide* hilariter : *omnes isti congregati sunt*. Glossa : ex omni natione, quæ sub cœlo est, peccatores pro venia, justi pro gratia, tristes pro gaudio : *venerunt tibi*, id est, ad honorem tuum et misericordiam clamantes : Subveni, Domina, clamantibus ad te jugiter, quia quamvis simus peccatores, tamen misericordiæ tuæ sumus filii et filiæ. Unde sequitur : *Filii tui*, o Maria, *de longe venient*. Glossa : de longinqua regione peccati, *et filiæ tuæ de latere surgent*. Glossa : *Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope*[1]. Et infra, v. 5 : *Tunc videbis*, cum levaveris oculos tuos, *et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum*. Glossa : præ gaudio, *quando conversa fuerit ad te multitudo maris*. Glossa : omnes nationes mundi, et *fortitudo gentium venerit tibi*.

Item, Ipsa est Domus majestatis totius Trinitatis, et altare placationis. Isa. LX, 7 : *Offerentur*, scilicet omnes fideles, qui per manum Christi sacerdotis volunt recipi, et Patri præsentari, *super placabili alta-*

[1] Ad Ephes. II, 13.

ri meo, id est, Maria, matre mea, *et domum majestatis meæ*, quam tota Trinitas potenter possedit, et implevit, *glorificabo* in cœlis, coram Angelis, et Sanctis Dei. Unde sequitur, ℣. 12 : *Gens enim et regnum, quod non servierit tibi*, o Mater mea, *peribit.* Glossa : in die judicii. Quasi dicat : Ergo, qui servierint ei non peribunt.

Item, Ipsa est, in qua nobis benedictio cœlestis est reservata. Isa. LXV, 8 : *Hæc dicit Dominus* : *Quomodo si inveniatur*, post tempestatem, *granum.* Glossa ; illæsum. Hoc granum est Virgo Maria, illæsa ab omni peccato, *in botro*, humani generis. Hoc inventum est in nativitate beatæ Mariæ Virginis : *et dicatur.* Glossa : volenti tangere : *Ne dissipes illud.* Glossa : Sine crescere, quoniam benedictio est. Glossa : id est, placuit Deo ut pro benedictione, de tanta tempestate reservaretur illud. *Sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum.* Glossa : genus humanum.

Ipsa est domus imperatoriæ majestatis. Isa. LXVI, 1 : *Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi ?* tam immensam, ut in ea includar. Jerem. XXIII, 24 : *Cœlum et terram ego impleo.* Quæ est ergo illa tam magna, tam lata, tam longa domus quam ædificabitis mihi ? Hæc domus ædificatur per consilium Patriarcharum et Prophetarum, et per consilium David in sanctitudine. Psal. XCII, 5 : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* Et talis sanctitudo, quæ sit libera ab omni inquinatione.

Item, Per consilium Jeremiæ, XVIII, 3, dicentis : *Descendi in domum figuli*, etc. ad Mariam quæ est domus totius reformationis, et renovationis. In hac formetur Filius Dei ad imaginem et similitudinem nostram, mortalis de immortali, ultimus de primo, pauper de divite. In hac reformetur luxuriosus ad castitatem, superbus ad humilitatem, invidus ad charitatem, cæcus ad lumen, claudus ad gressus. Unde ipsa dicit, Job, XXIX, 15 : *Oculus fui cæco, et pes claudo.* O quam avide mutilati ad talem currerent domum, ubi eis membra restituerentur !

Item, Per consilium Isaiæ [1] dicentis : « Domus totius plenitudinis. » In hac repletur peccator venia, justus gratia, Trinitas gloria, Filii persona humana substantia, ut non sit qui manu vacua recedat a domo ista.

Item, per consilium Osee [2] dicentis : Domus receptionis, et protectionis fugientium peccatorum, ut fugiens ad eam recipiatur, et protegatur a diabolo, a peccato, et maxime ab irato Deo. Hæc sunt consilia, secundum quæ ædificata est Virgo Maria, in domum sanctitatis, propter nostram mundationem : in domum plenitudinis, propter nostram salvationem : in domum reformationis, propter totius creaturæ renovationem.

Item, Ejus partum et parturiendi mo- 23.
dum omnis natura stupet, et admiratur, Isa. LXVI, 7 : *Antequam parturiret, peperit.* Glossa : genuit sine tempore fortem Filium, per quem omnia facta sunt et subsistunt. Et infra, ℣. 8 : *Quis audivit umquam tale*, ut antequam parturiter, pareret, ut naturaliter parturitio partum præcedat ? Peperit Pater sine tempore, peperisti tu, Virgo, eumdum in

[1] Mendum irrepsisse hic arbitramur in citatione prophetæ Isaiæ, et Osee : ad propositum enim nihil habet. Nobis autem pro Isaia citanda videntur loca Nehemiæ, II Esdræ, IX, 25 : *Possederunt domos plenas cunctis bonis.* Et, ibidem, X, 38 : *Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri*, id est, Mariam, quæ est gazophylacium et domus thesauri omnium gratiarum et bonorum, et domus totius plenitudinis, quia in hac repletur, etc. — Pro Osee autem legendum censemus Josue, XX, 1 et seq., ubi urbes pro fugitivis designari Deus jubet, quæ sint refugium, vel *domus refugii* (Psal. XXX, 3,) et domus receptionis, etc. (Nota edit. Lugd.).

[2] Vide notam superiorem.

tempore. Luc. II, 7 : *Peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit.* O virgo, tu peperisti mirabiliter, sicut Isaias hic dicit.

Item, Peperisti incorruptibiliter, sicut sidus radium, virga florem, et vitis odorem.

Item, Peperisti utiliter, quia Angelorum et hominum restaurator est, et ideo laudaris et benediceris abgne Alis et hominibus, et a corporalibus. Laudant te Angeli propter tria, quia ille quem tu genuisti, restauravit, reddendo deperditum, multiplicando numerum, augmentando superadditum, quartam scilicet hierachiam. Laudant te homines, propter tria, quia genuisti eis redemptorem, justificatorem, glorificatorem. Laudant te corporalia, quia ille quem tu genuisti, immutavit corporalia, innovando, nobilitando, et omnia in Christi corpore divinitati uniendo. Laudat te Pater, propter castitatem. Laudat te Filius, propter humilitatem. Laudat te Spiritus sanctus, propter bonitatem. Laudat te omnis creatura, o Virgo Maria : genuisti enim cœlis illuminatorem, immundis mundatorem, curvis erectorem, tristibus consolatorem, vinctis consolatorem, pauperibus ditatorem, desperatis confortatorem, errantibus reductorem, certantibus coronatorem.

JEREMIAS PROPHETA.

Verba Jeremiæ filii Helciæ[1].

1. Prophetarum Domina, Virgo Maria, est virga percutiens dæmones, corrigens peccatores, et vigilans super electos. Jerem. I, 11 et 12 : *Quid tu vides, Jeremia? Et dixit : Virgam vigilantem*, id est Mariam, vigilantem fideliter super electos, ut mater super filium, vigilantem misericorditer, sicut magister super discipulum, *ego video.* Sic ipsa super peccatores, ut eos corrigat, vigilat terribiliter super dæmones. *Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, quia vigilabo ego*, sicut pater, ipsa vero vigilabit sicut mater, *super verbo meo, ut faciam illud.*

2. Item, Ipsa est solium misericordiæ, ad quod peccatores misericorditer congregantur. Jerem. III, 17 : *In tempore illo*, id est, gratiæ, *vocabunt Jerusalem*, id est Mariam, *solium Domini*, in quo Deus sedit per misericordiam, se incarnando, *et congregabuntur ad eam omnes gentes*, id est, peccatores, qui ibi absolvuntur, et non secundum merita puniuntur.

Item, Ipsa est civitas et domus salvationis. Jerem. VIII, 14 : *Convenite*, celeriter, *et ingrediamur civitatem munitam*, id est, ad Mariam, munitam in natura, in gratia, in gloria : *et sileamus ibi.* Glossa : quia non audemus deprecari Dominum quem offendimus, sed ipsa deprecetur, et roget : *quia Dominus Deus noster silere nos fecit.* Glossa : quia eum offendimus : *et potum dedit nobis aquam fellis.* Glossa : id est, dulcem Deum, amarum nobis fecimus.

Ipsa est etiam oliva totius misericordiæ et bonitatis. Jerem. XI, 16 : *Olivam*

[1] Jerem. I, 1.

uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum. Ista nomina diversis gratiis beatissimæ Virgine adapta.

Item, Ipsa est solium propitiationis. Jerem. xiv, 21 : *Ne des nos in opprobrium,.. neque facias nobis contumeliam,* scilicet quam meruimus : *solii gloriæ tuæ recordare,* id est, Mariæ, *ne irritum facias fœdus tuum.* Glossa : promissæ salutis, *nobiscum.*

Item, Ipsa est advocata nostra, contra judicem sapientem, contra callidissimum hostem, et hoc in causa desperata. Jerem. xv, 1 et 2 : *Et dixit Dominus ad me : Si steterint Moyses et Samuel coram me.* Glossa : orantes pro populo : *non est anima mea ad populum istum.* Sed quid, o bone Jesus, si steterit coram te mater misericordiæ, numquid iratus dices ad eam de peccatoribus, ut ad Jeremiam : *Ejice illos a facie* tua, *et egrediantur* ad gladium, famem, captivitatem, et mortem ? Non sic dices ad matrem. Clama ergo, voce Mariæ placatus, reduc miseros ad pacem contra gladium, ad saturitatem contra famen, ad libertatem contra captivitatem, ad vitam contra mortem : desperatorum causam sola assumet, quam nullus aliorum Sanctorum assumere apte permittitur, dicente Domino ad peccatorem desperatum, Jerem. xv, 5 : *Quis miserebitur tui, Jerusalem ?* id est, anima desperata, quæ fuisti prius visio pacis, nunc autem visio infernalis. *Quis contristabitur pro te ?* cum mortis sententia feretur contra te, cum dicetur tibi : *Discedite a me, maledicti* [1], etc. Ibi omnibus derelinquentibus nos, non derelinquet illa. Illa enim miserebitur, et illa compatietur : illa *ibit ad rogandum pro pace* nostra, quam benevolentius impetrabit.

Item, Ipsa est domus figuli, vel domus renovationis humani generis. Jerem. xviii, 1 et seq., dixit Dominus ad Jeremiam : *Surge, et descende in domum figuli.* Domus figuli Dei est Virgo Maria, in qua fecit Deus opus suum super rotam, opus incarnationis, seipsum ponens in rota humanæ volubilitatis, ut fons sitiret, panis esuriret, requies fatigaretur, lux obtenebraretur, vita in ligno moreretur. Et hoc est quod sequitur, ℣. 4 : *Dissipatum est vas,* scilicet in passione, sed reformatum in resurrectione. Hæc est domus, in qua reformatus fuit miser Theophilus, sicut in laudem ejus canitur in die annuntiationis ejus in prosa, quæ incipit : « Ave, Maria, Theophilum reformans gratiæ. »

Item, Ipsa est sapientissima advocata, 8.
veniam, et gratiam obtinens, et illud allegans Jeremiæ, xviii, 20 : *Recordare,* o Fili, *quod steterim,* tempore mortis tuæ, *in conspectu tuo,* apud crucem, miserabiliter, et nunc tecum in cœlo, potentialiter, *in vestitu deaurato* [2]. *Ut loquerer pro eis,* qui digni sunt morte æterna, *bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.*

Item, Ipsa exemplo Filii, se pro nobis 9.
offert. Jerem. xxvi, 14 : *Ecce ego,* scilicet mater Dei, *in manibus vestris sum,* me totam in vestro ponendo servitio : *facite mihi quod bonum est,* non mihi tantum, sed et vobis, nunc, et in futuro. Et non solum de me, imo de Filio meo, cujus corpus et sanguinem in altari sumitis quotidie, *facite mihi* quod vultis, facite tamen quod *rectum est in oculis vestris,* et non tantum coram vobis, sed etiam coram Patre vestro cœlesti.

Item, Ipsa est civitas altitudinis. Je- 10.
rem. xxx, 18 : *Ædificabitur,* a Domino, *civitas,* id est, Maria, *in excelso,* ut sit omnibus firmamentum. Matth. v, 14 : *Non potest civitas abscondi supra mon-*

[1] Matth. xxv, 41.

[2] Psal. xliv, 10.

temposita. Et templum fundabitur. Templum gratiæ, misericordiæ, et gloriæ, et templum totius Trinitatis, totum est Maria : fundata est per humilitatem, erecta per spem, decorata per charitatem.

11. Item, Ipsa est opus totius novitatis. Jerem. XXXI, 22 : *Creavit Dominus novum super terram*, imo in cœlo, et sub terra. *Fœmina*, id est, Maria immaculata, *circumdabit* mirabiliter *virum*, sine virili semine in gremio uteri sui.

Item, Ipsa est illud vas, de quo dicit Spiritus sanctus, Eccli. XLIII, 2 : *Vas admirabile opus Excelsi*, mirabile, quia majus se ipso continet, scilicet Deum, quem totus orbis non bajulat, gestant puellæ viscera, ut sancta canit Ecclesia : mirabile, quod vinum et aquam sine interstitio, et tamen sine mixtione continet, scilicet vinum deitatis, et aquam humanitatis, quia Deus in ipsa nec commixtionem passus est, nec divisionem, ut eadem Ecclesia cantat in festo Circumcisionis Domini. Mirabile, quia clausum in se recepit Deum, quem clausum effudit : unde virgo ante partum, virgo in partu, et post partum.

Item, Ipsa est mons et domus totius securitatis. Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus*, id est, Maria, *pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Glossa : in quo qui habitaverit, nullas insidias sustinebit, vel expavescet. 12.

LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ.

Quomodo sedet sola civitas plena populo[1] ?

1. Sponsa Dei electa, in morte Filii sui viduata dolores et afflictiones sustinens supra modum. Thren. I, 1 : *Facta est quasi vidua.* Glossa : absente sponso, *domina gentium : princeps provinciarum* cœli et terræ, *facta est sub tributo* angustiæ et doloris. Unde Damascenus[2] : « Sed et ipsa beata, et supra naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit patiens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens, et quem Deum per nativitatem agnovit, illum ut maleficum, interfectum videns, tamquam gladio cogitationibus decerpitur : et hoc est : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*[3] ».

Item, Ipsa est mater amaritudinis in passione Filii, quæ fuit mater dulcedinis in conceptione. Unde orans ad Patrem dicit, Thren. I, 20 : *Vide, Domine.* O Pater, te Patrem, te pium judicem cruciatus flectant. Vide Filium tuum pulcherrimum, deformissimum, excelsum, dejectissimum, clamantem ad te : *Eli, Eli, ut quid dereliquisti me*[4] ? Vide Filium tuum, super omnia mihi conjun- 2.

[1] Thren. I, 1.

[2] S. J. Damascenus, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 15.

[3] Luc. II, 35.

[4] Matth. XXVII, 46.

ctum, per mortem disjunctum. Vide me pauperem Mariam, matrem unigeniti Filii tui, *quoniam amaritudine plena sum* in anima, quam gladius pertransivit, in auribus audiens clamorem Filii clamantis : *Ut quid dereliquisti me ?* audiens clamorem se a me licentiantis, et dicentis : *Mulier, ecce Filius tuus*[1]. Amaritudine plena in oculis, quia vidi coronatum spinis, lancea perforatum, undique sanguine cruentatum : quia jam *amaritudine plena sum*, rogo, ut peccatores sint pleni misericordia, justi gratia, electi gloria.

Sequitur, Thren. III, 56 : *Vocem meam*, o Pater misericordiarum, *audisti*, et vocem Filii tui audisti : *ne avertas aurem* propitiationis, *a singultu meo, et clamoribus* cordis mei, pro peccatoribus, quos tuæ pietati commendo.

EZECHIEL PROPHETA.

Et factum est in trigesimo anno[2].

Regina Prophetarum domus, in qua Filius humanitatem professus, factus est frater noster. Ezechiel. III, 24, dixit Dominus ad Ezechielem: Glossa ; qui interpretatur *roboratus a Deo*, et significat Christum : *Ingredere*, subtiliter per fenestram vitream, largiter sicut pluvia in vellus, vincula omnia pœnarum assumendo : mirabiliter, quem totus orbis nequit includere, tenellæ Virginis utero includatur. Unde sequitur : *Includere in medio domus tuæ*, id est, in utero Virginis Mariæ.

Item, Ipsa est mater instructionis. Ezechiel. v, 5 : *Ista est Jerusalem*, id est, Maria, *in medio gentium posui eam.* Glossa : id est, in umbilico mundi. Unde, Psal. LXXIII, 12 : *Operatus es salutem in medio terræ.*

Ipsa etiam est porta, de qua infra dicetur, Ezechiel. XI, 1 : *Et introduxit me ad portam*, id est, Mariam, *domus Domini orientalem*, per quam toti mundo lux effulsit, *quæ respicit ad solis ortum.* Glossa : justitiæ.

Item, Ipsa est mater justitiæ. Primo, 4.
quia peperit judicium, et justitiam, scilicet Jesum Christum, qui est justitia et sanctificatio nostra[3]. Secundo, quia ipsa numquam oculos suos levavit ad aliquod malum. Tertio, quia nullum contristavit, sed omnes lætificavit. Quarto, quia per vim nihil rapuit : quod Heva non fecit, quæ divinitatem rapere voluit, et felicitatem amisit. Quinto, quia panem suum, id est, corpus Filii tribuit in altari quotidie esurienti. Sexto, quia nudum peccatorem operit vestimento veniæ, justum gratiæ, electum gloriæ, Filium Dei humanæ substantiæ.

Item, Ipsa est mater vitæ. Ezechiel. 5.
XVIII, 31 : *Hæc dicit Dominus*, scilicet

[1] Joan. XIX, 26.
[2] Ezechiel. I, 1.
[3] I ad Corinth. I, 30.

ad peccatores desperatos : *Quare moriemini, domus Israel ?* id est, peccatores, qui estis filii Abraham, Isaac, et Jacob : qui patrum meritis merito vivere debetis. Ex hoc arguitur : Si meritis Abraham, etc., vivere possimus, qui fuerunt servi Dei : ergo per eam, quæ major est, scilicet matrem vitæ, vivere debemus, quia omne judicium misericordiæ dedit matri suæ, ut omnes honorificent matrem, sicut honorificant Filium [1]. Et quia nos ejus misericordiæ filii sumus, clamat Dominus illud quod statim sequitur, Ezechiel. xviii, 32 : *Nolo mortem morientis,* scilicet peccatoris : sed ut magis *vita vivat* [2]. Glossa : vita gratiæ, precibus Virginis Mariæ.

6. Item, Ipsa est quæ nos defendit ab ira Dei. Ezechiel. xxii, 30 : *Hæc dicit Dominus : Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem.* Glossa : id est, intercessionem, *et staret oppositus contra me pro terra,* id est, peccatore, *ne dissiparem eam,* scilicet, celeriter, *et non inveni,* quia hoc reservatum est Virgini Mariæ.

7. Item, Ipsa est indumentum solis justitiæ. Ezechiel. xxxii, 7 : *Solem,* id est, Christum, *nube tegam,* id est, humanitatis in utero meo misericorditer.

8. Item, Ipsa porta illuminationis omnis creaturæ. Ezechiel. xliii, 1 et 2 : *Duxit me ad portam quæ respiciebat ad viam orientalem. Et ecce gloria Domini Israel,* Jesus Christus *ingrediebatur,* pariter *per viam orientalem,* quia sine peccato conceptus : alii vero ingrediuntur in mundum per viam occidentalem, originalis culpæ. *Et vox erat ei.* Glossa : Deo, *quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus,* quod proprie factum est in adventu Christi.

9. Item, Ipsa est templum majestatis. Ezechiel. xliii, 4 : *Majestas Domini ingressa est templum,* id est, uterum Mariæ. Ad quid ? ad sanctificandum, Psal. xlv, 5 : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Ad replendum : unde sequitur, ℣. 5 : *Et ecce repleta erat gloria Domini domus.* Ad habitandum nobiscum : unde sequitur, ℣. 7 : *Et dixit ad me : Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito,* id est, in Maria, *in medio filiorum Israel in æternum.* Glossa : non ad tempus. Et infra, ℣. 10 : *Tu autem, fili hominis, ostende,* prædicando, et laudando, *domui Israel templum,* id est, Mariam, secundum longitudinem, latitudinem, sublimitatem, et profunditatem, de quibus bene, sufficienter loquitur supra.

Item, Ipsa est porta clausa. Ezechiel. xliv, 1 et seq. : *Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem : et erat clausa.* Glossa : Virgo Maria, virgo ante partum, in partu, et post partum. *Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Glossa : clausis ostiis. *Eritque clausa principi.* Glossa : Verbo Dei, cujus in adventu reserabitur ad usum ejus. *Princeps ipse.* Glossa : id est, Christus, *sedebit in ea, ut comedat.* Glossa : nobiscum, *panem coram Domino. Ipse per viam portæ vestibuli ingredietur.* Glossa : ut eos qui per se intrare non possunt, introducat ad gratiam : ipse enim est omnibus infusus : *et per viam ejus egredietur.* Glossa : his qui foris sunt, omnibus circumfusus.

Item, Ipse est patens porta per misericordiam peccatori. Ezechiel. xlvi, 1 et seq. : *Porta quæ respicit ad orientem.* Glossa : unde oritur sol justitiæ : *die sabbati aperietur.* Glossa : Septimo scilicet, in quo est requies : *et in die kalendarum,* id est, solemnitatum Filii sui, et in

[1] Cf. Joan. v, 22 et 23.

[2] Ezechiel. xxxiii, 11 et seq.

fervore *aperietur*, per largitatem : *et intrabit princeps... Porta autem non claudetur.* Glossa : post egressionem principis, *usque ad vesperam. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius.* Glossa : quando aperietur porta : ideo non claudetur, ut populus post principem adoret. *Holocaustum* remissionis omnium peccatorum *offeret princeps.* Glossa : id est, Christus, *in die sabbati*, ad litteram, quando festum matris suæ agitur. *Princeps autem* erit *in medio eorum.* Glossa : ingredientium scilicet et egredientium. Unde, Joan. I, 26 : *Medius vestrum* stat, *quem vos nescitis. Cum ingredientibus ingredietur, et cum egredientibus egredietur.* Glossa : utriusque sexus, scilicet virtutis vel peccati, testis assistens.

DANIEL PROPHETA.

Anno tertio Joakim [1].

Imperatrix Prophetarum Maria dicitur mons comminutionis diaboli et peccatorum. Daniel. II, 34 et 35 : *Abscissus est lapis.* Glossa : id est, Christus, *de monte*, id est, de Maria, quæ est *mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo* [2]. *Sine manibus* abscissus, id est, absque opere viri generatus, *et percussit statuam*, id est, diabolum, et omnes superbos, *et comminuit eos.* Psal. XVII, 43 : *Comminuam eos ut pulverem*, etc. *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus*, magnus in natura, magnus in potentia, magnus in misericordia, magnus in vindicta. *Et implevit universam terram*, et cœlum. Glossa : per gloriam, cœlum. Habacuc, III, 3 : *Operuit cœlos gloria ejus.* Per misericordiam, terram. Psal. XXXII, 5 : *Misericordia Domini plena est terra.* Infernum dolore, et miseria. Unde, Job, X, 22 : *Terram miseriæ et tenebrarum.*

Item, Ipsa est arbor quæ multipliciter 2.
commendatur, Daniel. IV, 7 et seq.

Primo, commendatur a communitate, ibi, *Videbam, et ecce arbor in medio terræ*, id est, Maria in medio Ecclesiæ, omnes respiciens, et quantum in se est, communiter ad omnes se habens.

Secundo, a dignitate, ibi, *Et altitudo ejus nimia.* Bernardus : « O Virgo, virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis, usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Neque enim id mirum : quoniam in altum mittis radices humilitatis [3]. » *Et magna.* Glossa : virtutum magnitudine.

Tertio, a fortitudine, ibi, *Et fortis.* Glossa : contra diabolum, mortem, et peccatum. Require illud Proverbiorum, XXXI, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet? Et proceritas ejus contingens cœlum*, id est, Christum Deum.

Quarto, a misericordia ad omnes, ibi, *Adspectus illius.* Glossa : misericordiæ,

[1] Daniel. I, 1.
[2] Psal. LXVII, 16 et 17.

[3] S. BERNARDUS, Serm. II de Adventu Domini.

erat usque ad terminos universæ terræ. Glossa : Non solum ad Angelos, et justos, sed etiam peccatores : imo ad illos qui sunt in purgatorio.

Quinto, a fœcunditate, ibi, *Folia ejus pulcherrima*, id est, verba, quæ dixit ad Angelum, ad cognatam, ad Filium, ad ministros. *Et fructus ejus nimius*, id est, Christus Jesus, qui sufficit et Angelis, et hominibus.

Sexto, a cibatione, quia cibat omnes, ibi, *Et esca universorum in ea*, id est, Angelorum, et hominum.

Septimo, a fidelissima protectione, ibi, *Subter eam*, id est, sub protectione ejus, *habitabant*, confidenter et lætanter, *animalia et bestiæ*, id est, miseri peccatores, propter refectionem, protectionem, pausationem, et pulchritudinem.

Octavo, a jucunditate, quam habent omnes Sancti in ea, ibi, *Et in ramis ejus*, scilicet virtutum, videlicet humilitatis, misericordiæ, charitatis, etc., *conversabantur volucres cœli*, id est, omnes Sancti, *et ex ea vescebatur omnis caro*, quoniam alit omnes.

OSEE PROPHETA.

Verbum Domini, quod factum est ad Osee[1].

1. Beata Virgo Maria est vitis fructificationis. Osee, x, 1 : *Vitis frondosa Israel*, id est, Maria omni gratia plena, habens bonas propagines, *fructus adæquatus est ei*. Hic fructus excellit omnes alios, in quantitate, et qualitate, sanctitate, suavitate.

Osee, xiv, 6 : *Ero quasi ros*. Glossa : Æstum æstuantis incendii et libidinis auferam, hoc rore infusa.

2. Item, Semper ad pietatis opera erumpit. Osee, xiv, 6 : *Erumpet radix ejus*. Glossa : id est, bona voluntas ad effectum boni operis perducetur, *ut Libani*. Et infra, v. 7 : *Ibunt rami ejus de virtute in virtutem*[2].

Item, Ipsa est mater misericordiæ. Ibidem, xiv, 7 : *Erit quasi oliva gloria ejus*. Glossa : per opera misericordiæ : *et odor ejus ut Libani*. Et infra, v. 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani*, quod diversis pigmentis conditum, suavem odorem emittit. Bernardus : « Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebius invocamus, etc.[3]. »

[1] Osee, i, 1.
[2] Cf. Psal. LXXXIII, 8.
[3] S. Bernardus, Sermo IV de Assumptione B. Mariæ Virg.

JOEL PROPHETA.

Verbum Domini, quod factum est ad Joel, filium Phatuel [1].

Domina nostra, Virgo Maria est illa
ıd quam omnis creatura respicit post
)eum. Joel, I, 20 : *Sed et bestiæ agri*,
d est, peccatores, *quasi area sitiens im-
ɔrem* veniæ, *suspexerunt ad te*. Glossa :
·orem misericordiæ flagitantes, *quoniam
ːxsiccati sunt fontes aquarum :* sed tu
ıon, quæ plenitudine gratiarum super-
ıbundas.

Item, Ipsa est fons domus Domini, ir- 2.
rigans ariditatem peccatorum. Joel, III,
18 : *In die illa*, scilicet gratiæ et miseri-
cordiæ, *fons de domo Domini*, id est,
Maria nascendo in mundo, *egredietur*, *et
irrigabit torrentem spinarum*. Glossa :
ut qui vitiorum punctionibus pugenban-
tur, modo virtutum floribus adornentur.

JONAS PROPHETA.

Factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens [2].

Mater misericordiæ est mare, quod ıumquam per desideria et suspirationes ɥuiescere potuit, donec verus Jonas, id ːst, Dei Filius, in ipsum per incarnatio-ıem missus fuit. Jonæ, I, 11 et seq.: *Di-ːerunt* viri ad Jonam. Glossa : Jona, ɥui interpretatur *columba*, Christus est : *)uid faciemus tibi, et cessabit mare a ·obis? Et dixit ad eos : Tollite me, et mittite in mare*, in est, in Mariam, ditissimum in pauperrimam, sublimissimum in humillimam, Dominum in ancillam. *Et tulerunt Jonam*, id est, Christum. Glossa : non repugnantem, sed voluntati Patris voluntarie obedientem : *et miserunt in mare*, id est, in uterum Mariæ cum angelico honore et obsequio.

MICHÆAS PROPHETA.

Verbum Domini quod factum est ad Michæam, etc. [3].

Maria est turris potentiæ Dei. Michææ, ·v, 8: *Turris gregis*, id est, munimentum, *nebulosa*, obumbrans et abscondens peccatores, *usque ad te veniet*. Glossa :

[1] Joel, I, 1.
[2] Jonæ, I, 1.
[3] Michææ, I, 1.

Deus : *et veniet potestas prima*. Glossa : id est, Christus dans tibi secundam in omnibus potestatem, ut dicere possis : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*[1].

ZACHARIAS PROPHETA.

In octavo mense[2].

1. Mater nostra est murus conservationis contra diabolum, mundum, et peccatum. Zachariæ, II, 5 : *Ego ero murus ignis in circuitu*. Glossa : defensio in eis. Et infra, ℣. 8 : *Qui tetigerit vos*, detrahendo, persequendo, turbando, *tangit pupillam oculi mei*, quæ statim vindicatur.

2. Item, Ipsa est lapis fundamenti, adornatus in plenitudine gratiarum. Zachar. III, 9 : *Ecce lapis quem dedi coram Jesu : super lapidem unum*, id est, Mariam, *septem oculi sunt*, id est, plenitudo totius gratiæ spiritualis.

3. Item, Ipsa est in Ecclesia candelabrum illuminationis. Zachar. IV, 2 : *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum*, id est, Maria, *et lampas ejus*, id est, Christus, *super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud*, id est, septem dona Spiritus sancti : *et septem infusoria*. Glossa : in quibus oleum misericordiæ infunditur in *lucernis*, ut luceant in candelabro, id est, in Maria.

Item, Ipsa est lapis primarius. Zachar. IV, 7 : *Educet* Dominus *lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus*. Glossa : Gratia lapidis exæquabit gratiam quam in peccatores exercuit.

Item, Ipsa est templum munitionis. Zachar. IX, 12 : *Hæc dicit Dominus*. Glossa : peccatoribus, justis, et omnibus : *Convertimini*. Glossa : fiducialiter, *ad munitionem*, id est, ad Mariam, *vincti spei*, et liberandi misericordia Dei.

Item, Ipsa est fons communicationis. Zachar. XIII, 1 : *Erit fons patens domui David*. Glossa : id est, omnibus sitientibus, *et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ*, id est, majorum criminalium peccatorum.

[1] Matth. XXVIII, 18.

[2] Zachar. I, 1.

EVANGELIUM

SECUNDUM MATTHÆUM.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham[1].

Domina Evangelistarum in Evangelio B. Matthæi, I, 18 : *Cum esset desponsata*, etc. Magna fuit humilitas, quod Domina voluit desponsari servo, Imperatrix fabro. Unde Bernardus : « Quæ est hæc virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo, tam humilis ut desponsata sit fabro, etc. Audis, o peccator, virginem, audis humilem : si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Potes enim sine virginitate salvari, sine humilitate vero non potes, etc. Maria enim placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit[2]. »

Fuit autem desponsatio Virginis utilis propter multa. Primo, ut matrimonium bonum esse ostenderetur. Secundo, ut Maria nullo bono privaretur. Tertio, ut hostis falleretur. Quarto, ut testis castitatis haberetur. Quinto, ut origo Dominæ describeretur, nam Scriptura non consuevit fœminas genealogizare. Sexto, ut ab infamia servaretur. Septimo, ut pœna caveretur. Octavo, ut a Christo persecutio tolleretur. Nono, ut filius procuraretur. Decimo, ut Domino serviretur. Undecimo, ut humilitas virginitati conjungeretur. Duodecimo, ut occasio incuriæ famæ virginibus tollatur. Decimo tertio, ut Filii charitas et humilitas ostendatur, qui voluit potius dici filius fabri, quam matrem infamari. Decimo quarto, ut matris dignitas, humilitati sociaretur, ut quanto major esset, tanto magis se humiliaret, videlicet ut sit mater Dei et uxor fabri.

Item, Ipsa commendatur a sublimi dignitate, eo quod fit mater Jesu. Bernar- 2.
dus[3] : Quod si et cujus mater attendas, etc., an non Deum et Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat filium, dicens : *Fili, quid fecisti nobis sic*[4]. »

Item, Commendatur a fidelitate : re- 3.
posuit enim Deus nostræ redemptionis thesaurum in ea, ut ibi, *Inventa est in utero habens.* Sed quid ? Bernardus : « Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam. Redde ergo, mater, quod debes, obsidem quo redimamur, thesaurum quo ditemur, fratrem quo uniamur, Deum per quem exaltemur : hoc enim in utero habes. »

Commendatur item a puritate summa, 4.
ut ibi, *De spiritu sancto.* Unde, Anselmus : « Decens erat, ut ea puritate qua major sub Deo nequit intelligi, virgo

[1] Matth. I, 1.
[2] S. Bernardus, Homil. I super *Missus est.*
[3] Idem, Ibidem.
[4] Luc II, 48.

illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter sibi matrem eligebat, et de qua Spiritus sanctus volebat, et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo procedebat[1]. »

5. Item, Commendatur a nativitatis Dei utilitate, ut ibi, ỷ. 20 : *Joseph, fili David*, etc. Sequitur, ỷ. 21 et seq. : *Pariet autem filium*, etc. Sed quem? Angelorum restauratorem, hominum redemptorem, corporalium innovatorem. *Et vocabitur nomen ejus*, ut dicit Isaias[2], *Emmanuel*, quod est interpretatum *nobiscum Deus*. Nobiscum fraternitate, quia frater et caro nostra est[3]. Nobiscum conversatione, Joan. xvii, 12 : *Pater,... quos dedisti mihi, custodivi*, etc. Nobiscum provisione, I Petri, v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum*. Nobiscum in æterna habitatione, Matth. xxviii, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

6. Item, Ipsa est stella in Oriente. Matth. ii, 2 : *Vidimus stellam ejus in Oriente.* Hæc stella primo apparet peccatori ad Deum redeunti : unde sequitur : *Et venimus adorare eum*, id est, Filium Dei et Dominam, matrem ejus.

7. Item, Ipsa turbat Herodem, id est, diabolum, ut ibi, ỷ. 3 : *Audiens autem Herodes rex, turbatus est*, etc., et infra, ỷ. 7 : *Herodes diligenter didicit ab eis tempus stellæ*, id est, Mariæ, *quæ apparuit* per naturam, in mundum nascendo, et per gratiam in mente apparendo : Herodes igitur, id est, diabolus vehementius expavescit.

Item, Ipsa præstat se sequentibus ducatum, ut ibi, ỷ. 9 : *Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos*, ut reconciliatrix reorum, et hospitum invitatrix.

Item, Ipsa peregrinos suos lætificat, ut ibi, ỷ. 10 : *Videntes autem stellam*, id est, Mariam, *gavisi sunt gaudio magno valde.*

Item, Ipsa Maria in duobus assumi debet ad diabolum fugandum et in patriam redeundum. De primo, ibidem, ỷ. 13 : *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph*, id est, peccatori in peccatis dormienti, *dicens : Surge*, scilicet celeriter, *et accipe puerum et matrem ejus*, scilicet Patri in oblationem puerum, matrem in reconciliationem, ut pro te loquatur. De secundo, Angelus dixit Joseph, Matth. ii, 20 : *Surge* lætanter, *et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel*, id est, in cœlestem patriam : *defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri*, imo et animam tuam, scilicet dæmones, vos tentantes, cogitationes impugnantes, mundum decipientes, qui quærunt gratiam Christi in te exstinguere, et te ad infernum rapere.

Item, Ipsa est mons illuminationis omnium beatitudinum. Matth. v, 1 et seq. : *Videns Jesus turbas, ascendit in montem*, id est, Mariam in incarnatione.

Prima autem illuminatio beatitudinis est illuminatio paupertatis : unde, ỷ. 3 : *Beati pauperes spiritu*, etc. *Beati pauperes*. Glossa : quos non necessitas, sed fides et devotio pauperes facit, ut contemptis omnibus, Deo vivant. Talis autem contemptus omnium rerum, in beata Virgine in summo fuit. Quidam etiam dant superflua naturæ, sed non personæ. Augustinus : « Utere superfluis, da pauperibus necessaria :

[1] S. Anselmus, Lib. de Conceptu virginali, cap. 18.

[2] Isa. vii, 14.

[3] Genes. xxxvii, 27.

utere pretiosis, da pauperibus vilia : et iste est primus gradus paupertatis [1]. » Secundus gradus est, dare superflua naturæ, et personæ. Luc. xi, 41 : *Quod superest, date eleemosynam.* Glossa : Non solum exteriora, sed valde necessaria cum proximis dividamus. Tertius gradus est, non tantum dare superflua, sed etiam necessaria. Unde, Luc. iii, 11 : *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Quartus gradus est, omnia necessaria et superflua simul dare, sed adhuc semetipsum retinere : sicut quidam Philosophorum fecerunt, licet non propter Deum. Quintus gradus est, omnia dare, et semetipsum relinquere : propterea manibus laborare, ut habeat unde necessitatem tribuat patienti. Hunc gradum habuit Apostolus. Sextus gradus est, omnia dare, et semetipsum superaddere. Unde in Evangelio Matthæi, xix, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende,* etc. Septimus gradus est, omnia dare, et semetipsum, et spiritu et corpore laborare, ut pascat proximum pane spirituali. Et iste excellentior est sexto : quia dicit Gregorius : « Plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno pane satiare [2]. » Octavus gradus est, omnia, et seipsum relinquere, et de substantia sui corporis accipere partem ad refectionem animarum proximorum. Sicut beatissima Virgo de purissimis carnibus et sanguine, nobis panem vitæ confecit, quem qui manducabit, mortem non gustabit in æternum [3]. Nonus gradus est, omnia dare, animam, et corpus proprium, etiam deitatem his unitam, proximo dare in cibum animæ sub specie aliena. Hic est gradus summæ paupertatis in via. Decimus est, se ipsum dare, secundum totum corpus et animam, et deitatem sub specie propria in cibum corporis et animæ simul in beatitudine æterna, de qua dicitur, Luc. xiv, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hic patet, quod beata Maria paupertatem spiritus habeat excellentius omni homine, præter Christum : quia cum ipsa præcellat omnes dignitate, et æqualem aliis habuerit paupertatem, excellit omnes improportionaliter paupertate.

Secunda illuminatio est mititas, ibi, Matth. v, 4 : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Istam mititatem et mansuetudinem, præter Christum excellentissime habuit. Glossa : Mitis est, qui malis moribus dominatur, quod ipsa perfectissime fecit. Ejus enim dominium de malis moribus fuit sine pugna, omnium aliorum cum pugna. Item, Glossa : Mansuetus non irritat, nec irritatur. Cogitat enim nulli nocere, et omnibus in summo prodesse. Hoc ipsa perfectissime implevit. Unde eam collaudans Ecclesia in hymno : « Ave, maris stella », dicit de ea : « Virgo singularis, inter omnes mitis, nos, etc. »

Tertia illuminatio est luctus. Ibidem, ℣. 5 : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Qui luctus post Christum excellentissime fuit in beata Virgine. Item, servitia quanto minus debita, tanto magis grata : sed luctus beatæ Mariæ Virginis nullo modo fuit debitus debito necessitatis, sed tantummodo debito charitatis : ergo sicut luctus ejus aliis fuit improportionabilis, ita et consolatio ejus aliis etiam fuit improportionabilis.

Quarta illuminatio est esuries et sitis justitiæ, ibi, ℣. 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* etc. Quæ in ea similiter fuit excellentissime.

Quinta est illuminatio misericordiæ, ibi, ℣. 8 : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Cum autem misericordia sit dare, et dimittere, et beata Virgo plus omnibus dedit, et super omnes plus dimisit : ergo super omnes beatitudinem misericordiæ accepit. Ambrosius : « Misericordia est, nul-

[1] S. Augustinus, Serm. 5 de verbis Domini in Evangelium secundum Matthæum.

[2] (S. Gregorius M.,) Homilia 6 in Evang.

[3] Joan. viii, 51 et 52.

lum in miseria relinquere, et nullum miserum facere : » quod in summo est in beata Virgine : ergo in summo habet beatitudinem misericordiæ.

Sexta est illuminatio munditiæ, ibi, ℣. 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sed hi (ut dicit Glossa) mundi corde sunt, quos non arguit conscientia peccatorum : sed hoc in beata Virgine fuit in summo : ergo habuit munditiam cordis in summo.

Septima est illuminatio pacis, ut ibi, ℣. 9 : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Glossa : Dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo altero, sed nec hoc modo possumus esse pacifici. Ergo super omnes pacificata existebat, in qua caro adversus spiritum non rebellavit. Et sic ipsa beatitudinem summæ pacis possidebat et possidet.

Octava illuminatio est martyrii vel persecutionis, ut ibi, ℣. 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Hic agitur de persecutione illa, quæ est martyrium, cui debetur laureola. Unde Bernardus : « Longe eam plus quam martyrem non immerito prædicamus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus[1]. » Item, Bernardus[2] super illud, *In plenitudine Sanctorum detentio mea*[3] : « Merito in plenitudine sanctorum ejus erat detentio, cui non deerat fides Patriarcharum, nec Prophetarum spiritus, nec Apostolorum zelus, nec constantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec conjugatorum fecunditas, nec Angelorum puritas. »

Isti sunt octo radii illuminationis, quibus mens Virginis Mariæ præ omnibus incomparabiliter est illuminata.

Item, Ipsa est civitas in excelsum et 2
in refugium nobis posita. Matth. v, 14 : *Non potest civitas abscondi,* id est, Maria celari, *supra montem posita,* scilicet virtutum, et gratiarum.

Item, Ipsa est lucerna omnibus lucens. 3
Matth. v, 15 : *Neque accendunt,* scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, *lucernam,* id est, Mariam, quæ accensa fuit in die incarnationis : *et ponunt eam sub modio*, sicut faciunt, ipsam inhonorantes, *sed super candelabrum,* id est, Ecclesiam, *ut luceat,* indifferenter, *omnibus qui in domo sunt,* id est, in Ecclesia, vel in mundo.

Item, Ipsa est altare nostrarum obla- 4
tionum. Matth. v, 23 et 24 : *Si offers munus tuum ad altare,* id est, ad Mariam, *vade prius reconciliari fratri tuo,* id est, Jesu Christo.

Item, Ipsa est datrix et mutuatrix no- 5
stra. Matth. v, 42 : *Qui petit a te,* o Maria, instanter, *da ei.* Glossa : quæ honeste et juste dari possunt : *et volenti mutuare a te*, quæ ditissima es, *ne avertaris.*

Item, Ipsa est sol omnimicans. Matth. v, 45 : Pater, *qui solem suum*, id est, Virginem Mariam, *oriri facit*, per nativitatem in mundo, per gratiam in mente, *super bonos*, ut confirmentur, consolentur, et illuminentur : *et malos*, ut convertantur, et salventur. *Et pluit super justos et injustos*, sed aliter et aliter.

Item, Ipsa est arbor bona, quæ optimum fructum facit. Matth. vii, 18 : *Non potest arbor bona,* id est, bona in natura,

[1] S. Bernardus, Serm. de B. Virgine super illa verba Apocalypsis, xii, 1 : *Signum magnum apparuit*, etc.

[2] Licet hæc auctoritas ex S. Bernardo citari videat, cum tamen in S. Bernardo non reperimus, sed in Idiota, in libro *Contemplationum de B. Virgine*, cap. 2, in hæc verba : « Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia aut humilitas Virginum : in summa nullo genere vacas virtutum. » Exstat tom. X Bibliothecæ veterum Patrum editionis Coloniensis. (Nota edit. Lugd.)

[3] Eccli. xxiv, 16.

melior in gratia, sed optima in gloria, *malos fructus facere*. Glossa: quia a radice fructus arboris pullulat. *Neque arbor mala*, id est, Heva misera, *bonos fructus facere*, quia in amaritudine originalis culpæ concipimur et nascimur.

Item, Ipsa est domus totius firmitatis. Matth. VII, 24 et 25: *Assimilabitur viro sapienti*, id est, Christo, *qui ædificavit domum suam*, id est Mariam, *supra petram*. Quamobrem ille non erit domus Dei, qui inconstantia de facili permutatur. *Et descendit pluvia, et venerunt flumina*, in passione Filii perdilecti, *et flaverunt venti*, scilicet vituperatores et irrisores, dicentes, Matth. XXVII, 40: *Vah! qui destruis templum Dei.*

Et irruerunt in domum illam, id est, in Mariam. Unde ipsa dicere poterat ad Patrem illud Psalmistæ, Psal. XLI, 8: *Fluctus tui super me transierunt.*

Et non cecidit, per incrudelitatem et infidelitatem, sicut Apostoli: sed stetit fortissima apud crucem, quia *fundata erat super* firmam *petram*, id est, Christum.

Item, Ipsa est navicula, in qua transfretavit Filius Dei de littore immortalitatis ad littus mortalitatis, assumens nostram humanitatem, conferens nobis suam deitatem. Matth. IX, 1: *Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.*

Item, Ipsa est per Centurionem designata, quia veraciter potest dicere, Matth. VIII, 9: *Nam et ego*, scilicet Maria, *homo sum*, licet super Angelos exaltata, *habens sub me milites*, id est, Angelos omnes. *Et dico huic*: *Vade, et vadit*: vade ad liberandum, consolandum, et transferendum socios de terra: et vadit obedienter. *Et alii*: *Veni, et venit.*

Item, Ipsa est per Joseph designata, cui dixit rex Ægypti: *Uno tantum solio regni te præcedam.... Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti*[1]. 21.

Item, Ipsa est locus thesaurorum Dei. Matth. XII, 35: *Bonus homo*, id est, Christus, Deus et homo, *de bono thesauro*, id est, Virgine Maria, *profert bona*, scilicet misericordiæ, gratiæ, et gloriæ. 22.

Item, Ipsa est mons misericordiarum. Matth. XXI, 1 et seq.: *Cum venisset Jesus ad montem Oliveti*. Glossa: ad sublimimitatem misericordiæ respiciens. Per oleum enim misericordia designatur. Venit ergo ad montem Oliveti, id est, Mariam, quando ex ea est incarnatus. Ejus autem adventus triplex est utilitas. Prima, quia asina alligata solvitur a pœnis peccatorum. Secunda, quia in Jerosolymam, id est, in visionem pacis ducitur. Tertia, quia vestimentis discipulorum regitur, et ornatur, scilicet in moribus, et in fide. 23.

Item, Ipsa est ministra peccatorum, secundum Filii constitutionem. Matth. XXIII, 11: *Qui major est vestrum, erit minister vester*. Sed ipsa præter Deum major omnibus. Ergo et ministra. Servit autem libenter. Luc. I, 38: *Ecce ancilla Domini*. Servit universaliter, quia in cœlo et in terra, et in purgatorio. Ecclesiastici, XXIV, 14: *In habitatione sancta coram ipso ministravi*. Servit humiliter, quia parvo sicut maximo, pauperi peccatori sicut diviti justo. Servit fideliter, quia corpore et sanguine Filii sui nos quotidie pascit et potat. 24.

[1] Genes. XLI, 40 et 44.

EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

Initium Evangelii, Jesu Christi, Filii Dei [1].

1\. Domina Evangelistarum, Virgo Maria comparatur grano sinapis. Marc. IV, 31 et 32, de quo dicitur, quod *minus est omnibus seminibus*, et hoc per humilitatem : *et cum seminatum fuerit*, scilicet in mundo apparendo, *ascendit* in arborem, quæ altitudine, amplitudine, annositate transcendet herbarum naturam. Alta est, quia ad cœlestia attollitur : ampla, quia totum mundum occupat : annosa, quia non potest finiri. Hæc tria sunt in arbore, scilicet Maria, quæ est major gloria, et charitate *omnibus oleribus*, id est, Angelis, et hominibus, *et facit ramos*. Glossa : misericordiæ, et compassionis, *magnos, ita ut possint sub umbra* protectionis *ejus, aves cœli*, id est, sancti Dei, imo et peccatores *habitare*, fiducialiter, propter securitatem : gaudenter, propter umbrositatem : utiliter, propter fructuositatem.

2\. Item, Ipsa est cervical omnium virtutum, in quo Filius Dei dormit. Marc. IV, 38 et 39 : *Erat ipse in puppi super cervical dormiens*, in Maria, quia talem alibi requiem non invenit. *Et excitant eum discipuli, et dicunt ei : Magister, non ad te pertinet quia perimus ? Et exsurgens* in resurrectione, *comminatus est vento*, id est, diabolo, *et dixit mari*, id est, omnibus tentationibus : *Tace, obmutesce.*

Item, Ipsa est vidua pauper, sed largissima ditatrix totius Ecclesiæ : nullus enim hominum, vel Angelorum, tantum dedit, quantum ipsa. Marc. XII, 43 : *Vidua hæc pauper*, scilicet rebus, id est, Maria, *plus omnibus misit*. Plus in quantitate, pretiositate, utilitate : quia misit Christum filium suum, in lætitiam desolatorum, in illuminationem cæcorum, in liberationem captivorum.

Item, Ipsa est prima, quæ post Deum revertenti peccatori occurrit. Marc. XIV, 13 : *Ite in civitatem*, scilicet Ecclesiæ communionem, quam, o peccatores, per peccatum amisistis, *et occurret vobis homo*, id est, Maria, tamquam mater festinans. Eccli. XV, 2 : *Et obviabit illi quasi mater honorificata, lagenam aquæ*, scilicet amphoram gratiarum et misericordiæ, *bajulans*. Sed nunc audiamus consilium Dei : *Sequimini eam* : veraciter, quia tunc non errabitis : et secure, quia ab omni incursu defendere potest : et lætanter, quia ducit ad Jesum. Unde sequitur : *In domum*, scilicet cœlestem, in quam intrat, scilicet in gloriosa ejus assumptione. Ergo merito beatus homo, cui tu occurris, Maria : occurre, quæso, mihi peccatori, et duc clementer in domum tuam.

[1] Marc. I, 1.

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos, etc.[1].

Imperatrix Evangelistarum, Virgo Maria commendatur a maxima dignitate. Luc. I, 26 et 27 : *Missus est Angelus Gabriel*, et cætera usque id, *nomen Virginis Maria*. Quamvis Deus esset per essentiam, potentiam, præsentiam, cum beata Virgine sicut est in creaturis generaliter : et licet esset in ea per inhabitantem gratiam, sicut est in sanctis specialiter, tamem quia adhuc distabat per corporalem præsentiam, ut in eâ Deus homo fieret, similis nobis passibilis, voluit Angelum mittere ad Virginem, ad Virginis partum annuntiandum.

Cujus missio necessaria fuit propter quatuor : propter Dei honorationem, propter Angelicæ dignitatis ostensionem, propter beatissimæ Virginis commendationem, et propter nostram utilitatem. Deus honoratur in ista annuntiatione tripliciter. Quantum ad potentiam, in eo quod Angelos ministros habet. Secundo, quantum ad sapientiam, in eo quod modo prædonis obviavit : quia Virginem Angelus Dei docuit, sicut virginem angelus malus decepit. Tertio, quantum ad bonitatem, in eo quod nihil de contingentibus omisit, in omni eo quod matris suæ honori et nostræ utilitati necessarium fuit.

Secundo, necessaria fuit ad Angelicæ dignitatis ostensionem, quæ in tribus ostenditur. Primo, quia Angelus hic officium suum, scilicet nuntiandi, in summo exercuit. Secundo, quia summi consilii conscius fuit. Tertio, quia summam beatitudinem hominum nuntiavit.

Tertio etiam fuit necessaria ad Virginis commendationem, quæ in tribus ostenditur. Primo, in hoc quod non alius nuntius quam Angelus Gabriel mittitur. Secundo, in hoc quod cum ea tam multa mysteria loquitur. Tertio, in hoc quod Deus non nisi consensu Mariæ, nostræ salutis opus operatur : quem consensum Angelus præparavit.

Quarto etiam fuit necessaria ad nostram utilitatem, scilicet ad fidei confirmationem, ad amicitiæ Angelorum ostensionem et ad salutis nostræ procurationem.

Sequitur : *Angelus Gabriel*. Iste Ange- 2.
lus non fuit de majoribus, sed fuit Archangelus, et hoc in Virginis honorem, quia si quis de superioribus mitteretur, ab ipso illuminari crederetur. De minoribus ergo mittitur, ut ostendatur quod Angelus tantum est negotii ministeriique exterior delator, Deus autem per seipsum est negotii operator, salutaris decretator, intelligentiæ inspirator, et mentis ad consensum inclinator, modi excusationis expositor. Unde Angelus requisitus de modo, transmisit ad Spiritum sanctum, Luc. I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te*. Apparuit autem ei Gabriel Archangelus in clara veste, ut dicunt quidam, ad honorem illius qui processit velut lux de luce. Et hoc, ut creditur, in ortu diei, ut cum sole oriente matutinali,

[1] Luc. I, 5.

orietur simul *sol justitiæ, Christus Deus noster*, ut dicitur, Malach. iv, 2, et Ecclesia.

3. Sequitur : *In civitatem.* Si objiciatur, quod ista annuntiatio non debuit fieri in civitate, sed in dignissimo loco, scilicet in templo, propter dignissimum opus. Respondeo, quod Dominus in omnibus factis principalioribus, quæ in mundo gessit, semper in communi fuit, per hoc ostendens, quare in mundum venisset: inter peccatores natus, ante bovem et asinum in præsepio locatus, inter peccatores conversatus, inter latrones crucifixus, resurgens peccatrici primus apparuit. Sic et in civitate, quæ est locus communis, concipi voluit, « qui propter nostram salutem descendit de cœlis, » ut Ecclesia in Symbolo cantat : *descendit*, ut ostenderet, quia pro omnibus venit. In via natus fuit, quia sua vita debuit nobis esse via ad regnum cœlorum. *Extra portam passus est* [1], quia per ipsius passionem non liberatur quis, nisi per conversionem ad eum.

4. Sequitur : *Galilææ*, quæ est regio, quæ a Gentibus et Judæis inhabitabatur. Et sic in regione communi concipi voluit, qui pro omnibus nasci voluit : non enim *Judæorum Deus tantum, sed et Gentium*[2]. Regio illa nomine suo, proprietatem incarnationis optime expressit. Galilæa enim interpretatur *revelatio*, sive *transmigratio* : quia in hac annuntiatione erat summorum secretorum revelatio, quando *Verbum*, quod lucem inhabitabat inaccessibilem[3], *caro factum est*[4]. Simili modo transmigratio maxima, scilicet de ignorantia in scientiam, de culpa in gratiam, de umbra in veritatem, de divinitate in humanitatem, quæ maxima fuit.

5. Sequitur : *Cui nomen Nazareth*. Nazareth interpretatur *flos*. Bene ergo Dominus in Nazareth conceptus fuit : quia sicut odor de flore sine corruptione, sic ipse salvo virginitatis decore, et matris integritate processit.

Sequitur : *Ad virginem*. Sed quare non ad mulierem? Respondeo : *A muliere initium factum est peccati*[5] : a muliere sub ratione mulieris, et non sub ratione virginis. Heva enim in quantum virgo nos non perdidit, sed in quantum conjuncta viro, cum nos carnaliter generavit. Unde Augustinus in *Enchiridio*[6], et aliis in locis : « Peccatum originale nascitur ex vulnere concupiscentiæ, quæ annexa est commixtioni seminum : cui vulneri subjacere non debuit, qui vulnus curare venit. » Item, *Ad virginem* : quia generatio temporalis est imago æternæ generationis. Unde sicut æterna generatio est de uno ente incorrupto et indiviso : ita generatio temporalis esse debuit de una incorrupta, hoc est de virgine.

Creditur etiam quod beatissima Virgo in actu contemplationis fuerit, quando ei annuntiatio Dominica venit. Elevabatur autem in summam potestatem, in eo quod supra naturam Deum genuit. Et ad hanc elevabatur per fidem, juxta illud Marci, ix, 22 : *Omnia possibilia sunt credenti*. Elevabatur etiam in summam dignitatem, per hoc quod totius creaturæ per recreationem mater effecta est. Et ad hanc elevabatur humilitate, juxta illud Matthæi, xxiii, 12 : *Qui se humiliaverit, exaltabitur*. Elevabatur etiam in summam charitatem, per hoc quod Deo summa et propinquissima fuit, utpote quæ ipsius filia, mater, soror, et sponsa fuit. Et ad hanc elevabatur charitate, juxta illud Proverbiorum, viii, 17 : *Ego diligentes me diligo*. Elevabatur etiam in summam familiaritatem : et illam faciebat castitas, juxta illud Sapientiæ, vi, 20 :

[1] Ad Hebr. xiii, 12.
[2] Ad Roman. iii, 29.
[3] I ad Timoth. vi, 16.

[4] Joan. i, 14.
[5] Eccli. xxv, 33.
[6] S. Augustinus, In Enchiridio, cap. 26.

Incorruptio facit proximum esse Deo. Elevabatur ergo tota, quæ tota replebatur, et tota glorificabatur.

Sequitur : *Desponsatam.* Ista desponsatio utilis fuit ad multa, sicut habetur, Matth. I, 18 : *Cum esset desponsata*, etc. Creditur, quod Deum conceperit tali ætate, quæ perfecta fuit statura, et corporis quantitate.

Sequitur : *Viro, cui nomen erat Joseph.* Joseph vir erat per constantiam fidelitatis, quantum ad justitiam : vir per virtutem castitatis, quantum ad temperantiam : vir per excellentiam discretionis, quantum ad prudentiam : vir per strenuitatem operationis, quantum ad fortitudinem. Et sic notatur excellentia quatuor cardinalium virtutum. Bernardus: « Non est dubium, quin bonus et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, etc. [1]. »

Sequitur: *De domo David.* Sed quæritur, cum hic mundissima Dei conceptio scribatur, cur David, qui quandoque notorius peccator exstitit, ibi ponatur? Dicendum, quod non ideo hic ponitur, quod peccator fuerit, sed quod Joseph ab eo carnaliter descendit, et per imitationem in virtutibus similis fuit. Nec propter peccati maculam, quam per pœnitentiam delevit, minus in genealogia Domini nominari debuit, sed audacter prædicari : cum hoc et peccatoribus confidentiam generet, et ejus misericordiam augmentet, qui dicit : In quacumque hora peccator ingemuerit, etc.

Sequitur : *Et nomen Virginis Maria.* Nota quod beata Virgo interpretationem sui nominis non de novo acquisivit, sed et in hoc nata fuit. Semper enim stella maris fuit, et tam præcedentes se, quam sequentes illuminat : quia nisi per fidem Verbi incarnati, vel incarnandi de Virgine, numquam alicui salus fuit. Unde et ipsa in fide hominum, et Dei electione, et confirmatione, Domina et Regina omnium creaturarum exstitit semper. Unde ipsa illud Proverbiorum, VIII, 22, convenienter dicere potest : *Dominus possedit me*, etc. Unde illud, ibidem, ℣. 24 : *Nondum erant abyssi*, etc.

Sciendum est etiam, quod nomen, *Maria*, Virgini nostræ convenientissime impositum est propter tria. Primo, propter personæ dignitatem. Secundo, propter actionis suæ utilitatem. Tertio, propter conceptionis divinæ proprietatem. Dignitas personæ exprimitur per naturam lucis, quæ intelligitur in *stella maris*. Sicut enim nihil pulchrius, aut nobilius luce : ita post Deum nihil dignius Maria. Et nota, quod hæc beata Virgo, non solum a luce divina, sicut luna a sole, illuminata fuit : sed etiam ipsam lucem, quæ Deus est [2], de se produxit : sicut aurora solem, qui omnia illuminabilia illuminavit. Et sic in beata Virgine per naturam lucis exprimitur excellentia dignitatis. Utilitas actionis intelligitur in hoc quod omnes naufragos ducit, deducit, conducit, reducit, perducit ad portum salutis æternæ. Proprietas conceptionis divinæ signatur per hoc quod sicut sidus radium profert sine diminutione, ita Virgo Filium sine corruptione.

Et ingressus Angelus ad eam, dixit. 11.
Hic commendatur Maria a pudicitia summa. Unde Bernardus : « Quo ingressus est ad eam? Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio, orabat Deum Patrem in abscondito. Non enim apertum invenit Angelus ostiolum Virginis, cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentiam, vitare colloquia, ne vel orantis perturbaretur silentium [3]. » Ex his verbis

[1] S. Bernardus, Homil. II super *Missus est.*
[2] I Joannis, I, 5.
[3] S. Bernardus, Homil. III super *Missus est.*

divi Bernardi, credunt quidam, beatissimam Virginem in adventu Angeli, inclinatis genibus, et elevatis piis manibus, erectis in cœlum oculis ad Patrem misericordiarum pro incarnatione Filii sui, devotissime preces cum lacrymis fudisse, et Angelo venienti reverenter assurrexisse, et percepta ejus annuntiatione, credentem in eam consensisse, et quantocius impleta salutatione, flexis rursum in terra genibus, et elevatis in cœlum oculis ac manibus, ex intimo corde erumpentibus lacrymis præ gaudio, devotissime gratias egisse. Et iste modus est earum, qui de manu Angeli, id est, sacerdotis, suscipiunt corpus Dominicum de altari.

12. Sequitur : *Ave*. Ave, quasi sine væ corporis, et animæ. Per peccatum incurrit homo triplex væ in corpore. Primum est corporis distemperatio et naturalium appetituum inordinatio. Secundum est ipsius corporis, et animæ ad invicem repugnatio, quia *caro concupiscit adversus spiritum* [1]. Tertium est ipsius corporis post mortem incineratio. Sine isto triplici væ fuit beata Virgo in corpore, quæ corpus habet virginitate integrum, cum spiritu pacificatum, et nunquam post mortem incineratum. Ex parte animæ habet homo triplex væ, errorem in rationabili, dolorem in concupiscibili, pudorem in irascibili. Ab isto etiam triplici væ immunis fuit Virgo Maria, quæ nec in discretione, nec in electione, nec in exsecutione unquam erravit.

Item, Est aliud triplex væ, scilicet culpæ, pœnæ, ignorantiæ. Væ culpæ est triplex, scilicet originalis, actualis mortalis, venialis. Vel ita : Væ avaritiæ in opere, væ luxuriæ in carne, væ superbiæ in corde. De isto triplici væ dicitur in Apocalypsi, VIII, 13 : *Væ, væ, væ habitantibus in terra.*

Item, Væ pœnæ triplex, scilicet væ gehennæ, væ purgatorii, væ pœnitentiæ.

Item, Væ ignorantiæ est triplex, scilicet ignorantia credendi, operandi, salvandi. Sine isto multiplici væ fuit beatissima Virgo Maria.

Item, Triplex væ est in mulieribus specialiter, scilicet væ sterilitatis in virginibus, væ subjectionis in conjugatis, væ desolationis in viduis. Ab isto etiam triplici væ fuit beata Virgo immunis. Fuit enim Virgo sine sterilitate, conjugata sine subjectione, vidua sine desolatione.

Item, In mulieribus est triplex væ : omnis enim mulier, præter eam, in conceptu perdit virginitatem : post conceptum, venustatem corporis et sanitatem : in partu, hominum societatem. Ab hoc etiam immunis fuit. In conceptu virginitatem non amisit, sed puritatem acquisivit : post conceptum, pulchritudinem non perdidit, sed in tantum irradiavit, quod eam Joseph inspicere non potuit. Item, post partum, hominum societatem non perdidit, imo tunc mediatrix Dei et hominum constituta est. Unde in puerperio, a pastoribus et regibus visitatur.

Item, Ipsa est gratia plena per influentiam divinæ bonitatis, ut ejus gratiæ plenitudo in nobis suppleat defectum.

Etiam, Ipsa est stella in firmamento gloriæ fixa, ut nos naufragos de statu miseriæ, reducat ad portum salutis æternæ. Hac de causa apponit Ecclesia in salutatione ista felix nomen, *Maria*.

Sequitur : *Gratia plena*. Quatuor modis fuit gratia plena. Primo, quia omnes gratias generales et speciales in summo habuit, a quibus omnis alia creatura vacua fuit. Secundo, quia sua gratia tanta fuit, quod pura creatura majoris gratiæ capax non fuit. Tertio, quia omnem gratiam increatam in se totam continuit, et sic per omnem modum gratiæ, gratia plena fuit. De hac plenitudine dicit Bernardus [2] : « Legimus in Actibus Apostolorum et Stephanum *plenum gratia et*

[1] Ad Galat. v, 17.

[2] S. Bernardus, Homil. III super Missus est.

fortitudine [1], et Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto [2], sed longe dissimiliter a Maria : alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter [3], quemadmodum in Maria. Nec illi conceperunt de sancto Spiritu, quomodo beata Virgo Maria. Plenitudo igitur beatæ Virginis privat vacuitatem, sed plenitudo ejus negat particularitatem. *Non enim* ei dedit *Deus ad mensuram Spiritum* sanctum [4] : sed, ut dicit Glossa, non particulariter, sed generaliter, et universaliter. Plenitudo vero Sanctorum, quæ communis est, importat redundantiam, et effluxionem. Replet enim animam gratia interius, et sic effluxit per opera exterius. » De omnibus his plenitudinibus dicitur, Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant.* Locus autem istarum plenitudinum, est abyssus divinitatis, unde exeunt omnia flumina per gratiarum effusionem, et redeunt per gratiarum actionem, ut iterum fluant per gratiarum multiplicationem.

Sequitur : *Dominus tecum*, scilicet tecum in utero, tecum in exsilio, tecum in solio, tecum per essentiam, tecum per potentiam, tecum per præsentiam, tecum per inhabitantem gratiam, tecum per corporalem præsentiam. Item, tecum in propria humiliatione, quoniam ipsum ad templum obtulisti. Tecum in sua persecutione, quando crucem sustinuit, quando stabas juxta crucem [5]. Tecum in sua consolatione, quando resurrexit a mortuis.

Sequitur : *Benedicta tu in mulieribus.* Primo, quia Angelis et hominibus reverentissima : vel quia a Filio ditata, et omnium fidelium successione glorificata. Item, a Deo benedicta : quia ejus in conceptione, imprægnans est Spiritus sanctus, concipiens Virgo, conceptus Deus. Item, a Deo benedicta : quia ipsa est secundum dignitatem caput et principium fœminarum : et hoc propter tria. Primum est, quia habuit quidquid boni in fœminis fuit. Secundum, quia quod libet illorum in summo habuit, quod numquam aliqua fœminarum habuit, nec habebit, scilicet quia Virgo virginum fuit, quia mater et virgo fuit. Tertium, quia mater Dei fuit. Triplex enim bonum est in fœminis, scilicet bonum conjugatarum, viduarum, et virginum.

Bonum conjugatarum est triplex, scilicet fides, proles, et sacramentum. Bonum viduarum similiter triplex, scilicet libertas contemplationis, exercitium in operibus pietatis, castigatio carnis. Bonum virginum similiter triplex, scilicet carnis incorruptio, nulla viri subjectio, et Angelica conversatio.

Hæc omnia bona beata Virgo in summo habuit, et insuper omnes præcellit in causalitate, quia Virgo virginum : in puritate, quia pura in summo : in fœcunditate, quia mater. Viduas præcellit : quia viduarum bonum habuit in summa contemplatione, in præcipua pietate, in excellentissima castitate. Conjugatas excellit in tribus : quia habuit fœcunditatem sine corruptione, prolem sine patre, fœcunditatem respectu altissimæ naturæ, quia est mater Dei.

Sequitur : *Et benedictus fructus ventris tui.* Primo, quia puncturam fomitis 16.
non habuit. Secundo, quia omnia scivit. Tertio, quia corruptionem non vidit. Nos enim per peccatum incidimus in hoc triplex maledictum, scilicet fomitis punctionem. Unde, Genes. III, 17 et 18 : *Maledicta terra in opere tuo :... spinas et tribulos germinabit tibi.* Secundo, de necessariis laborem. Unde, ibidem, ℣. 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.* Tertio, incinerationis necessitatem.

[1] Act. VI, 8.
[2] Ibid., II, 4.
[3] Ad Coloss. II, 9.
[4] Joan. III, 34.
[5] Joan. XIX, 25.

Unde, ibidem, *Pulvis es, et in pulverem reverteris.*

Item, *Benedictus fructus ventris tui,* quia est Pater omnium per creationem in esse naturæ, Pater omnium per recreationem in esse naturæ, Pater omnium per recreationem in esse gratiæ, Pater omnium per creati gloriofìcationem in esse gloriæ.

Item, *Benedictus fructus ventris tui,* non solum propter maledicti evacuationem, sed etiam propter omnis boni possessionem. Habuit enim bonitatem naturæ humanæ in summo, bonitatem quæ est ex conjunctione utriusque in summo.

Item, *Fructus* iste *benedictus* est benedictione naturæ, benedictione gratiæ, benedictione gloriæ. Habuit enim benedictum corpus natura, quia purum in forma, quia pulchrum in harmonia, quia evacuatum. Habuit etiam benedictam animam a fomite, ab ignorantia, a peccato. Habuit etiam benedictam divinitatem in se, et in operibus suis.

17. Sequitur : *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio*, admirans sapientiam, misericordiam, charitatem, veritatem, humilitatem, nuntii dignitatem, salutationis novitatem, rerum immensitatem, sui parvitatem. Insuper cogitabat, quam venerabilis, quam delectabilis, quam salutaris, quam familiaris, quam singularis ista salutatio, quæ est a Deo Patre dictata, a Filio ipso inspirata, ab Angelo nuntiata.

18. Sequitur : *Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria.* Quasi diceret : *Ne timeas* regis magnitudinem, tui parvitatem, sermonis raritatem, rerum incomprehensibilitatem, sententiæ ambiguitatem, promissi completionem, salutis amissionem. *Ne timeas, quia invenisti gratiam apud Deum*, non creasti ut Deus, non semper habuisti ut Filius tuus, non rapuisti ut primus Angelus, non perdidisti ut primus parens, non emisti ut Simon Magus : sed *invenisti,* quia quæsivisti ut virgo prudentissima, docuisti ut fidelissima, reddidisti ut mater misericordissima : *invenisti,* quid? dico, Dei miserantis charitatem, Dei promittentis veritatem, tui ad hoc idoneitatem.

Sequitur : *Ecce concipies.* Conceptio hæc est opus totius Trinitatis, appropriabilis tamen est Spiritui sancto, propter opus summæ benignitatis, cujus est donorum distributio. Unde autem facta sit sanctissima ista conceptio, dicendum cum Damasceno, quod non tantum de sanguinibus, sed et de carnibus beatæ Virginis. In uno enim loco, scilicet in libro IV de *Fide orthodoxa*[1], dicit : « Ex sanguinibus : » in alio loco dicit expresse : « Ex purissimis carnibus, et sanguinibus. »

Sequitur : *Concipies in utero.* Videtur superfluum esse hoc quod dicitur, *in utero*, omnis enim concipiens concipit in utero. Ad hoc dicendum est, quod est privilegium istius solius conceptionis. Omnes enim aliæ concipiunt *in uterum* : illa sola concepit *in utero*, quia concepit virgo. Concedimus etiam, quod Dominus fuit in utero ducentis et septuaginta sex diebus. Hi sunt triginta novem septimanæ, et tres dies. Exivit etiam clauso utero, sine dotis assumptione, supernaturaliter nascendo.

Sequitur : *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Hoc nomen, Jesus, imposuit Dominus, rem nominis præstando, Angelus prædicando, Domina impetrando, Joseph exsequendo. A Deo impositum fuit hoc nomen æternaliter, ab Angelo in incarnatione, a Domina et Joseph in circumcisione.

[1] S. J. Damascenus, lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 3.

[2] Idem, Ibidem, cap. [illegible].

Sequitur : *Hic erit magnus.* Magnus nobilitate, dignitate, pietate, virtute, famositate, novitate. Item, magnus secundum omnem modum. Magnus secundum substantiam, quia Deus. Magnus secundum quantitatem, quia omnipotens. Secundum qualitatem, quia summe bonus. Secundum relationem, quia Filius Dei. Magnus secundum quando, quia æternus. Magnus secundum ubi, quia ubique. Magnus secundum situm, vel potestatem, quia *cœlum* sibi *sedes* est, *terra autem scabellum pedum* suorum [1]. Et sedet *super Cherubim* [2], et ambulat *super pennas ventorum* [3]. Magnus secundum habitum, quia *vestimentum ejus candidum quasi nix* [4], etc. *Fortitudo et decor indumentum ejus* [5]. Magnus in magnitudine actionis, id est, incarnatione. Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, id est, Filium genuit, in quo omnia creavit, recreavit, justificavit, et glorificavit. Magnus in passione, et magnus erit in glorificatione.

Sequitur : *Et Filius Altissimi vocabitur*, æterna nominatione, Scripturæ attestatione, Joannis prophetatione, operum probatione, Petri confirmatione, Patris declaratione, columbæ ostensione, dæmonum suspicione, doctrinæ singularitate, quia *numquam sic locutus est homo, sicut hic homo* [6]. Omnibus his modis vocabitur ab hominibus *Altissimi Filius*, unigenitus in esse naturæ, unigenitus in donis gratiæ.

Sequitur : *Et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus.* Per regnum David temporale figuratur regnum Christi spirituale, in quo Jesus Christus habet sedem regni, sedem sacerdotii, sedem magisterii, sedem judicii, sedem convivii.

Sequitur : *Et regnabit*, videlicet mi- 25.
seris miserendo, malos exstirpando, bonos exaltando, omnibus imperando, hostes subjugando, curiam celebrando, jura promulgando, regnum dilatando. Regnabit autem per gratiam et gloriam.

Sequitur : *In domo Jacob in æternum* 26.
Unde Bernardus : « Beati in quibus nunc Deus regnat per gratiam, et in æternum per gloriam, etc. Veni interim, Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu, qui debes, in ea. Venit enim avaritia, et vindicat in me sibi sedem. Jactantia cupit dominari mihi. Superbia vult ibi rex appellari. Luxuria, et ambitio, invidia, et detractio, quælibet dicit : Ego ibi regnabo. Veni ergo, mi Domine Jesu Christe, *disperge illos in virtute tua* [7], et regna in me : quia tu es ipse Rex meus, et Deus meus [8]. »

Sequitur : *Quomodo fiet istud, quo-* 27.
niam virum non cognosco? ut personæ meæ dominatorem, ut operum rectorem, ut corporis corruptorem, ut animæ obligatorem, ut prolis propagatorem, numquam volo cognoscere aliqua istarum cogitatione. Unde Bernardus, ibidem [9] : « Non dubitat de facto, sed modum requirit, et ordinem. Nec enim quærit, an fiet istud, sed *quomodo fiet istud?* Quasi dicat : Cum sciat Dominus meus (testis conscientiæ meæ) votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit illi, ut fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem Filium, et gaudeo de tali Filio, et doleo de proposito : fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam : quod utique si placuerit ei, impossibile non erit [10]. Tunc scio vere, *quia*

[1] Isa. LXVI, 1.
[2] Psal. XCVIII, 1. Cf. Psal. LXXIX, 2.
[3] Psal. CIII, 3.
[4] Daniel. VII, 9.
[5] Proverb. XXXI, 25.

[6] Joan. VII, 46.
[7] Psal. LVIII, 12.
[8] S. BERNARDUS, Homil. III super *Missus est*.
[9] IDEM, Ibidem.
[10] Luc. I, 37.

respexit humilitatem ancillæ suæ[1]. *Quomodo ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* »

28. Sequitur : *Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te.* Sed quis spiritus? Spiritus purgans, Spiritus illuminans, Spiritus implens, Spiritus perficiens, Spiritus stabiliens, Spiritus consecrans, Spiritus fœcundans. *Veniet in te*, in summo, ad summum actum. Et super omnes est, qui secum veniet, scilicet, Filius Dei.

29. Sequitur : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, fomitem exstinguendo, contra tribulationem protegendo, carni tuæ umbraculum faciendo, illum modo tibi soli notificando, lucem suam in te abscondendo, viatorum refrigerium te faciendo, contra æstum concupiscentiæ te opponendo.

30. Sequitur : *Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Sagax ancilla habet septem officia. Primo, domum purgat. Unde, ad Hebr. I, 3 : *Purgationem peccatorum faciens*, etc. Secundo, cibos præparat. Genes. XVIII, 6, hæc est Sara quæ commiscuit tria sata farinæ. Hæc est etiam quæ coctum et tostum Agnum in Ecclesia, exhibuit fidelibus ad manducandum. Tertio, fornacem calefacit, scilicet fornacem animarum nostrarum, quam ignis divini amoris succendit. Quarto, aquam sitientibus portat, videlicet aquam gratiæ, quam sitibundis indesinenter administrat. Quinto, totam domum circuit et visitat. Unde ancilla dicitur, ab *an*, et *cilo, cis*, quod est *movere*. Ipsa circuit superius hemisphærium, et inferius. Angelos per lætitiam, justos per gratiam, reos per veniam : *nec est qui se abscondat a calore ejus*[2]. Sexto, quia pueros portat et lactat. *Ut repleamini ab ubere consolationis ejus*[3]. Septimo, quia fessis lectum præparat. Unde illud Joannis, XIV, 2, ei congruit : *Vado parare vobis locum.* Unde ipsa propter hæc septem officia, comparat se ancillæ, dicens : *Ecce ancilla*, etc.

Item, Ipsa est mater salutationis. Lucæ, I, 40 : *Intravit* Maria *in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.* Sed quomodo salutavit? fideliter. Unde, *abiit in montana cum festinatione*, non gaudens diu in publico videri. Utiliter : nam *repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* Unde ait, ibidem, ℣. 43 : *Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Glossa : « Vox Mariæ non solum matrem, sed et sobolem vehementius accendit. »

Item, Ipsa est Virgo pariens, in quo, ut dicebat Sedulius :

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Peperit filium suum[4]. *Suum* donatione Patris, Filii electione, Spiritus sancti voluntate. Unde Bernardus : « Numquid non hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas? ut fieres mater Dei[5]. » Hunc, inquam, suum filium peperit, multis de causis. Primo, ut quod gerebat sola in utero, nobis ex charitate communicaret. Secundo, ut Deum a sæculis absconditum, facie ad faciem digito demonstraret, dicens : Hic jacet in præsepio, qui et sidera regit. Tertio, ut omnium Sanctorum desiderantium nativitatem, desiderium compleret. Unde cantat Ecclesia in vigilia natalis Domini : « Ecce completa sunt omnia, etc. » Quarto, ut depositum Dei Patris, in ea depositum, fideliter repræsentaret. Unde Angelus dixit pasto-

[1] Luc. I, 48.
[2] Psal. XVIII, 7.
[3] Isa. LXVI, 11.
[4] Luc. II, 7.
[5] S. Bernardus, Homil. IV super Missus est.

ribus : *Invenietis infantem... positum in præsepio* [1].

Item, Ipsa est, quæ æstatem gratiæ attulit, et depulit hiemem vitiorum. Luc. XXI, 29 et 30 : *Videte ficulneam*, id est, Mariam, *cum produxit jam ex se fructum*, id est, Christum, quod factum est in nativitate : *scitis quoniam prope est æstas*, scilicet gratiæ, nobis per matrem misericordiæ fructuosa.

EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

In principio erat Verbum, etc. [2].

Beatissima Domina secundum Evangelium Joannis, dicitur mater restitutionis omnium. Joan. I, 3, dicitur de ejus Filio : *Omnia per ipsum facta sunt.* Sic dicitur, de ipsa : Omnia per ipsam refecta sunt, ut dicit Anselmus [3].

Item, Ipsa est lux nostra, *quæ* post Deum *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [4].

Item, Ipsa est claustrum humanitatis Filii Dei, in qua ut dicitur, Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, in quo Deus Angelorum factus est frater peccatoris. Nota, quod bonum verbum debet habere quinque. Primo, quod sit integrum. Sic Filius Dei, totus apud Patrem, et integer nobiscum. Secundo, debet esse rectum. Sic Christus est *Deus justus, et rectus* [5]. Tertio, debet esse manifestativum : manifestat enim nobis Patrem per potentiam, Filium per sapientiam, Spiritum sanctum per benignam benevolentiam. Item, manifestavit nobis vanitatem mundi, peccati damnositatem, pœnarum acerbitatem, gloriæ æternitatem. Quarto, debet esse lætificativum desolatorum. Sic et Christus. Matth. I, 3 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum*, etc. Quinto, debet esse confortativum debilium. Sic et Christus : unde dixit, Matth. X, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus.*

Hoc ipsum *Verbum caro factum est*, quare ? Primo, ut Filius Dei compassibilem se nobis ostenderet. Secundo, ut omnes nostros defectus se assumpsisse demonstraret, præter ignorantiam et peccatum. Tertio, ut se palpabilem et tractabilem nobis exhiberet. Quarto, ut nos per suam excellentiam a nostra fragilitate sublevaret.

[1] Luc. II, 12.

[2] Joan. I, 1.

[3] Colligi id potest ex S. Anselmo, libro de *Excellentia beatæ Virginis*, capp. 10 et 11, et ex S. Bernardo, serm. II in festo Pentecostes. « Merito, inquit, in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit. » Expressius tamen beatus Petrus Damianus in sermone de annuntiatione B. Virginis, dixit : « De thesauro divinitatis Mariæ nomen evolvitur, et per ipsam, et in ipsa, et de ipsa, et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit. »

[4] Joan. I, 9.

[5] Deuter. XXXII, 4.

4. Item, Ipsa est promptuarium plenitudinis, unde omnes stipendiantur. Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, scilicet post Deum, *et gratiam pro gratia*.

5. Item, Ipsa est generale baptisma peccatorum. Joan. I, 28 : *Erat Joannes baptizans*, in remissionem peccatorum. Hujus baptismi formam spiritualiter ipsa in nobis baptizando conservat. Baptizat enim, id est, mundat peccatores, « in nomine Patris, » per potentiam : « in nomine Filii, » per sapientiam : « in nomine Spiritus sancti, » per bonitatem, et clementiam. Unde si Joannes propter Baptismi officium interrogatus fuit : *Tu quis es?* etc. Sic et nos, si interrogaverimus eam, Tu quæ es? Respondebit nobis, quod *non sum Christus* : sed Christi mater, et baptisma peccatorum.

6. Item, Ipsa est templum totius Trinitatis, ad quod nullus intromittitur, nisi solus Deus. Joan. II, 15 et 16 : *Omnes ejecit de templo*, ... *et dixit : Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, sicut fecit Heva, et nos.

7. Item, Ipsa est fons Jacob, propter plurima. Primo, quod sitientes aquis gratiæ refocillat. Unde dixit Jesus mulieri, Joan. IV, 10 : *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam*, id est, gratiam, et gloriam. Secundo, quia peccata videnda illuminat. Unde dixit Jesus, ibidem, v. 18 et seq. : *Quinque viros habuisti*. Et mulier statim subintulit : *Domine, video quia propheta es tu*. Quasi diceret : Prius cæca fui, sed modo video. Tertio, quia a peccato liberat. Unde *reliquit hydriam suam mulier*, hydriam scilicet cupiditatis, voluptatis, et vanitatis. *Et dicit illis hominibus*, scilicet Samaritanis : *Venite, et videte hominem*, etc.

Item, Ipsa est piscina Salvatoris, quinque porticus habens[1]. *In* quam *piscinam secundum tempus* misericordiæ, *descendebat Angelus Domini*, id est, Filius Dei, movens in ea aquam gratiarum ad sanandum. Unde ibi *sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate*.

Item, Ipsa est judicissa vivorum et mortuorum. Joan. V, 27 : *Potestatem dedit ei*, scilicet Pater Filio secundum humanitatem, *judicium facere, quia Filius hominis est*. Sed si potestatem habet Filius facere justitiæ judicium, ipsa etiam ex concessione potestatem habet facere judicium misericordiæ, quia mater Dei est. Unde ipsa de confidentia Filii potest dicere illud Matthæi, XX, 15 : *An non licet mihi quod volo facere?* Ideo etiam significatur per Debboram prophetantem, uxorem Lapidoth, *quæ judicabat populum in illo tempore, et sedebat sub palma*, ad quam *ascendebant filii Israel in omne judicium*[2]. Unde consequenter illud verbum Filii sui dicere potest, Joan. IX, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni*, scilicet, ut sim judicissa misericordiæ. Sed judicis est, scire omnia. Unde dicitur in II parte Decreti : « Judicantem cuncta rimari oportet[3]. »

Item, Ipsa est attractrix peccatorum. Joan. VI, 44 : Jesus dixit turbis : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater* meus, *qui misit me, traxerit eum*. Sed numquid non veniunt ad te, quos mater tua traxerit ad te? Utique omnis, quem trahit mater ad eum, impossibile est ut intereat, ut dicit Anselmus[4].

Item, Est opus admirationis, tam Angelorum, quam hominum. Joan. VII, 21 : *Unum opus feci*, id est, Mariam, quæ

[1] Joan. V, 2.
[2] Judicum, IV, 4 et 5.

[3] Decret. II Pars, causa ..., quæst. ...
[4] S. Anselmus, Lib. de Similitudinibus ...

una et singularis est, *et omnes admiramini* ejus naturam, ejus gratiam, ejus gloriam, ejus humilitatem, ejus misericordiam.

Item, Ipsa est sedes misericordiæ. Unde Filius Dei filiis Adæ protulit sententiam absolutionis. Joan. VIII, 8 et 9 : JESUS *autem inclinans se deorsum*. Glossa : de sede Patris in mundum, *digito scribebat in terra... Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, etc. Et statim subintulit, ℣℣. 10 et 11 : *Nemo te condemnavit, mulier? Quæ dixit : Nemo*, etc.

Item, Ipsa est ostium cœli. Unde illud Joannis, X, 9, dicere potest : *Per me si quis introierit, salvabitur*.

Item, Ipsa est vitis. Joan. XV, 1 : *Ego sum vitis vera, et Pater meus*, etc. Nota proprietates vitis bonæ, et adapta Virgini Mariæ.

Item, Ipsa est mater fidelis stationis. Joan. XIX, 25 : *Stabant juxta crucem* JESU *mater ejus*, etc. Libet exclamare de ista statione. Clamo igitur et dico, quia ista statio est fidelissima. Fidelis enim advocatus libenter stat ad tribunal judicis, ubi pro suo clientulo datur sententia absolutionis, et pro adversatio sententia damnationis. Sic Maria advocata nostra apud crucem stetit, in qua Filius Dei pendens judex omnium, dedit sententiam de diaboli damnatione, et de peccatorum absolutione. Ut ibi, Luc. XXIII, 34: *Pater, dimitte illis*, etc. Vel sententiam de regni apertione, ut ibidem ℣. 43 : *Hodie mecum eris*, etc.

Clamo secundo, et dico, quia ista statio est sapientissima. Docet enim beata Virgo sub arbore crucis semper stare propter tuitionem a milvo inferni, propter refrigerationem ab æstu mundi et peccati, et propter pausationem a labore delicti. Genes. XVIII, 4 et 5, dixit Abraham : *Requiescite sub arbore, .. et postea transibitis*.

Clamo tertio, quia statio ista est utilissima. Docet enim nos Magister Christus in cathedra crucis sedens, in omni tribulatione ad Dominum clamare, ut ibi, Marc. XV, 34 : *Eloi, Eloi*, etc. Glossa : ut homo loquitur, ut homo flet, ut homo crucifigitur, ut homo turbatur. Secundo, docet pro persecutoribus exorare, ut ibi, Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis*, etc. Tertio, docet afflictis misereri, ut ibi, *Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso*. Glossa : Semper Dominus plus tribuit quam rogetur, sicut patet in latrone, qui dicebat : *Memento mei*. Et ille : *Hodie mecum eris in paradiso*. Cito ignoscit Dominus, quia cito convertitur ille. Quarto, docet parentum diligentiam habere et curam, ibi, Joan. XIX, 26 : *Mulier, ecce filius tuus*. Quinto, salutem desiderare, ibi, ℣. 28 : *Sitio*. Sexto, in articulo mortis Deum invocare, ibi, Luc. XXIII, 46 : *Pater, in manus tuas*, etc.

Item, Ipsa est potentissima in sua as- 16.
sumptione. Unde convenit ei illud Joannis, XX, 17 : *Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*, etc. His verbis nullus convenienter ita uti potuit, sicut beatissima Virgo in sua assumptione ad regnum cœlorum. Unde nota circa ejus assumptionem tria, scilicet qualiter ascendit. Primo, ascendit feliciter : quia ad Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Unde dixit : *Ascendo ad Patrem meum*, etc. Item, ascendit hilariter : quia conculcavit mundum, diabolum, et peccatum. Item, ascendit regaliter, cum choris Angelorum, et Sanctorum, et cum ductore suo JESU CHRISTO. Unde ipsi admirando poterant dicere : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum*, etc. [1].

Secundo, Videndum est quare ascendit, scilicet ut infernum obstrueret, ut

[1] Cantic. III, 6.

cœlum aperiret, ut Deum Patrem placaret, ut cœli militiam lætificaret, ut nos ad se traheret. Cantic. i, 3 : *Trahe me post te*, etc.

Tertio, Videndum est quo ascendit. Et sciendum, quod post Christum ad locum nobilissimum et altissimum : hoc enim triplex ratio exigebat. Prima fuit summa ejus post Deum nobilitas. Unde Aristoteles : « Nobilis res debet esse in nobili loco [1]. » Sic et ipsa. Secunda fuit meritorum qualitas, quia ipsa summum meritum habuit. Ergo post Christum, summum locum habere debuit. Tertia est Dei promittentis veritas. Constitutio enim Dei est, ut omnis qui se humiliat, exaltetur, et qui se maxime humiliat, maxime exaltetur. Hoc autem ipsa post Christum maxime fecit. Ergo maxime exaltari debuit. Inclyta ergo Dei genitrix, trahe nos ad te, si non vis ut recedamus a te, alioquin fugiemus a te, quæ es *benedicta inter* et super omnes *mulieres* [2] in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER APOCALYPSIS.

Apocalypsis Jesu Christi [3], etc.

1. Beatissima Virgo Maria secundum Joannem in Apocalypsi dicitur *sedes Filii Dei*. Apocal. iv, 2 et seq. : *Vidi, et ecce sedes*, scilicet Maria, *posita erat in cælo*, id est, in Ecclesia. Hæc sedes vocatur totius nobilitatis : quia solus Deus sedit in ea. Unde, *supra sedem sedens*, id est, Deus, et homo. Sedens dico, paratus ad judicandum, *similis erat adspectui lapidis jaspidis et sardinis*.

Item, Hæc sedes totius propitiationis. Unde, ibidem, v. 3 : *Iris erat in circuitu sedis*. Glossa : id est, pax, et propitiatio, quæ est in circuitu protegens. Ipsa est sedes comminationis. Unde dicitur, ibidem, v. 5 : *Et de throno procedebant fulgura* comminationis, *et voces* admonitionis, *et tonitrua* summæ placationis. Ipsa est sedes totius pulchritudinis. Unde : *Et septem lampades ardentes ante thronum*, id est, septem dona Spiritus sancti quibus ipsa præ cunctis mortalibus illuminata fuit.

Hic est thronus, de quo, Apocal. vii, 9 et 10, dicitur : *Vidi turbam magnam*, etc. Sequitur : *Stantes ante thronum*, scilicet Dei. Glossa : ut adspiciantur. *Et clamabant voce magna* in præsenti, et in futuro maxime, dicentes : *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum*.

Item, Ipsa est altare oblationis. Apocal. ix, 13 : *Audivi vocem unam*, id est, Mariam, *ex quatuor cornibus altaris aurei*. Glossa : super quod quidquid offertur, acceptatur, *quod est ante oculos Dei*. Quatuor cornua sunt hæc, misericordia, humilitas, benignitas, et largitas.

Item, Ipsa est regina duodecim prærogativis coronata. Apocal. xii, 1 : *Signum*

[1] Aristoteles, Lib. de Mundo, cap. 7.
[2] Luc. i, 42.
[3] Apocal. i, 1.

num magnum apparuit in cælo. Glossa : id est, in Ecclesia : *mulier amicta sole*, id est, Maria Christo, quia induit Christum, qui eam illuminat. *Et luna sub pedibus ejus.* Glossa : id est, omnia terrena. Unde Bernardus : « Quid ad Mariam trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile : tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam : et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis, etc. Ipsa namque mulier *amicta sole* dicitur : qui quemadmodum super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu[1]. »

Merito ergo ipsa stellis duodecim, id est, duodecim prærogativis coronatur. Quarum prima est sua sanctificatio. Secunda, Angelica salutatio. Tertia, Spiritus sancti superventio. Quarta, Filii Dei conceptio. Quinta, virginitas primiceria. Sexta, quia sine corruptione fœcunda. Septima, quia sine gravamine gravida. Octava, quia sine dolore puerpera. Nona, mansuetudo pudoris. Decima, devotio humilitatis. Undecima, magnanimitas credulitatis. Duodecima, martyrium cordis.

Vel aliter : *In capite ejus corona stellarum duodecim.* Prima stella, et privilegium beatissimæ Virginis est peccati immunitas, quod de aliis hominibus dici non potest. I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

Secunda est peccati impossibilitas : quia cum sit plenitudo gratiæ in B. Virgine, ideo dicitur non posse peccare : quod iterum in nullo alio homine.

Tertia est, quod quodlibet motu et opere meruit. Unde Apostolus, ad Coloss. III, 23 : *Quodcumque facitis, ex animo*, etc. I ad Corinth. X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis*, etc. Hoc inter omnes Sanctos hujus vitæ ipsa plenissime fecit.

Quarta est puritas in summo. Unde Anselmus : « Decens erat, ut ea puritate beata Virgo niteret, qua major sub Deo nequit intelligi, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat : ut naturaliter unus idemque esset Patris Virginisque Filius. Et quam ipse Filius substantialiter sibi matrem eligebat : et de qua Spiritus sanctus volebat, et operaturus erat, ut conciperetur, et nasceretur, de quo ipse procedebat[2]. »

Quinta, quod ipsa dicitur *mater Dei*, propter quod dicitur *gratia plena.* Unde patet, quod major gratia non potest intelligi, nec puræ creaturæ participari, quam esse matrem Dei per naturam. Plus est enim Dei matrem esse per naturam, quam Dei filium esse per adoptionem.

Sexta est, quia est mater et virgo simul, quod iterum ei soli convenit. Unde cantat Ecclesia et Sedulius :

> Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Unde Dionysius : « Hoc novum est, et omnium novorum novissimum[3]. »

[1] S. BERNARDUS, Serm. super hæc verba Apocalypsis, XII, 1.

[2] S. ANSELMUS, Lib. de Conceptu virginali, cap. 18.

[3] S. DIONYSIUS, Lib. de Divinis nominibus, cap. 2. Expressius id habent S. Hieronymus, Epist. seu serm. ad Paulam et Eustochium ; S. Damascenus, Lib. III de Fide orthodoxa, cap. 1 ; S. Cyprianus, serm. de Nativitate Christi, et S. Bernardus serm. 3 in Vigilia Natalis Domini et Homil. I super *Missus est.* (Nota edit. Lugd.).

Septima est, quia est Virgo virginum, et hoc tribus de causis. Primo, quia ipsa est mater omnium in virginitate. Nam ipsa sine præcepto, consilio, et exemplo hoc gloriosum munus virginitatis Deo obtulit. Secundo, quia ipsa omnes virgines excellit in fomitis exstinctione, et in summa puritate citra Deum. Tertio, quia in virginitate excellit Angelos. Angelorum enim puritas est necessaria, sed hæc voluntaria. Unde hæc gratior quam illa.

Octava est, quia est omnium mater, unum enim hominem genuit, in quo nos omnes regeneravit. Item, in uno homine nobis genuit quidquid ad hanc vitam et futuram necessarium fuit. Item, est mater omnium dignitate, quia ipsa est primogenita ante omnem creaturam. Quæ enim mater creatoris est, mater omnium creaturarum est, et sic omnium bonorum mater.

Nona est, quia ipsa dicitur *stella maris*, propter quinque. In illa enim stella est considerare substantiam, qualitatem, situm, statum, et effectum. Primo, substantia est cœlestis, et incorruptibilis lucis origo. Sic et ipsa cœlestis in conversatione, incorrupta in corpore, origo lucis in regeneratione. Secundo, qualitate est superior. Sic et ipsa respectu omnium Sanctorum, est clarior virginitate, utilior fœcunditate. Tertio, situ est suprema et ultima. Sic et ipsa summa dignitate, et ultima humilitate. Quarto, status stellæ est sine motu, sine occasu, sine errore. Sic et ipsa sine motu inconstantiæ, sine occasu culpæ, sine errore ignorantiæ. Quinto, effectus stellæ triplex, ferrum attrahit, lucem trahit, nautas dirigit. Sic et peccatores attrahit, pœnitentes illuminat, et dirigit innocentes. Et sic patet, quare ipsa dicitur *stella maris*.

Decima est, quia ipsa dicitur *porta cœli*. Et primo propter hoc, quia ipsa porta exportat, et importat. Sic et ipsa dicitur *porta*, quia per ipsam exivit quidquid umquam gratiæ creatum, vel increatum, in mundum venit. Vel ideo, quia per ipsam intravit quidquid umquam gratiæ creatum, vel increatum, in mundum venit. Vel ideo, quia per ipsam intravit quidquid boni ad cœlos ascendit. Unde Filius dicit de ipsa illud Sapientiæ, VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Undecima est communicatio passionis, de qua Damascenus dicit : « Sed ipsa (mater scilicet Dei) beata, et super naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens. Et sic ipsa summe doluit, et sic summe glorificari debuit[1]. »

Duodecima est ejus exaltatio super omnem creaturam, in quartam hierarchiam, et propter hoc *regina misericordiæ* appellatur. Unde Ecclesia in laudem ipsius concinit in festo Assumptionis : « Exaltata est sancta Dei genitrix, etc. »

Et sciendum est, quod inter hæc duodecim privilegia beatæ Virginis, ultimum, scilicet quod nominatur *regina misericordiæ*, proprie convenit ei in prædictam dignitatem exaltatæ. Primo, quia misericordia plus comprehendit, quam gloria. Nam justitia, gratia, gloria, per se tantum dicunt collationem boni. Misericordia autem dicit collationem boni, et ablationem mali. Per se ergo plus comprehendit, et in amplius se extendit regnum misericordiæ, quam regnum justitiæ, gratiæ, et gloriæ. Item, ipsa gloria tantum est in cœlis, sed misericordia est in cœlo, et in terra, et in purgatorio. Ergo maximum est regnum misericordiæ. Item, cum proprium sit Filii sui misereri semper et parcere, et ipsa super patrimonium et proprietatem Filii sui est regina. Ergo ipsa *regina misericordiæ* convenientissime appellatur.

Item, Beata Virgo figurata est per se-

[1] S. J. Damascenus, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 15.

ptem Angelos. Apocal. XVI, 1 et seq., quorum primus effudit phialam suam in terram : secundus Angelus in mare : tertius, super flumina : quartus, in solem : quintus, super sedem bestiæ : sextus, in flumen magnum Euphraten : septimus, in aerem. Sic et ipsa phialas gratiæ et misericordiæ effudit in omnes.

Ipsa etiam in summo habet proprietates Angelorum omnium. Unde videndum est de singulis. Et primo, de proprietatibus primæ hierarchiæ ascendendo, quorum primus est ordo Angelorum. Hujus tres proprietates sunt. Una est, quia ordo ille immediate ordinatur ad humanam hierarchiam : sed ipsa vicinius ordinata est nobis. Angeli enim sunt nobis prælati tantum. Ipsa vero comprælata, mater, et filia, atque soror existit. Secunda est, quia magis noti sumus illis per intelligentiam : sed ipsa scit infirmitates nostras per experientiam. Tertia est, quia singulos homines ipsi singuli custodiunt : sed ipsa singulos, et universos.

Secundus ordo est Archangelorum, secundum Dionysium[1], qui similiter tres quoque habere videntur proprietates. Quarum prima est, quod ipsi a superioribus communicant : sic ipsa a summis communicavit nobis scilicet a Trinitate. *Spiritus sanctus superveniet in te*[2]. Secunda est supra inferiores esse : sed ipsa supra omnes est. Tertia est, inferiores reducere. Hoc ipsa in summo fecit : quia lapsum hominem in Angelorum restaurationem revocavit.

Tertius ordo est Principatuum, qui similiter tres proprietates habent. Prima est primi principii imitatio. Sic beata Virgo, primum principum, scilicet suum Filium imitatur in omni misericordia, et humilitate. Secunda est ornatus virtutum, quem ipsa in summo habet. Unde in Canticis, I, 4 : *Nigra sum, sed formosa*, etc. Tertia est esse inferiorum, ad ipsum primificum principium reductivum : quod ipsa etiam habuit in summo, quia de ultimo fecit primum, et de primo ultimum.

Modo de secunda hierarchia videamus, cujus et tres sunt ordines. Primus est Potestatum, qui tres habent proprietates. Prima est sui ordinis, et dignitatis gratia custodita. Hanc habuit ipsa in summo, quia fuit Virgo post partum, et ante partum, et in partu, stante dignitate maternitatis. Secunda est aliorum ordinativum. Sic et ipsa fuit ordinis virginalis inventrix, et ordinatrix. Tertia est activum, et reductivum. Sic et ipsa fuit reducta per exemplum. Unde dicitur *stella maris*.

Secundus ordo est Virtutum, quarum tres sunt proprietates. Prima est incommutabilis virilitas, quæ consistit in beata Virgine in tribus, in resistentia contrarii, quia omne peccatum vicit : in aggressione ardui, scilicet in altissima paupertate : in tolerantia adversitatis, scilicet passione Filii. Secunda est nullius imbecillitatis tarditas. Hanc ipsa cum excellentia habuit, quia eamdem Angelicam vitam, quam Angeli habent, ipsa sine onere carnis, in carne duxit, et ideo illos ad majus bravium præcucurrit. Tertia est ad inferiores largitas, quam ipsa habet cum excellentia. Illi enim dant dona Dei : ipsa vero dat ipsum Deum. Vel, ipsi dant tantum inferioribus : ipsa inferioribus, et superioribus. Dedit enim mundo Deum, et Deo mundum.

Tertius est ordo Dominationum, qui habent, secundum Dionysium[3], has proprietates. Prima est a servitute libertas. Secunda est, ab hostibus invincibilitas. Tertia, liberalis severitas. Quarta, minutivi servitii superioritas. Quinta,

[1] S. DIONYSIUS, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 6 et 9.
[2] Luc. I, 35.

[3] S. DIONYSIUS, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 8.

nullius subjectionis egestas. Sexta, dissimilitudinis immunitas. Septima, dominandi ordinata voluntas. Octava, sui et suorum ad Deum conformitas. Nona, nulla in dominando vanitas. Decima, Dominicæ dominationis particeps conformitas. Has omnes proprietates habuit beata Virgo in summo.

Restat nunc videre de suprema hierarchia, in qua primus in ascendendo, est ordo Thronorum, quorum sex sunt proprietates. Prima est celsitudo. Secunda est regis circumdatio. Tertia, stabilis collocatio. Quarta, regis susceptio. Quinta, regis delatio. Sexta, familiaris apertio. Sic et beata Virgo celsissima est quantum ad primum. Regem gremio uteri sui circumdedit, quoad secundum. Ipsum in solium gloriæ et gratiæ elegit, quoad tertium. Ipsum per præsentiam corporalem suscepit, quoad quartum. Regem gloriæ in mundum detulit de cœlo, quoad quintum. Ipsi datum est incarnationis sacramentum, soli præ omnibus scire, et experiri, quantum ad sextum.

Secundus ordo est Cherubim, cujus secundum Dionysium[1], quatuor sunt proprietates. Prima est in circuitu ejus esse. Sic et ipsa totum ipsum circumdedit, scilicet in conceptione. Secunda est reductivum per quod secundum Commentatorem intelligitur quo ad Deum tendant. Sic et beata Virgo omnia reductibilia ad Deum reduxit. Tertia est activum, quod est, ut dicit Commentator, ut secundum Deum incedant. Quod ipsa præ omnibus fecit. Quarta est exemplativum, quod est, secundum Commentatorem, ut secundum suum exemplum hoc faciant. Sic et ipsa omnium virtutum exstitit exemplar.

Supremus omnium est ordo Seraphim, cujus, secundum Dionysium ubi proxime, octo sunt proprietates. Prima est mobile, scilicet dilectionis, quæ est vita. Sic et ipsa est nobis causa vitæ æternæ. Secunda est incessabile, et est charitas, quia est perpetuum. Sic et ipsa incessabilitatem charitatis habet supra Seraphim. Tertia est calidum, et est dilectio calida et sopita. Hanc habuit beata Virgo super Seraphim. Major est enim virtus, quæ facit sopitum in tumultu, et strepitu, quam illa quæ sopitum facit in silentio et quiete. Sic et beata Virgo omnino tranquillata fuit in tumultu tribulationum, et persecutionum. Quarta est acutum. Et dicit Commentator, quod acutum est sapientia. Sed ipsa maxime sapiens fuit. Quinta est superfluidum, quod est, cum per ignem charitatis extollitur super se. Et illa super omnes choros Angelorum elevata est. Sexta est intentum, quod est, secundum Commentatorem, ut in ipsum pergat. Quod et ipsa fecit. Septima est intimum, quod est, ut dicit Commentator, ut ad exteriora non effluat. Imo ipsa supra naturam et contra naturam sursum fluxit, et omnes qui defluxerunt, secum sursum reduxit. Octava proprietas est inflexibile, quod est, ut ad negotia extra ipsum non divertant. Et hanc beata Virgo habuit super Seraphim. Isti enim ab illo tantum tempore, quo illud acceperunt, non diverterunt: illa autem non solum nunquam divertit ab ipso, sed omnia vertit ad ipsum.

Est ergo beatissima Virgo Maria, Angelus in gratiæ inventione, Archangelus in Dei generatione, Princeps in Principum subjectione, Potestas in supernaturalium operatione, Virtus in Dei fortissimorum actuum perfectione, Dominatio in creaturæ superpositione, Thronus in Dei corporali receptione, Cherubim in omnium secretorum secretissima cognitione, Seraphim in suprema super omnes dilectione.

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap.

O Regina misericordiæ, gratiæ, et gloriæ, Imperatrix rerum universarum, hunc libellum ad honorem tuum qualitercumque compilatum benigne suscipias, et omnia peccata mea diluas, gratiam gratum facientem finaliter tribuas, et ad gloriam sempiternam, me indignissimum tuum famulum perducas. Amen.

Tu quoque, Lector, quidquid in eo emendandum, charitate fraterna studeas emendare.

INDEX

IN BIBLIAM MARIANAM.

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM.

PARADISUS ANIMÆ,

SIVE LIBELLUS DE VIRTUTIBUS.

PROLOGUS.

Vitia quædam virtutum speciem præ se ferunt.

A. Sunt quædam vitia, quæ frequenter virtutum speciem prætendunt, ut cum vere sint vitia, credantur esse virtutes. Sicut severitas putatur esse justitia : amaritudo mentis dicitur maturitas : jucunda loquacitas dicitur affabilitas : dissolutio creditur spiritualis mentis lætitia : pigritia sive inordinata tristitia judicatur morum gravitas : tepor seu torpor creditur discretio : ornatus superfluus creditur munditia : superabundantia in victu et familia vocatur honestas : prodigalitas dicitur liberalitas : avaritia creditur providentia : pertinacia judicatur constantia : dolositas vocatur prudentia : hypocrisis dicitur sanctitas : incuratus in agendis dicitur mansuetus : curiosus dicitur circumspectus : vanigloriosus dicitur honestus ; præsumptio dicitur spes : carnalis amor judicatur charitas : protervus accusator vel corrector, dicitur zelator justitiæ : dissimulans dicitur patiens : pusillanimus ad corrrigendum dicitur benignus, mansuetus, vel pacificus : et sic de similibus. Sicut autem falsis denariis nihil emitur bonis sic, nec falsis virtutibus regnum cœlorum comparatur.

Falsis virtutibus nihil meremur. Virtutibus naturalibus nihil meremur.

B. Sunt etiam quædam virtutes naturales, quasi naturaliter hominibus inhærentes : sicut naturalis humilitas, benignitas, modestia, largitas, misericordia, patientia. His similiter, atque similibus, nemo meretur præmium æternum sive regnum Dei, sed solis virtutibus gratuitis.

Virtutes a stultis sæpe vitia reputantur.

C. Sunt etiam quædam virtutes gratuitæ, quas insipientes judicant esse vitia. Sicut justitia judicatur esse severitas : maturitas vocatur apud eos mentis amaritudo : providentia dicitur avaritia : constantia dicitur pertinacia : et sic de omnibus supradictis. Sic etiam, quod fit per humilitatem, dicitur fieri per vanam gloriam. Quod fit per sanctitatem, fieri dicunt per hypocrisim vel apparentiam. Quod fit zelo justitiæ, fieri dicunt zelo vindictæ. Quod fit ex charitate, fieri dicunt ex rancore vel odio. Quod fit per spiritualem dilectionem, fieri dicunt propter carnalem amorem. Quod fit pura intentione, fieri dicunt pro temporali consolatione. Et sic de aliis.

Utilitas hujus libri.

D. Cum autem difficile sit discernere inter vitium et virtutem, cumque gradus sint in virtutibus singulis, quæ primo ex mera Dei liberalitate animæ infunduntur, infusæ radicantur et augentur, auctæ perficiuntur : perfectissime intuendum est quæ sint animæ virtutes veræ atque perfectæ, quibus solis gratus efficitur homo apud Deum.

Et primo de charitate, quæ est mater et ornamentum omnium virtutum.

CAPUT I.

§ I. De charitate ad Deum.

Charitas ad Deum vera et perfecta est, quando anima, cum omnibus viribus suis, ardenter se infundit Deo, nullum commodum transitiorium vel æternum quærens in eo : sed solummodo propter bonitatem, sanctitatem, perfectionem, et beatitudinem sibi innatam, afficitur circa Deum. Delicata enim anima, quasi abominatur per modum commodi vel præmii amare Deum. Sicut Deus, cum omni sua virtute, animæ hominis se infundit, nihil umquam utilitatis ab ea sperans : sed naturalem suam beatitudinem, ei communicare desiderans. Qui autem diligit Deum, quia sibi bonus est : et propter hoc principaliter, ut sibi beatitudinem suam communicet, naturalem et imperfectam charitatem habere convincitur.

B. Inductivum veræ charitatis est agnitio Dei vera. Nam in ipso materia totiùs dilectionis consistit : scilicet, nobilitas, sanctitas, potentia, sapientia, benignitas, pulchritudo, providentia, etc. Item, dilectio Dei ad nos æterna, immensa, non interpolata, et fidelissima, inductiva est veræ charitatis.

C. Argumentum veræ charitatis ponit Dominus in Joanne, XIV, 21, dicens : *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Cujus testis est D. Augustinus : « Nam, inquit, in tantum Deum diligimus, in quantum ejus præcepta servamus ». Idem intelligendum est de votis spontaneis, quæ obligant æqualiter cum præceptis. Testimonium perhibet Domino B. Gregorius dicens : « Ad vosmetipsos, fratres charissimi, introrsus redite. Si Deum vere amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus, sine operis attestatione, responderit. De dilectione conditoris, lingua, mens, et vita requirantur. Numquam est Dei amor otiosus. Operatur etenim magna, si est. Si vero operari renuit, amor non est. » Hæc autem operum exsecutio, et mandatorum observatio, purificari debent ex intentione : ne vel timore alicujus pœnæ fiant, vel amore præmii compleantur, teste D. Augustino : « Deum diligit, qui non ideo imperata custodit, quia vel magnitudine pœnæ, vel aviditate præmii compellitur : sed quia, quod jubetur, optimum est et honestum. »

D. Sunt et alia duo signa verissimæ charitatis ad Deum : scilicet, cum homo congratulatur Deo in omnibus, quæ sibi placent, a quocumque homine, quocumque tempore et hora, et quocumque loco fiant. Naturalis enim amor nihil laudis a Deo meretur : quia semper se super seipsum reflectit, et proprium commodum suum quærit : sed solum gratuitus, qui semper tendit in alterum. Secundum signum est, cum homo contristatur Deo in omnibus quæ ipsi displicent : a quocumque homine, quocumque tempore et hora, et quocumque loco fiant.

§ 2. De Charitate vera ad proximum.

A. Vera charitas ad proximum, est diligere proximum sicut seipsum : amicum et inimicum, quemadmodum dicit D. Augustinus : « Proximum diligere sicut seipsum, hoc est, in Deo, ad Deum, et propter Deum : sic enim debet unusquisque diligere proximum sicut seipsum. Quia sicut sibi desiderat omne bonum, et fugit omne malum, sic faciat proximo suo. » Vel aliter : Sicut unusquisque bonum proprium in corpore et anima, in rebus et honore diligit : et sicut unusquisque in his quatuor fugit et odit omne malum proprium et damnum : sic quilibet in eis, omne bonum tam amici quam inimici debet diligere, et omne damnum odire. Licet ex præcepto, non tantum, nec tam ardenter, ad proximum moveri teneatur, quantum ad semetipsum.

Ex amore amici non potest vera charitas perpendi. Nam et ipsi Ethnici eos diligunt, qui se amant[1]. Sed in amore inimici, vera charitas perpenditur. Amantem enim diligere naturæ est, quod non est meritorium. Non amantem vero diligere, gratiæ est. Sed adhuc excellentius perpenditur veritas charitatis ad proximum, in Glossa super Matthæum, quæ dicit : « Amantem diligere, naturæ est : non amantem vero beneficiis ad amorem attrahere, perfectionis est. » Et licet nemo teneatur ex præcepto, tantum et tam ferventer inimicum diligere, quantum amicum : felix tamen esset, et summe perfectus, qui tantum et plus posset diligere, et opera charitatis exhibere inimico, quantum amico : corripienti et corrigenti, quantum blandienti : vituperanti, quantum laudanti. Quia teste D. Chrysostomo : « Nihil autem est, quod sic Dei similes faciat, ut malignis atque lædentibus esse placabilem. » Pro certo enim majorem gratiam et gloriam consequeretur ex persecutione, quam ex favore : si modo debito sciret ea uti. Sicut sanctis martyribus multo magis profuerunt inimici, ad æternam gloriam, quam amici.

B. Ad amorem proximi, inducere nos debet natura : quia *omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi*[2]. Et quia imago Dei est in ipso. Et præceptum in Scriptura est.

C. Argumenta veræ charitatis ad proximum sunt : Vere condolere tam inimico quam amico, in qualibet adversitate : vere et ex corde congaudere de omni prosperitate : quæ duo rarissima sunt in mundo.

D. Argumenta veri odii ad proximum sunt, quando aliquis cum gravitate mentis de proximo cogitat : quando cum tristitia cordis eum videt : quando cum amaritudine animi cum ipso loquitur, de ipso loquitur, vel audit loqui : quando etiam omne bonum illius, et quod ei utile est impedit, quantum potest : quando bonum quod in ipso est, diminuit et pervertit. Sic non fecit Dominus Jesus traditori suo Judæ, qui ipsum, tempore traditionis, cum aliis dilectis Apostolis, corpore et sanguine suo refecit. Et in loco traditionis, non negans ei osculum, benignissime ipsum salutavit : plus dolens de malo illius, quam de proprio incommodo, ut dicit D. Hieronymus. Sed mirabile est, quod unquam aliquis sibi de fraterna charitate applaudit, qui hæc signa odii gerit in corde. Multis autem videtur sufficere, si cupiant proximis

[1] Matth. v, 46 et 47.

[2] Eccli. xiii, 19.

vitam æternam : quam nec dare, nec auferre possunt : quam etiam bene optarent Judæis et Paganis. Nec memores esse volunt, quod cum Dominus animam suam posuerit pro inimicis suis, nos quoque teneamur non tantum diligere, sed etiam res et animas nostras pro fratribus christianis ponere, tempore necessitatis. Maxime autem Prælati ad hoc tenentur.

E. Ex duobus fovetur charitas. Ad Deum, ex mandatorum executione, secundum illud : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione*[1]. Ad proximum, ex compassione : secundum illud Ecclesiastici, VII, 38 et 39 : *Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim dilectione firmaberis.*

CAPUT II.

De Humilitate.

A. Humilitas vera et perfecta est, cum gloria contemnitur exhibita, nec appetitur exhibenda. Vere humilis semper timet, ne sibi aliqua gloria exhibeatur : et cum sibi exhibita fuerit, expavescens medullitus contristatur : sciens quod soli Deo gloria et honor debentur.

Vere humilis numquam de aliqua gloria vel gratia gloriatur : nisi ex hoc audientibus confidentiam ad Deum præstare intendat. Sed si de ipso gloriosum aliquid, vel aliqua gratia recitatur, hoc cum dolore cordis, et dejectione sui audit : sciens solius Dei esse, quod sibi adscribitur, cui soli danda est gloria[2].

Vere humilis, nec majori, nec minori, nec æquali, se comparat : imo, nullum inferiorem se credit : nullum omnino spernit : et nisi se solum ex corde despicit, atque ab omnibus despici ferventer appetit, gaudetque vehementer cum despectus fuerit. Talis nullam timet contumeliam, quia nullam amat gloriam. *Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo*[3]. Sed verus humilis, teste D. Bernardo[4], vilis vult reputari, non humilis prædicari. Amans humilitatem, debet radicem humilitatis in corde suo plantare, hoc est, propriam fragilitatem agnoscere : ut se reputet non solum quam vilis sit, sed etiam quam vilis esse possit. Imo etiam, quam vilis hodie fieret, nisi Deus violenter eum a peccatis retraxisset, et nisi illi tentationes subtraheret. Ibi quilibet se cognoscere potest : atque etiam ex sua fragilitate se esse dispositum ad abyssum et voraginem omnium vitiorum, juxta illud Michææ, VI, 14 : *Humiliatio tua in medio tui.*

B. Ad veram humilitatem inducit frequens in despectis operibus exercitatio, dicente sacra Scriptura, quod numquam

[1] Joan. XV, 10.
[2] I ad Timoth. I, 17.
[3] Eccli. XIX, 23.
[4] S. BERNARDUS, Serm. 16 in Cantica.

ad humilitatis virtutem perveniet, qui opera humilitatis refugit.

C. Fovetur vera humilitas ex eo quod homo vere cognoscit nullam per se carnalem, vel spiritualem tentationem posse vincere, nec minus opus bonum ac Deo gratum, sine speciali auxilio Jesu Christi posse perficere.

D. Argumentum veræ humilitatis est, cum homo in tantum se dejicit, quod omni gratia se indignum esse sentit : nec audet etiam aliquam gratiam appetere. Et si a Deo super ipsum absque suo desiderio aliqua effluxerit, cum timore percipit. Imo laudabilius judicat esse carere Dei gratia, quam eam habere, quam toties diversis modis demeruit ac deturpavit, qua nunquam secundum Dei ordinationem fruebatur. Item, argumentum veræ humilitatis est, semper infimum locum, infimos socios, infimum officium, et infima vestimenta quærere.

E. Superbia mentis dupliciter agnosci potest. Argumento extrinseco, secundum illud : *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo*[1] : sicut arbor bona vel mala ex fructu bono vel malo perpenditur : quia omnia facta ex corde (alias, cogitatione), procedunt, ut dicit D. Hieronymus [2]. Sicut odor bonus vel malus ex stomacho incorrupto vel corrupto progreditur, ut ex speciebus bonis vel malis in stomacho repositis : et sicut impudicus oculus, teste D. Augustino, impudici cordis est nuntius : ita signa exteriora produnt hominum intentionem.

Argumento intrinseco agnosci potest superbia. Cum aliquis in corde sibi ipsi placet, aliis se præfert, et præferri desiderat. Cumque in factis suis, hominibus placere desiderat et affectat. Talis cum humili magistro Jesu Christo non concordat : qui nec sibi complacuit, teste Apostolo Paulo, sed improperium hominum exspectavit et miseriam [3]. Nec venit præesse, sed subesse, ipso teste : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*[4]. Ideo talis magister discipulorum qui non Deo sed hominibus placere volunt, dissipat ossa virtutum : qui teste Psalmista [5], tandem confundentur, *quoniam Deus sprevit eos*.

CAPUT III.

§ I. De Obedientia ad Deum.

A. Obedientia vera et perfecta est ad Deum, cum homo diligenter et sæpe recogitat, quid maxime, et quolibet tempore et loco, placeat Deo, et ad quid sapiens Deus eum præcipue ordinavit : et hoc toto nisu semper implere contendit.

[1] Eccli. xix, 27.
[2] S. Hieronym., Epist. ad Principiam virginem.
[3] Psal. lxviii, 21.
[4] Matth. xx, 28. Cf. ad Philip. ii, 7.
[5] Psal. lii, 6.

§ 2. De obedientia ad Superiores.

B. Sed vera obedientia ad vicarios Jesu Chisti, scilicet Prælatos, est, cum subditus quod sibi maxime contrarium est, fideliter et libenter exsequitur: numquam manifestans signo, verbo, vel facto, quod sibi contrarium sit præceptum. Sed ibi vera obedientia non potest perpendi, ubi subditus præceptum excogitat: et opus quod sibi placuerit, ipse dictat: dicente D. Augustino: « Optimus minister tuus est, Domine, qui non magis intuetur hoc a te audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod a te audierit [1]. »

Verus obediens numquam præceptum exspectat: sed solum voluntatem Prælati sciens vel credens ferventer exsequitur pro præcepto: exemplo Domini nostri Jesu Christi, cui voluntas et complacentia Patris summum mandatum fuit.

Verus obediens numquam de factis suis ordinat: nec secundum sensum suum judicat: nec cuiquam de factis suis sensum suum indicat: cum nec velle habeat, nec nolle. Sed omnem ordinationem circa se, simpliciter et secure, Deo committit et Prælato.

Verus obediens non discernit, utrum bonum vel malum. Sicut Abraham non discrevit, utrum bonum ve malum esset occidere filium suum, Domino jubente. Nec discernit inter bonum et melius: nam semper optimum esse judicat, etiam in dubio, quod jubetur: nisi manifeste appareret iniquum esse mandatum. Tunc namque secundum D. Gregorii consilium, « sciendum est, quod numquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur, intermitti [2]. » Iterum, D. Gregorius: « Sed quia nonnumquam nobis hujus mundi prospera, nonnumquam vero jubentur adversa, sciendum summopere est, quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est. Aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda hujus vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis servit. Rursum, cum mundi despectus præcipitur: cum probra adipisci et contumeliæ jubentur, nisi ex seipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit: quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit [3]. » Et paulo post: « Debet ergo obedientia et in adversis ex suo aliquid habere, et rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere. Quatenus et in adversis, tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur. Et in prosperis, tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa, quam divinitus percipit, gloria, funditus ex mente separatur. »

C. Inductivum veræ obedientiæ, est summa obedientia Jesu Christi: qui non solum Deo Patri obedivit per omnia, dicens: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* [4]: sed etiam hominibus bonis et malis subditus fuit, imo et dæmonibus.

Item, quia omnia sensibilia et insensibilia obediunt Deo: et illa subjecit ho-

[1] S. Augustinus, Lib. X Confessionum, cap. 26.
[2] S. Gregorius M., Lib. XXXV Moralium, cap. 14.
[3] Idem, Ibidem.
[4] Luc. XXII, 42.

mini, ut se cognosceret subjiciendum esse Deo. Sol et luna obedierunt Josue. Terra Moysi, cum absorbuit Core, Dathan, et Abiron. Mare Petro, ad calcandum : et Moysi, cum submerget Pharaonem et exercitum ejus. Serpentes, magis in Ægypto. Bestiæ eremitis, et sanctis Patribus in Ægypto : ut legitur in *Vitis patrum*. Aer, nix, et grando, Samueli. Pluvia Eliæ : et ignis eidem, qui devoravit duos quinquagenarios. Aves, sanctissimo Patri Francisco : dæmones, Apostolis : et sanctis hominibus ægritudines, a quibus eos liberaverunt. Et multæ creaturæ Moysi in Ægypto. Et quia omnia obediunt Deo, in cœlo, sub cœlo in purgatorio, et inferno : ideo homo merito deberet Deo in omnibus obedire, ejus præcepta et voluntatem exsequendo.

D. Argumentum veræ obedientiæ habet D. Bernardus : « Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem : parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri : totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem [1]. » Idemque D. Bernardus : « Omnis bonus obediens, dat suum velle, et suum nolle (scilicet in manibus sui prælati) ut possit dicere : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* [2]. Paratum quodcumque præceperis, facere : paratum ad nutum, nutu citius obedire : paratum tibi vacare, proximis ministrare, mentem custodire, et in cœlestium contemplatione requiescere [3]. »

E. Argumentum inobedientiæ est, cum subditus mandatum Prælati injustum reputat, et ex hoc, in corde murmurat. Deinde, mandatum se implere non posse, nec debere, excusat. Postea, diversas vias evadendi subtiliter excogitat. Ad ultimum, aliquos inducit, qui consiliis vel precibus, mandatum impediant vel retractent. Sic non fecit Abraham, qui nocte abiit, ut mandatum subito expleret : relinquens servos in pede montis, ne ipsum in occisione charissimi filii impedirent : ideo largam benedictionem promeruit sibi, et suo semini [4].

CAPUT IV.

De Patientia.

A. Patientia vera et perfecta est, cum aliquis sustinet patienter injurias, non solum cum reus est, sed etiam cum innocens est : exemplo B. Job dicentis : *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus* [5]. Et licet intolerabilior sit injuria innocenti, quam culpabili : tamen multo suavius sufferri potest et debet injuria, quum nihil conscientiam remordet de culpa aliqua quam si præcedente culpa aliqua, molestiam meruisset. Teste B. Petro, qui ait : *Nemo vestrum*

¹ S. Bernardus, Serm. de virtute obedientiæ et ejus gradibus, gradu quarto.
² Psal. LVI, 8 et CVII, 2.
³ S. Bonaventura, Lib. Meditat. cap. 6.
⁴ Cf. Genes. XXII, 1 et seq.
⁵ Job, XVII, 2.

patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine[1]. Et supra : *Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes*[2]. Iterum, supra : *Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum*[3].

B. Laudabilis est illa patientia, quæ non tantum a malis, sed etiam ab eis qui videntur esse boni et amici : nec tantum pro malis operibus, verum etiam pro benefactis, sibi illatas patienter suffert injurias. Tunc anima amica Dei est inter filias, sicut lilium inter spinas[4]. Lilium enim quamvis pungatur a spinis, candorem tamen retinet : fortiorem emittens odorem, quam si non pungeretur. Sic anima sponsa Dei, si ab eis qui videntur esse de numero filiorum Dei et consortio, pungatur : non tamen ad impatientiam provocatur, sed candorem bonæ conscientiæ, et bonæ famæ odorem diligentissime servare conatur.

C. Ille vere patiens est, qui non solum molestias illatas patienter tolerat, sed etiam inferendas desiderat : exemplo Jesu Christi dicentis : *Improperium exspectavit cor meum, et miseriam*[5].

Vere patiens inter flagella non murmurat : exemplo Job, qui inter pressuras, nec stultum quid contra Deum locutus est, sed mente gaudet hilari de illatis molestiis, et ex corde gratias agit[6].

Vere patiens pro illata injuria numquam se excusat, etiam requisitus, fidelissimo Deo in omnibus se committens : qui utique tempore suo, omnium innocentiam manifestabit : sicut Dominus Jesus, interrogatus a Pilato, non respondit.

Vere patiens injuriam suam nulli conqueritur : quia ex querela et excusatione mens quandoque alleviatur, quam alleviationem minime curat. Sed solus cum Deo molestiam suam portat : donec pius et fidelis Dominus illam per internam consolationem repellat.

D. Tria sunt quæ merito inducant ad veram patientiam. Unum est cognoscere, quod peccatis nostris exigentibus, æternam et amarissimam gehennæ pœnam meruimus : pro cujus recompensatione, molestia corporali affligimur. Aliud est, quod Dominus Jesus Christus, longo tempore, multis variis et magnis injuriis. promeruit : ut vicem sibi rependentes, brevi tempore molestemur. Tertium est, quod ipse Deus justus, secundum longitudinem, magnitudinem, et asperitatem molestiarum, reponderabit omnem longitudinem, diuturnitatem, et delectationem dulcedinemque gaudiorum. Teste apostolo Paulo, dicente : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*[7].

E. Argumentum veræ patientiæ est, non se vindicare, cum possit : et etiam prohibere vindictam ab aliis. Exemplo David, qui prohibuit occidi Semei, qui lapides et lutum contra eum projiciens, *virum sanguinum* eum appellavit[8]. Sed potius vere patiens devote supplicat pro injuriantibus : quod et fecit Dominus Jesus Christus efficaciter pro suis crucifixoribus orans[9] : et B. Stephanus, pro lapidantibus[10]. Imo etiam cogit Dominum injuriantibus misereri : sicut fecit Moy-

[1] I Petri, IV, 15 et 16.
[2] Ibid., III, 17.
[3] Ibid., II, 20.
[4] Cantic. II, 2.
[5] Psal. LXVIII, 20.
[6] Job. I, 22.
[7] II ad Corinth. IV, 17.
[8] II Regum, XVI, 7.
[9] Luc. XXIII, 34.
[10] Act. VII, 60.

ses, dicens : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* [1]. Tales orationes libenter audit Deus, et exaudit. Unde isti, scilicet David, Christus, et Stephanus, fuerunt pro adversariis exauditi.

F. Argumentum impatientiæ est, cum aliquis propter illatam molestiam, ex motu interiori, sponte dimittit bona opera, quæ commode facere posset, et deberet : tunc enim luit Deus molestiam ab homine irrogatam. Idemque motus interior vix se abscondere potest, nisi erumpat vel in vultu, vel in gestibus, vel in verbis. Hæc est periculosissima impatientia, cujus vindicta vergit in Deum innocentem.

CAPUT V.

De Paupertate.

A. Paupertas vera et perfecta est, omnia propter Deum, sponte et libenter relinquere : nihil præter solam necessitatem possidere, eademque necessitate se indignum sentire : imo etiam ipsa necessitate, quandoque propter Deum, et propter paupertatis amorem, libenter carere. Ubi enim non est necessitas, ibi non potest perpendi vera paupertas. Sic Dominus noster Jesus Christus, necessitate cibi caruit : cum nec sibi, nec discipulis suis spicas confricantibus, panem habere potuit. Qui similiter vestium necessitate caruit, quando (teste D. Bernardo [2]) ante crucem penitus nudatus fuit. Qui etiam sitiens in cruce, haustum aquæ habere non potuit : nec lapidem, nec asserem, in quo moriens, crucifixum caput reclinaret. Heu ! quam sæpe est ibi superfluitas, ubi creditur vera esse necessitas.

B. Verus pauper nulla transitoria concupiscit, imo oblata respuit : exemplo Elisei, qui munera Naaman non accepit [3] : exemplo Danielis, qui dona Baltassar regis contempsit [4]. Ille paupertatem vere amat, qui potius mereri vellet per paupertatem, parvam gloriam in cœlesti regno, quam magnam per divitias. Et hoc, propter conformitatem Jesu Christi.

C. Ad amorem veræ paupertatis inducere nos debent tria, secundum D. Bernardum : « Nihil, inquit, Deo charius, nihil Angelis amabilius, nihil hominibus fructuosius, quam in paupertate obediendo vitam finire. » Quod autem paupertas Deo placeat, testatur idem Bernardus : « In sinistra, inquit, Dei divitiæ et gloria : in dextera longiturnitas vitæ. Horum omnium æterna in cœlis affluentia suppetebat : sed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat et superabundabat hæc species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiscens, de-

[1] Exod. xxxii, 31 et 32.
[2] S. Bernardus, Tractatu de Passione Domini, cap. [illegible].
[3] IV Regum v, 15 et seq.
[4] Daniel. v, 17.

scendit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam [1]. »

Est et aliud inductivum veræ paupertatis, scilicet gloria assessionis Domini : veniens ex eo, quod pauperes ignobiles ad latus Christi sedebunt in judicio, nobiles et divites judicantes. Eia, quam laudabile est Deo, pure omnia propter ipsum relinquere : pauperem propter amorem Dei, sponte fieri : in Deo confidere super omnia. Quod tam potens sit, semel vel bis in die, ministrare corpori necessaria, quæ minima reputantur coram Deo. Nam ea tribuit inimicis abundantius quam amicis. Sicut potens est, die ac nocte, et momentis singulis, ministrare spiritui, abundantiam spiritualium donorum : quæ maxima sunt coram Deo. Nec ea communicantur inimicis, sed solum bonis, qui sunt ejus amici.

D. Argumentum veræ paupertatis est, nullam sollicitudinem habere de transitoriis : sed simpliciter et secure se Deo committere, qui avibus et vermibus, semper necessaria large subministrat. Et præcipue pullis corvorum, in nido præ fame vagientibus : quos antiquus corvus niger, propter albedinem, quasi filii sui non sint, famelicos derelinquit. Qui, vel ex largitate Dei, vel ex rore aeris pascuntur ; donec ipsis nigrescentibus, corvus succurrat : vel sciniphes et muscas deglutiunt, quæ spumæ rostrorum inhærent : cum famelici adhuc fortiter clamare non cessant.

E. Argumentum falsæ paupertatis vel avaritiæ est, libenter munera præter necessitatem petere : vel ea libenter et frequenter accipere. Talis libertatem suam vendit, juxta illud Philosophi : « Munera accipere, est libertatem vendere [2]. » Etiam dicit Scriptura : *Non accipies... munera, quia excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum* [3]. Quomodo enim paupertatis est amator, qui nullum defectum vult sustinere, et munera non necessaria libenter et frequenter accipit? Imo petit, et cum quadam subtilitate extorquet, et præter necessitatem conservat.

CAPUT VI.

De Castitate.

A. Castitas vera atque perfecta est, cum non solum corpus a pollutione carnali custoditur : imo etiam anima a concupiscentia carnali munda servatur [4]. Exemplo Saræ dicentis : *Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia* [4]. Imo et ab iis quæ præstant occasionem concupiscentiæ. Et hoc est, quod sequitur, ibidem, ℣. 17 : *Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui.*

[1] S. Bernardus, Serm. in Vigilia nativitatis Christi.

[2] Publius Mimus.

[3] Deuter. xvi, 19.

[4] Tob. iii, 16.

B. Ille vere castitatem amat, qui potius per castitatem virginalem (si possibile esset) modicam eligeret gratiam in præsenti, et gloriam in futuro propter conformitatem Christi Jesu : quam si mereri posset gratiam et gloriam majorem per debitum conjugale.

C. Ad amorem castitatis inducere nos debet exemplum Domini nostri Jesu Christi, matris ejus, et sanctarum virginum : quæ olim pro conservatione castitatis, regna mundi contempserunt, et vitam sponte perdiderunt. Sicut B. Agnes, Catharina, Agatha, et aliæ innumerabiles his similes. Et præcipue castitas mulierum ac virginum paganarum, de quibus scribit D. Hieronymus, quod mortem elegerunt, ut pudicitiam servarent [1]. Item, munditia et libertas, castitatem sequentes, inducere nos debent et invitare ad castitatem. Item, gloria castitati a Domino nostro Jesu Christo promissa : *Qui vicerit*, inquit, (scilicet carnis concupiscentiam) *dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* [2]. Nam *incorruptio facit esse proximum Deo* [3].

D. Conservant autem castitatem, et inductiva sunt ejusdem, victus parcitas, cultus vilitas, corporalis incommoditas : et fugere locum et tempus impudicitiæ opportunum. Quod si Dina, filia Jacob fecisset, capta non fuisset, quando venit ad festum, ut videret mulieres regionis illius [4].

Item, Vitare omnes suspectos. Debet autem cuilibet feminæ quilibet masculus esse suspectus. Ex hoc enim Thamar, filia David, a proprio fratre Amnon corrupta fuit : quia eum suspectum non habuit, quando ei soli tamquam infirmo ministravit [5]. Similiter unicuique viro suspecta esse debet quævis mulier, etiam sancta : secundum consilium D. Hieronymi dicentis : « Si castitatem servare volueris, feminam quamvis bene conversantem si videris, mente dilige, non præsentia corporali. »

Præcipuum autem conservativum castitatis, est delectari in Domino : tunc enim omnia alia vilescunt. « Gustato enim spiritu, desipit omnis caro [6]. » Unde D. Gregorius : « Qui enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima numquam potest : nam aut infimis delectatur, aut summis. Et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima. Quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto tempore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul et æqualiter amari non possunt. »

E. Argumentum veræ castitatis est refrænatio quinque sensuum ab illecebris carnis : et subtractio cordis a vanitatibus, cogitationibus, et delectationibus. Nam ex delectatione visus in videndo, gustus in gustando, odoratus in olfaciendo, tactus in tangendo, pedum in ambulando, oris in ridendo et loquendo, nasci solent carnalia desideria, quæ animam ad impudicitiam, aut emolliunt, aut inclinant.

F. Argumentum sive inductivum impudicitiæ, est intemperantia potus et cibi. Ex hoc enim Noe impudice nudatus fuit [7] : et Lot cum propriis filiabus incestum commisit [8]. Ideoque præcipit Apostolus, dicens : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* [9], scilicet per occasionem.

[1] Cf. S. Hieronymum, In epist. ad Demetriadem de servanda virginitate, et in epist. ad Geruntiam viduam de monogamia.
[2] Apocal. iii, 21.
[3] Sapient. vi, 20.
[4] Genes. xxxiv, 1 et seq.
[5] II Regum, xiii, 1 et seq.
[6] S. Bernardus.
[7] Genes. ix, 21.
[8] Genes. xix, 30 et seq.
[9] Ad Ephes. v, 18.

Item, Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius, teste D. Augustino. Similiter impudica verba, impudicus incessus, et colloquium mulierum, teste Ecclesiastico : *Propter speciem mulieris multi perierunt* : *et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit* [1]. Similiter colloquium viri mulierem inflammat. Item, diligens consideratio incessus et formæ alterius ad impudicitiam provocat. Quod dissuadet Ecclesiasticus, dicens : *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius* [2]. Idem cavendum fœminæ ad virum : ne de viro cogitet, et ad eum ne oculos habeat : et viri, ad fœminam similiter. Hoc salubre consilium sequebatur Job : *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* [3]. Quod plus est quam solum cavere a conventu virginum.

CAPUT VII.

De Abstinentia.

Abstinentia vera et perfecta est tantum usus necessariorum, victus et vestitus : et omnimoda subtractio delectabilium et superfluorum : eorum quæ multa diligentia fiunt, et magnis sumptibus comparantur. Exemplo S. Joannis Baptistæ, qui locustas comedit, et folia arborum lactearum, saporem mellis habentia : et aquam bibit, et vestem de pilis camelorum habuit [4]. Unde Apostolus : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* [5]. Quia servus Dei, non debet habere vestimentum ad decorem, vel ad delectationem, sed ad tegendum suam nuditatem : sicut dicit Glossa ordinaria in Matthæum, de veste Joannis.

B. Ille veram abstinentiam servat et amat, qui non solum libenter abstinet a delectabilibus, quæ non habet, et quæ ipsi sunt illicita : sed etiam vitat sponte et pure propter Deum delectabilia quæ habet, et quæ habere potest : quibus licite et meritorie uti posset : sive cara sint, sive vilia, sive delectabilia. Nam si quis plus delectaretur in pultibus quam in perdicibus, in aqua quam in vino, acceptior esset Deo a pultibus quam a perdicibus, ab aqua quam a vino abstinere. Dicit enim D. Augustinus : « Deliciæ quælibet, si absque desiderio sumantur, non officiunt : et cibi viles delectabiliter vel appetenter accepti, perfectæ abstinentiæ impediunt virtutem. David enim aquam male concupitam, effudit : quam non fuit ausus potare, quia eam maxime concupierat [6]. Elias carnem non concupitam, sed a Deo per corvum missam, comedit [7]. Hoc testatur Esau, qui non propter gallinam, sed propter lenticulam, irrecuperabilem

[1] Eccli. IX, 9.
[2] Ibid., ṽ. 5.
[3] Job, XXXI, 1.
[4] Cf. Matth. III, 4.
[5] I ad Timoth. VI, 8.
[6] Cf. II Regum, XXIII, 15 et seq., et I Paralip. XI, 17 et seq.
[7] Cf. III Regum, XVII, 6.

benedictionem amisit [1]. » Nec solum abstinendum est a delectabilibus corporis, sed etiam ab eis quæ delectant animam : scilicet a vanitatibus, a vanis colloquiis, a gaudio temporali, a peccato mortali, et ab amicitia carnali. Hæc abstinentia melior est, atque etiam laudabilior quam prima.

C. Inductiva veræ abstinentiæ sunt duo : unum, quod numquam cum debita gratitudine dona Dei percepimus : et numquam ad debitum finem, neque secundum ordinationem divinam, eis fruimur : et ex hoc gravem Dei iram incurrimus. Alterum est, quod de omnibus donis perceptis strictam rationem reddere debemus, quo scilicet fine ipsa sumpserimus : vel pro nostra necessitate, vel pro communi utilitate. A quibus autem quisque abstinet, de illis reddere rationem non oportet.

Duplex autem utilitas sequitur ab abstinentia, scilicet divinorum secretorum cognitio, et desideriorum exauditio. Quæ duo patent in Daniele : qui cum uti nollet cibo et potu regio, sed aqua cum leguminibus, cunctos magos et ariolos transcendit in cognitione visionum atque somniorum. Secundo, quia ad preces ejus, septem anni, quibus Nabuchodonosor vivere debuit ut bestia, mutati sunt in septem menses. Idemque cum impetrasset a Deo regibus spiritum licentiandi populum, ut rediret in Jerusalem, impetravit et populo voluntatem redeundi, cum redire tardaret. Qui in multis desideriis suis et mysteriis exauditus fuit propter abstinentiam. Quod ipse testatur, dicens : *In diebus illis, ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum : sed neque unguento unctus sum* [2]. Et ideo Angelus dixit ei : *Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua* [3]. Tertium potest addi, quod ipsa abstinentia sit misericordiæ Dei impetratio. Ut patet in Ninivitis, qui per abstinentiam, misericordiam Dei impetraverunt Jona prædicante [4].

D. Mirari possumus, sed non imitari, abstinentiam sacerdotum antiquorum : de quibus scribit D. Hieronymus, quod a carnibus et vino abstinuerunt semper, propter tenuitatem sensus, et vertiginem capitis quam ex parvo cibo patiebantur : et maxime propter appetitum libidinis quæ ex his cibis, et ex hac potione nasci solet. Pane vero raro vescebantur, ne onerarent stomachum. Et si quando comedebant, tusum pariter hyssopum sumebant in cibo, ut escam illam graviorem hujus calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus noverant : verum et hoc parum, propter nauseam et asperitatem gustus tollendam. Quid loquar de volatilibus ? Cum ova propter carnes, et lac vitaverint : quorum unum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, solo colore mutato.

E. Argumentum veræ abstinentiæ est, cum non solum pretiosis et delicatis in sanitate quis uti respuit : sed etiam cum infirmitas vel alia necessitas cogit, cum dolore mentis percipit. Item, cum non solum a delicatis, pretiosis et superfluis abstinet : imo etiam necessaria sibi quandoque subtrahit, ut aliis indigentibus impartiri possit. Juxta illud D. Hieronymi : « Quod manducaturus eras si non jejunares, da pauperibus : ut jejunium corporis sit sanitas animæ, non autem marsupii lucrum, etc. »

F. Argumentum vero falsæ abstinentiæ, est vitare pretiosa et delicata tan-

[1] Cf. Genes. xxv, 29 et seq.
[2] Daniel. x, 2 et 3.
[3] Ibid. x, 12.
[4] Jonæ iii, 5 et seq.

tum eo tempore, quo non habentur. Vel propter vanam gloriam, ut laudetur : vel propter parcitatem, ne depauperetur : vel propter avaritiam, ut ditetur : vel ad cavendam corporis infirmitatem : vel ad vitandam infamiam et detractionem : vel ad consequendam aliquam dignitatem, aut transitoriam utilitatem : et non ad promerendam gratiam in præsenti, et gloriam in futuro.

CAPUT VIII.

De Prudentia.

A. Prudentia vera atque perfecta, est semper niti ad cognitionem divinæ naturæ, et profunditatem humanæ miseriæ. Quam quidem prudentiam optavit D. Augustinus dicens : « Deus semper idem, noverim me, noverim te [1]. »

B. Ille veram prudentiam habet, qui sollicite agnoscere laborat, quid sit optimum, et hoc toto nisu amplectitur : et quid sit pessimum, et hoc toto corde detestatur.

Ille vere prudens est, qui frequenter pensat, quid bonis, et quid malis futurum sit. Quanta delectatio sit bonis, uniri æternaliter summo bono : et quanta amaritudo malis, separari æternaliter a summo bono.

Ille vera prudentia fruitur, qui summopere fugit omne id quod elongat ad tempus a familiaritate Dei, scilicet peccatum veniale : et quod semper separat a fruitione Dei, scilicet peccatum mortale.

Similiter ille vera prudentia utitur, qui diligit omnia quæ approximant Deo : scilicet opera bona : et quæ æternaliter uniunt Deo, scilicet virtutes, et Spiritus sancti dona.

C. Inductivum veræ prudentiæ, est exemplum Philosophorum, qui tantum pro scientia laborabant, ut scribit D. Hieronymus, quod fugerent urbium atque hominum frequentias, hortulos suburbanos (ubi ager aquis irriguus, et arborum comæ et susurrus avium, oculorumve illecebræ), ne luxu et abundantia copiarum animi fortitudo mollesceret, et ejus prudentia constupraretur. Inutile quippe est crebro videre, per quæ aliquando captus sis : et eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Similiter et Pythagoræi in desertis locis habitare consueverunt. Et quosdam legimus sibi effodisse oculos, ne per eorum visum a contemplatione Philosophiæ avocarentur. Quod si quis æstimat abundantia ciborum potionumque se frui, et posse vacare sapientiæ, hoc est, in deliciis versari, et deliciarum vitiis non implicari, nec teneri, seipsum decipit. Sensus enim noster illud cogitat quod videt, audit, odorat, gustat, et attrectat : et ad id trahitur appetitus, cujus capitur voluptate. Quanto magis nos, qui divinæ sapientiæ studere debemus.

Ad idem nos inducere debet multo-

[1] S. Augustinus, Lib. II Soliloquiorum, cap. 1.

rum damnatio ex imprudentia. Juxta illud Isaiæ : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam* [1]. Et Baruch : *Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam* [2].

D. Officium prudentiæ est ordinare cogitationes cordis, ne extra Deum vagentur : affectiones mentis, ne circa creaturas occupentur : voluntates, ne a Deo avertantur : intentiones ne misceantur, sed purificentur : judicia et suspiciones, ut ad melius convertantur. Similiter omnia verba, facta, et incessus ordinare debet : ut ad debitum finem omnia fiant, pro communi utilitate, et omnium emendatione. Nam, teste Salomone, *sapientia hominis lucet in cultu ejus* [3], hoc est, in conversatione exteriori. Qui sic ordinatus est, habet argumentum veræ sapientiæ. Item, de hoc dicit D. Bernardus : « Quotidiana discussione examina vitam tuam. Attende diligenter quantum profeceris, quantum defeceris : qualis sis in moribus, qualis in affectibus : quam similis et dissimilis Deo. Stude diligentissime teipsum cognoscere : quia multo melior es, si teipsum cognoveris : quam si te neglecto, cursus siderum et vires herbarum cognoveris. »

E. Argumentum falsæ prudentiæ est, niti cognoscere cursus siderum, vires herbarum, virtutes gemmarum tantum propter lucrum. Talis enim scientia non ædificat, sed inflat.

Item, Astutum esse in negotiis sæcularibus, falsam indicat prudentiam : imo stulta est, teste Apostolo, qui ait : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* [4]. Tales, heu ! multi sunt : ideo conqueritur Dominus Jesus, dicens : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* [5].

Item, Alii subtiles sunt ad excogitandum nequitias et novas adinventiones : sed cæci sunt ad considerandum voluntatem Dei. De talibus dicit Jeremias : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt* [6]. Tales, ut dicit Apostolus, *dicentes* (et credentes) *se esse sapientes, stulti facti sunt* [7].

CAPUT IX.

De Fortitudine

A. Fortitudo vera atque perfecta est, dominari animo suo, cum tentatur animus a superbia, invidia, ira, luxuria, avaritia, vana gloria, complacentia, et delectatione carnali : et ratio intelligens nequaquam consentit, sed statim reprimit. Unde illud : *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* [8]. Hanc fortitudinem Samson fortissimus non habuit, licet leonem

[1] Isa. v, 13.
[2] Baruch, III, 28.
[3] Eccle. VIII, 1.
[4] I ad Corinth. III, 19.
[5] Luc. XVI, 8.
[6] Jerem. IV, 22.
[7] Ad Roman. I, 22.
[8] Proverb. XVI, 32.

dilaniaverit et cum mandibula asini, mille viros straverit. Quia post, propter concupiscentiam mulieris, omni fortitudine privatus est [1].

B. Ille veram fortitudinem habet, qui ab illicitis membra sua, sensusque suos reprimit. Illam David non habuit, qui ursum et leonem occidit, et Goliath interfecit : tamen oculos suos ab illicito visu non cohibuit [2]. Eia, quantæ sunt fortitudinis quidam ad jejunandum, vigilandum, castigandum corpora sua ciliciis et flagellis : nec tamen refrænare possunt pedes suos a vitiis noxiis : manus suas ab opere et tactu illicito : aures ab auditu nocivo : et præcipue linguam a verbis damnosis, beato Jacobo dicente : *Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum, domantur et domita sunt a natura humana : linguam autem nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero* [3], scilicet est lingua. Tamen sine hac refrænatione non est vera religio, sicut idem dicit : *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* [4].

C. Inductivum veræ fortitudinis, est degustatio spiritualis suavitatis. Hæc enim roborat mentem ad faciendum bona, ad tolerandum adversa, et ad vincendum vitia, omniaque nociva. Hanc præfiguravit Jonathas, qui gustans parum mellis, illuminatus et confortatus est ad persequendum inimicos [5]. Sic Moyses percipiens suavitatem mentis ex visione et collocutione divina, tantum confortatus est, ut per quadraginta dies corporali alimento non indigeret [6].

D. Officium fortitudinis, est firmare intellectum in cognitione Dei, et affectum in dilectione Dei et proximi : roborare mentem inter adversa, ne terreatur : et inter prospera, ne mulceatur. Item, mentem animare, ut semper exerceatur in bonis : confortare ipsam, ne umquam vincatur in malis. Primam fortitudinem Paulus habuit, et Stephanus. Secundam Mathathias et Eleazarus, Job et Daniel. Tertiam, Tobias. Qui hoc in se sentit, de argumento veræ fortitudinis securus est.

E. Argumentum fortitudinis falsæ, imo pessimæ, est multa et magna peccata contra Deum committere. De hac D. Anselmus : « Peccare non est libertas, nec pars libertatis. Peccare est potius non posse, quam posse. Quicumque enim hoc potest quod sibi non expedit, quanto magis hoc potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum [7]. » Unde Isaias : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem* [8]. Hanc fortitudinem habuerunt olim persecutores Ecclesiæ, reges et principes : et hodie habent, et habebunt in posterum Antichristus et socii ejus.

[1] Cf. Judicum, XIV, XV et XVI.
[2] Cf. I Regum, XVII, et II Regum XI, 2 et seq.
[3] Jacobi, III, 7 et 8.
[4] Ibid., I, 26.
[5] I Regum, XIV, 27.
[6] Exod. XXIV, 18.
[7] S. ANSELMUS, In dialogo de libero arbitrio, cap. 1.
[8] Isa. V, 9.

CAPUT X.

De Justitia.

A. Justitia vera et perfecta ad Deum, est redditio debitæ laudis in omnibus divinæ naturæ : debitæ gratiarum actionis pro omnibus bonis et donis collatis, et malis perpessis : debitæ satisfactionis pro omnibus commissis et omissis : debiti fervidi doloris pro omnibus gratiis neglectis.

B. Ille veram habet justitiam ad Deum, qui Deo fidelis est, semper et ubique, in omnibus præceptis et votis servandis. Qui tantam diligentiam singulis operibus suis et temporibus apponit, quasi tota salus sua in unoquoque dependeat. Et qui pure propter Deum omnia opera sua bona facit, non propter aliquem favorem vel utilitatem præsentis vitæ vel futuræ. Et qui cum debita gratitudine singula dona percipit, et eis secundum ordinationem Dei fruitur semper et ubique.

C. Vera justitia ad proximum est in duobus. Numquam facere proximo quod sibi juste non vult fieri : hoc est, numquam lædere vel offendere proximum verbo, vel facto, vel signo, vel consilio : in rebus, in corpore, et honore : numquam de ipso malum suspicari : numquam ipsi detrahere : numquam bonum ipsius pervertere vel diminuere : numquam eum in bono impedire. Hæc enim nemo secundum justitiam sibi vult fieri.

Item, Proximo suo facere quod sibi juste vellet fieri : hoc est, proximum honorare : bonum de ipso sentire : omnia facta illius, etiam mala, in bonum convertere : semper in bono ejus congaudere, et in malo condolere : innocentiam ipsius semper excusare, et ipsum absentem propugnare. Hæc enim secundum justitiam quisque sibi vult fieri. Et dicitur, *secundum justitiam*, quia judex pro fure nolet suspendi, et tamen furem debet suspendere : quia illud nolle est secundum justitiam. Et prædo libenter vellet spoliari, ut sibi liceret spoliare, quod tamen facere non debet : quia illud velle non est secundum justitiam.

Item, Justitiam veram ad mortuos servat qui testamenta secundum ordinationem ipsorum expedire non tardat. Qui jejuniis, orationibus, et eleemosynis, secundum eorum confidentiam, pœnas ipsorum pro posse suo alleviat et abbreviat. D. Bernardus : « Pœnæ illorum qui sunt in purgatorio, per jejunia, orationes, et eleemosynas abbreviantur [1]. »

Item, Justitiam ad angelos servat, qui salutaribus eorum consiliis acquiescens, gloriam ipsis ex hoc debitam non retardat, quam pro impenso nobis obsequio promerentur.

D. Inductivum veræ justitiæ est, quod dicit David : *Justus Dominus, et justitias dilexit* [2]. Idem, justo promittitur in præsenti spes et lætitia, secundum illud : *Lætabitur justus in Domino, et sperabit*

[1] S. Bernardus, Serm. [illegible] in Cantica.

[2] Psal. x, 8.

in eo [1]. Item, justis indicitur exsultatio et laudatio, secundum illud : *Exsultate, justi, in Domino, rectos decet collaudatio* [2]. Item, quia justis prædicitur securitas in judicio, secundum illud : *Stabunt justi in magna constantia* [3]. Item, justis fit æternæ vitæ promissio, secundum illud : *Justi in perpetuum vivent* [4]. Et quidquid boni Deus in Scriptura pollicetur, hoc maxime per justitiam acquiritur.

E. Officium veræ justitiæ est rectificare cognitiones et affectiones, ut semper in Deo sint : voluntatem, ut conformis sit divinæ voluntati : intentiones, ut semper in Deo sint, et ad laudem ejus cuncta referamus. Similiter omnia verba et facta dirigere, ut semper ad aliquem specialem et rectum finem fiant. Et in his est argumentum veræ justitiæ.

F. Argumentum vero injustitiæ, est usurpare sibi quæ proprie Dei sunt : scilicet amorem, laudem, honorem, vindictam. Vel quæ proximi sunt, et proximo debentur. O Deus meus, *gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia* [5] !

CAPUT XI.

De Temperantia.

A. Temperantia vera et perfecta est justa moderatio motuum exteriorum, et exteriorum operum.

B. Ille veram temperantiam habet, qui non solum moderatur cor suum a pravis cogitationibus et inutilibus : sed etiam servat modum in bonis, ne sæpius vel diutius cogitationes bonæ inhæreant, quam justum tempus requirat. Quia officiales cogitationes licet utiles sint, tamen non sunt tractandæ infra divinum officium. Secundum quod dicit D. Bernardus : « Spiritus sanctus illa hora non recipit, quidquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Cujus semper facere voluntatem, ad ejus voluntatem, ipso inspirante possumus [6].

Similiter vere temperatus moderatur suas affectiones et passiones, quando aliquid vel nihil sperare debet vel timere, et quantum, et quamdiu. De quo aliquid vel nihil gaudere debat vel dolere, et quantum et quamdiu. De quo amorem vel odium vel pudorem habere vel non habere debeat, et quantum, et quamdiu.

Similiter moderatur intellectum, ne ampliori tempore quam oportet, se occupet circa aliquid intelligendum.

Similiter moderatur voluntatem, qualis et quanta esse debeat. Et intentionem, qualis et quanta esse debeat, et ad quem finem. Similiter liberum arbitrium ponderat, quantum eligere bonum debeat, et quantum reprobare malum.

Similiter vera temperantia moderatur linguam : quando scilicet loquendum,

[1] Psal. LXIII, 11.
[2] Psal. XXXII, 1.
[3] Sapient. v, 1.
[4] Ibid., v, 16.
[5] Psal. CXVIII, 133.
[6] S. BERNARDUS, Serm. 4, in Cantic.

quando tacendum, et quamdiu, hoc est, tempore opportuno. Cui loquendum, scilicet hominibus non suspectis. Quando loquendum, et ubi : scilicet tempore et loco non suspecto. Qualiter loquendum, et quantum : scilicet mature, cum pondere, numero, et mensura. Propter quid loquendum, scilicet propter necessitatem vel utilitatem. Pro quibus negotiis, scilicet animæ et corporis. Similiter moderatur facta et mores, et motum omnium membrorum : ut secundum Apostolum, *omnia honeste et secundum ordinem fiant* [1], scilicet in vobis.

C. Ad veram temperantiam nos inducere debet sapientissima ordinatio divina, quæ omnia disposuit in mensura, numero, et pondere [2]. Secundum hanc ordinationem, omnis actio nostra, mores et vita nostra, debent esse mensurata, numerata, et ponderata : hoc est, in virtute Patris, cui mensura : in virtute Filii, cui numerus : in virtute Spiritus sancti, cui pondus adscribitur.

Ad idem nos inducere debet exemplum temperantiæ Apostoli dicentis : *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus et Ecclesiæ Dei : sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* [3].

Ille vere temperatus fuit, qui nullum offendit, et omnibus placere studuit.

D. Argumentum veræ temperantiæ habet, qui se moderatur in victu, vestitu, somno, in omni commodo carnali, et in lætitia temporali : nullam superfluitatem neque inordinatam dilectionem, sed puram necessitatem in omnibus his admittens.

Vere temperatus in omnibus modum servare nititur, præterquam in amore et laude Dei, et gratiarum actione. Nam *magnus Dominus, et laudabilis nimis* [4]. Ideoque sine modo, sine mensura, sine fine amandus et laudandus est.

E. Argumentum intemperantiæ est, cum aliquis distortos habens mores, omnes secum commorantes disturbat et inquietat. In nullo cuiquam se conformat : sed quod sibi placet, hoc approbat, et hoc perficere contendit. Omnibus importabilis, sibiipsi intolerabilis. Unde D. Augustinus : « Jussisti, Domine, et ita factum est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus [5]. » At quanto magis aliis. Talis fuit Ismael, de quo scriptum est : *Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum* [6].

CAPUT XII.

De Compassione

A. Compassio vera et perfecta ad Deum, est tristitia incessanter in corde vulnerari pro omnibus injuriis Deo illatis, et adhuc inferendis in se, et in amicis suis : quos

[1] I ad Corinth. xiv, 40.
[2] Sapient. xi, 21 : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.*
[3] I ad Corinth. x, 32 et 33.
[4] Psal. xlvii, 2 et cxliv, 3.
[5] S. Augustinus, Lib. I Confessionum, cap. [illegible]
[6] Genes. xvi, 12.

qui tangit, quasi qui tangit pupillam oculi sui [1]. Omnia enim elementa compassa fuerunt Christo in cruce morienti [2].

B. Ad proximum vera compassio, est condolere medullitus afflictionibus proximorum, tam spiritualibus quam corporalibus. Exemplo Apostoli dicentis : *Quis infirmatur, et ego non infirmor* [3]?

Ubi dicit Glossa : *Quis infirmatur* vel in fide, vel in aliqua virtute : *et ego non infirmor?* id est, non condoleo de eo, sicut de me ipso? *Quis scandalizatur* de aliqua molestia : *et ego non uror* igne compassionis?

Ad proximos autem qui sunt in purgatorio, vera compassio est vehementer affligi pro acerbitate pœnarum quas sustinent. Et præcipue quod a visione et fruitione Dei interim separantur : et Deus interim plenarie ab ipsis non laudatur. Et in illa afflictione et compassione, incessanter et ardenter Deo supplicare, ut eos a tanta acerbitate et asperitate dignetur eripere.

C. Ad veram compassionem inducere nos debet abundantissima Christi compassio ad nos. Qui, teste D. Augustino, sic festinat absolvere peccatorem a tormento conscientiæ suæ, quasi plus eum cruciaret compassio miseri, quam ipsum compassio sui. Nec solum compassus est, imo *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* [4]. Hoc idem membrorum natura suadet, teste Apostolo : *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* [5].

Item, Duplex est utilitas compassionis, quæ etiam nos allicere debet ad compassionem : scilicet charitatis confirmatio, et Christi conregnatio. De prima dicitur in Ecclesiastico : *Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis* [6]. De secunda autem dicit Apostolus : *Si sustinebimus, et conregnabimus* [7]. Rara est virtus compassionis, conquerente Domino : *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni* [8].

D. Argumentum veræ compassionis est, non solum condolere amicis, verum etiam inimicis. Sic Joseph super singulos fratres suos flevit, qui eum pro triginta denariis vendiderant [9]. Et David planxit planctu magno super mortem Saul, qui eum sæpe occidere proposuerat : imo doceri fecit filios Israel carmen planctus super mortem ejusdem [10]. Sic mortuo Absalon, qui eum exstirpare voluit de regno, cooperto capite lugebat eum, dicens : *Fili mi Absalom! Absalom fili mi! Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi! fili mi Absalom* [11]! Et similiter Job : *Flebam*, inquit, *quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi* [12].

E. Argumentum falsæ compassionis est, cum aliquis verba compassionis profert, et vultum compassionis exhibet : et tamen de afflictione proximi gaudet in corde suo. Vel, afflictionem proximi, cum posset, non alleviat. Vel, affligentes, quando potest, non compescit : sed potius alios ad affligendum, signo, verbo, vel facto provocat et confortat.

[1] Cf. Zachar. II, 8.
[2] Cf. Matth. XXVII, 51 et seq.
[3] II ad Corinth. XI, 29.
[4] Isa. LIII, 4.
[5] I ad Corinth. XII, 26.
[6] Eccli. VII, 38 et 39.
[7] II ad Timoth. II, 12.
[8] Psal. LXIII, 21.
[9] Cf. Genes. XLV et XXXVII.
[10] II Regum, I, 17 et seq.
[11] II Regum, XVIII, 33.
[12] Job, XXX, 25.

CAPUT XIII.

De Pace

A. Pax vera ad Deum est, cum quinque sensus, et membrorum omnium usus, et omnia interiora et exteriora opera, ad nutum rationis disponuntur : cumque omnes cogitationes, affectiones, voluntates, intentiones, et omnia exteriora, secundum ordinationem rationis fiunt : et illa ratio secundum voluntatem Dei penitus ordinatur. Quotiescumque vero sine consensu rationis bene dispositæ quidquam agitur, statim pax pectoris perturbatur.

B. Ille veram pacem cum Deo habet, ut dicit Glossa super illud : *Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum*[1] : « Qui adversus mandata Dei contraria voluntate non litigat : qui sequitur jussa Domini, et ad præceptum divinum suum flectit arbitrium. Pax enim vera est, concordare cum probis moribus, et litigare cum vitiis. »

Ille veram pacem cum proximo habet, qui toto nisu cavet ne quemquam ex proposito, quacumque occasione perturbet. Qui enim ex deliberatione aliquem perturbat, sine perturbatione nullatenus aliqua hora esse potest. Aut enim turbatus, si potest, se vindicat : aut si vindicare non potest, dissimulat. Ex perturbatione tamen facta, stimulum et remorsum conscientiæ semper secum portat.

Ille veram pacem quærit, qui continue seipsum tantum considerat : et unumquemque proprio relinquens judicio, omnibus postpositis curis transitoriis et temporalibus, in sola Dei contemplatione quiescit. Ibi enim solummodo pax vera invenitur, teste Augustino dicente : « Fecisti nos ad te, Domine, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te[2]. »

C. Ad amorem veræ pacis inducere nos debet duplex utilitas : scilicet suavitas, et quies mentis quæ pacem sequitur. Quæ suavitas est quasi pars et initium quietis et suavitatis æternæ. Vel, quia æternam et continuam habitationem Deo præparat in anima : qui propter nimiam mansuetudinem suam, tantum in corde quieto locum habet et requiescit, ipso teste : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam*[3]. Et iterum Psalmista : *Factus est in pace locus ejus*[4]. Quod etiam testatur Apostolus, dicens : *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum*[5].

Veram pacem conservat, quod dicit D. Hieronymus super epistolam ad Ephesios : « Si bona nostra invicem diligamus ; si peccata quæ sine tritici damno, aut cum spe salutis corrigendorum eradicari non possunt, usque ad messem ultimam toleramus ; si etiam

[1] Ad Roman. v, 1.
[2] S. August., Lib. I Confessionum, cap. 1.
[3] Psal. iv, 9.
[4] Psal. lxxv, 3.
[5] II ad Corinth. xiii, 11.

perfectionis opera, quæ fieri et non fieri licet, ne infirmi scandalizentur, non facere disponamus.

D. Argumentum veræ pacis habet, qui omnem locum, et omnes homines, et omnes actiones vitat, ex quibus probabiliter turbatio sequi potest.

Item, Argumentum certissimum veræ pacis habet, qui præcepta Dei et vota semper et ubique tenet, teste Psalmista : *Pax multa diligentibus legem tuam* [1]. Argumentum verissimæ pacis est, quando ratio in omnibus spiritui subjugatur.

E. Argumentum falsæ pacis habet, qui non evellit omnes radices turbationis, quæ semper pullulare solent. Hæ sunt propria voluntas, animi libertas, morum singularitas, appetitus placentiæ : de quibus alibi scriptum est.

Item, Non est pax vera, quæ ex propria virtute non habetur, sed ex gratia aliorum. Verbi gratia : Sunt quidam qui firmam pacem habent, interim quod nihil contrarietatis sentiunt : sed quidquid placet, hoc in omnibus inveniunt. Cum vero aliquid sit quod ipsi non excogitant, vel quod eis minus placet, evenit, statim pacem cordis amittunt. Tunc non est virtus pacis in eis, sed potius in extraneis. Ideoque illam pacem auferunt extranei quando volunt. Sed qui veram pacem desiderant, non debent advertere qui alii faciant vel loquantur, sive adulentur, sive detrahant : sed semper quæ pacis sunt cogitent : et sic virtus pacis in ipsis veraciter et finaliter permanebit.

CAPUT XIV.

De Misericordia.

A. Misericordia vera consistit in tribus : in dando, in condonando, et in supererogando.

B. Vere misericors, quamdiu aliquid habet, indigentibus necessaria subministrat : quod si non faceret, veram misericordiam non compleret, teste Chrysostomo : « At, inquit, semel dedisti, non est hæc eleemosyna. Nisi enim quousque habes, indigenti subveneris, umquam debitum impleveris. Nam et virgines (scilicet fatuæ) habentes lampades habebant oleum, sed non ad sufficientiam [2]. » Hanc misericordiam habuit Job, cum dixit : *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci : si comedi bucellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea : quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum* [3]. Et paulo post : *Foris non mansit peregrinus : ostium meum viatori patuit* [4].

Sed qui substantiam dat, et injurias non condonat, nullam misericordiam facit, ut dicit D. Gregorius. Ideo vere

[1] Psal. CXVIII, 165.
[2]. S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, Homil. 76 in Joan.
[3] Job, XXXI, 16 et seq.
[4] Ibid., v. 32.

misericors, sponte antequam rogatur, omnem injuriam ex corde remittit : numquam vindicaturus, nec per se, nec per alium. Imo vere misericors paratior est ad remittendum, quam sit injurians ad petendum. Nam vere misericors plus dolet de peccato injuriantis, quam de afflictione propria, quam ab injuriante suffert. Sic Semei maledicenti, et lapides contra se mittenti, David ex corde dimisit, etiam non petenti. Et ne per inimicos suos occideretur, prohibuit dicens : *Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*[1]. Sic etiam Joseph pepercit fratribus suis, antequam peterent, flendo super singulos[2].

Nec hoc sufficit vere misericordi, nisi etiam injuriantibus, suis precibus a Deo veniam obtineat. Sic Moyses Judæis ipsum lapidare volentibus, gratiam impetravit, dicens : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*[3]. Sic Stephanus lapidantibus[4] : sic Dominus Jesus crucifixoribus suis veniam et gratiam obtinuit[5]. Cum uterque dixerit : *Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*[6]. Ubi valde injuriantes excusantur, quasi dicerent : Non habent sensum, non enim sciunt quid faciunt : ideoque ipsis merito non est imputandum, sed clementer parcendum.

C. Ad amorem veræ misericordiæ inducere nos debet, quod Deus in sua natura summe est misericors : et in aliis misericordiam diligit supra modum : sicut ipse dixit : *Euntes autem discite quid est : Misericordiam volo et non sacrificium*[7].

Aliud inductivum misericordiæ est, quod misericors Deus immisericordes homines in judicio suo sine misericordia judicabit : teste Jacobo : *Judicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam*[8]. Et misericordes a Deo misericordiam copiose consequentur : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis*[9], id est, cum magna usura et lucro recipiet quidquid pauperibus elargitur.

D. Officium misericordiæ est, collocare singulos pro meritis suis apud Deum, juxta illud Ecclesiastici : *Omnis misericordia faciet locum unicuique, secundum meritum operum suorum*[10].

E. Argumentum veræ misericordiæ est, cum quis sibi subtrahit, quod salva vita, sibi subtrahere potest. Insuper et continue laborat, etiam supra vires, ut possit indigentibus amplius subvenire.

F. Argumentum falsæ misericordiæ est, cum quis necessitatem cujuslibet pro posse non sublevat : sed dicit indigentibus illud Jacobi : *Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit*[11] ? Unde D. Chrysostomus : « Opus est etiam de tuo non tam parcum esse. Sed cum Domini tibi creditæ sint facultates, cur tam tenax es ? »

Item. Cum injuriantibus remittit, cum se vindicare non potest. Vel cum injuriantibus remittit, non ex puro amore ; sed ob hoc quod scit Deum sibi non remittere, nisi primo remittat ipse. Aut cum voce tenus orat pro injuriantibus, tamen de eorum confusione interius gaudet.

[1] II Regum, xvi, 11 et 12.
[2] Genes. xlv, 14.
[3] Exod. xxxii, 31 et 32.
[4] Act. vii, 59.
[5] Luc. xxiii, 34.
[6] Ibid.
[7] Matth. ix, 13.
[8] Jacobi, ii, 13.
[9] Proverb. xix, 17.
[10] Eccli. xvi, 15.
[11] Jacobi, ii, 16.

CAPUT XV.

De Concordia.

A. Vera concordia ad Deum est, uniri voluntati divinæ in prosperis et adversis : et pro posse, divinis moribus et exemplis Jesu Christi conformari. Dicit enim D. Joannes episcopus, id est, Chrysostomus : « Nihil est dignius, quam ut homo sit auctoris sui imitator, et secundum modum propriæ facultatis divini operis sit executor [1]. » Hanc unionem petit nobis Dominus in penultimo vitæ suæ instanti, dicens : *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* [2].

Item, Vera concordia ad proximos est, cum omnibus, in omnibus, idem sapere, idem sentire in iis quæ sunt ad Deum. Sicut in primitiva Ecclesia : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* [3] : nempe quoad omnia quæ spectant ad Deum.

Item, Aliis conformari, in cibo, potu, somno, in moribus et operibus quæ non sunt contra Deum, nec contra professionem suam, nec contra perfectionem, ut plures lucrifaciamus. Sicut Apostolus de se dicit : *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem : omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* [4].

B. Ad amorem veræ concordiæ nos inducere debet, quod valde laudabilis est Deo, et valde placita concordia fratrum, sicut ipse dixit per Salomonem : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes* [5]. Nam miseri et fragiles homines hoc servant in terris, quod Angeli noluerunt servare in cœlis.

Ad idem nos invitare debet Jesu Christi diligentia, ad faciendum concordiam inter homines et Deum : et inter Apostolos, cum esset inter eos contentio, quis eorum videretur esse major [6] : et cum indignarentur Apostoli, scilicet de Jacobo et Joanne fratribus, eo quod ipsi volebant sedere ad dexteram et sinistram ejus [7]. In his omnibus Christus eos concordavit.

C. Argumentum veræ concordiæ ad Deum, est testimonium conscientiæ, non esse peccatis gravibus involutum hominem : sicut Apostolus habuit dicens : *Nihil mihi conscius sum* [8]. Et Job : *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea* [9]. Item, fervens desiderium proficiendi in omni vita, in omnibus bonis, secundum Dei ordinationem.

Argumentum veræ concordiæ ad proximum habet, qui ad omnes tam sancte se habet, ut nullus de ipso querelam moveat : nec etiam verbum malum de ipso loqui valeat. Utrumque argumentum habuerunt parentes Joannis Baptistæ : *Erant au-*

[1] S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, Homil. 38 in Matthæum, in opere imperfecto.
[2] Joan. XVII, 21.
[3] Act. IV, 32.
[4] I ad Corinth. IX, 22.
[5] Eccli. XXV, 1.
[6] Marc. IX, 33.
[7] Matth. XX. 20 et seq
[8] I ad Corinth. IV, 4.
[9] Job. XXVII, 6.

tem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini, quantum ad primum : *sine querela*[1], quantum ad secundum. Similiter argumentum de utroque habuit Judith, de qua scriptum est : *Erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum*[2].

D. Argumentum falsæ concordiæ inter Deum et hominem est, quando aliquis non sollicite investigat conscientiam suam. Et sic per erroneam conscientiam suam credit se placere Deo, cum in omnibus vere displiceat.

Aliud argumentum discordiæ inter Deum et hominem est, cum homini displicet divina ordinatio circa creaturas, et divini mores et exempla, ac sanctissima opera Jesu Christi. Unde scriptum est : « Displicet Deo, cum displicet Deus ».

Argumentum falsæ concordiæ ad proximum habet, cui bona opera, et sancti mores aliorum in corde, displicent, quæ tamen verbis quandoque commendat.

Argumentum autem discordiæ habet, qui sensum suum aliis præponit : et sensum aliorum semper post se trahere nititur seu disponit : et numquam aliorum sensui sensum suum coadunare proponit.

CAPUT XVI.

De Constantia.

A. Constantia vera et perfecta est, cum homo nec in prosperis, nec in adversis, a perfectione retrahi potest. Sicut Job, dicens : *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram*[3]. Nec minis, nec blanditiis, induci potest ad transgressionem votorum et divinorum præceptorum. Sicut septem fratres in libro Machabæorum, qui præcisis linguis, et abstracta cute capitis, et cæsis summitatibus manuum et pedum, in ollis æneis vivi torquebantur[4]. Et Eleazarus sub simulatione noluit illicitas carnes comedere, sed dixit se potius velle præmitti ad infernum[5].

B. Ille veram constantiam habet, qui nunquam in laude divina cessat, juxta illud Psalmistæ : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*[6], etc. Nec cessat a ferventi desiderio proficiendi. Nam teste Leone Papa : « Nemo nostrum tam perfectus est et sanctus, ut perfectior et sanctior esse non possit ». Idem : « Ibi incidunt deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerunt appetitum ».

C. Ad veram constantiam inducere nos debet constantia martyrum, et præcipue virginum quæ in sexu fragili, æternam gloriam per constantiam meruerunt.

[1] Luc. i, 6.
[2] Judith, viii, 8.
[3] Job, xxvii, 5 et 6.
[4] Cf. II Machab. vii, 1 et seq.
[5] Cf. Ibid., vi, 18 et seq.
[6] Psal. xxxiii, 2.

Sed amplius movere nos debet ad constantiam pertinacia Judæorum et hæreticorum, et perversorum hominum in malitiis suis temeritas : qui pro perfidia et pertinacia iniquitatum suarum, grave tormentum habent in conscientia sua in præsenti, et gravissimam pœnam animæ et corporis exspectant in futuro.

D. Argumentum veræ constantiæ est, cum aliquis, nec pro amissione corporis, neque rerum, cessat ab omnibus quæ Deo placent. Sicut Tobias a sepultura mortuorum non cessavit : pro quo rex Sennacherib omnia ei bona abstulit, et insuper occidi præcipit [1]. Sic Daniel ab oratione non cessavit [2]. Sic Apostoli post resurrectionem Christi, nec propter flagellationem, nec propter timorem mortis, a manifestatione nominis Christi cessaverunt, dicentes adversariis Petrus et Joannes, an Deo magis obedire oportet, vos ipsi judicate. *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate* [3]. Item, Petrus et Apostoli dixerunt ad illos : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* [4].

E. Argumentum inconstantiæ est, cum aliquis propter favorem hominum, vel lucrum aliquod obtinendum, recedit a via justitiæ. Sicut Balaam, qui propter munera et amicitiam Balac, contra præceptum Domini voluit maledicere populo Israël [5]. Vel, propter timorem rerum temporalium, sicut ille dives recessit tristis a Domini Jesu, cum suaderet ei perfectionem : *Erat enim habens multas possessiones* [6] et divitias, quas dilexit. Vel, propter timorem corporis, sicut Apostoli a Domino suo dilecto Jesu Christo omnes fugerunt [7]. Mathathias vero, contemnens honorem exibitum a nuntiis regis Antiochi, et munera promissa, relictis omnibus fugit in montes, ut legem Domini conservaret [8]. Item, nec appetitus amicitiæ, nec timor rerum temporalium, retraxit eum a via justitiæ. Similiter nec mors corporis retraxit B. Stephanum a via justa : sed intendens in cœlum, inter pressuras lapidum, fixus permansit in Christo [9]. Similiter et Paulus, qui dixit : *Ego autem non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu* [10].

CAPUT XVII.

De Largitate.

A. Largitas vera et perfecta est, cum aliquis omnibus indigentibus res temporales pro posse suo hilariter ministrat. Imo etiam omnibus indigentibus bona spiritualia requisitus libenter communicat, videlicet in confessionibus,

[1] Cf. Tob. I et II.
[2] Cf. Daniel. VI, 10 et seq.
[3] Act. IV, 19.
[4] Ibid., V, 29.
[5] Cf. Numer. XXII, 17 et 18.
[6] Matth. XIX, 22.
[7] Matth. XXVI, 56.
[8] I Machab. II, 28.
[9] Act. VII, 55.
[10] Act. XXI, 13.

prædicationibus, consiliis et doctrinis. Nec solum desiderantibus hujusmodi paratus est : imo etiam non desiderantibus, et non curantibus doctrinam et prædicationem, secundum consilium Apostoli, opportune et importune participat[1] : imo et invitis et ignorantibus, orationes, gemitus, ac fletus coram Deo communicat. Nec hoc sufficit vere largo, nisi etiam se totum evisceret in studio, in meditationibus, et in sanctis operibus continue pro salute proximorum.

B. Ad hanc largitatem inducere nos debet appetitus conformitatis Dei, qui tam continue dat sua dona temporalia et spiritualia omnibus, etiam non petentibus, et super omnia hæc carnem et sanguinem dilectissimi filii sui Jesu Christi. Nec sufficit ei dona sua dare simpliciter, nisi etiam seipsum sine mensura det in singulis donis.

Commendat largitatem suam, quod nulli neget sua dona, quantumcumque sibi adversetur. Imo pluries in die et in nocte dona sua cuilibet elargitur, quantumcumque a quoquam offendatur.

Approbat in hoc largitatem suam, quod quandocumque invenit opportunitatem aliquam in recipiente, statim ab effluxione spiritualium donorum nequaquam se potest continere. Licet ex sapientia divina prænoscat, quod recipiens illa dona in proximo debeat amittere, vel ea continuo deturpare, vel ipsum per eadem impugnare.

Ad idem inducere nos debet, quod aliena sunt quæ damus. Et proverbium est, quod latæ corrigiæ scinduntur ex pellibus alienis. Unde D. Chrysostomus : « Opus est enim etiam de tuo non tam parcum esse : sed cum Domini tibi creditæ sint facultates, cur tam tenax es ? »[2]

C. Argumentum veræ largitatis est, cum aliquis dat sua indigentibus hilariter, sine meritis alicujus, gratis et sine spe recompensationis. Sic dedit Dominus Jesus et se et sua omnia : et hoc maximæ perfectionis est. Nec sufficit vere largo sua dare, imo etiam pro salute proximorum, tempore necessitatis usque ad mortem exhibet semetipsum, sicut docet B. Joannes, dicens : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit : et nos debemus pro fratribus animas ponere*[3].

Ad hoc tamen magis obligantur Prælati. Hanc largitatem habuit Apostolus, dicens : *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris*[4]. Idem quoque ait alibi : *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres*[5], id est, pericula mortis sustineo. Vere largus sine spe recompensationis dat Domino totum quod est, quod habet, et quod potest, ad æternam divinæ laudis augmentationem : singulis Angelis et sanctis ad perpetuam exsultationem, singulis peccatoribus ad conversionem, singulis justis et perfectis ad perfectionis conservationem et confirmationem, singulis purgandis ad pœnarum mitigationem et abbreviationem.

D. Argumentum falsæ largitatis est, cum aliquis dat sua, ut laudetur ab aliis : ne aliis dantibus vilior reputetur, vel ut a clamore pauperum liberetur : et tunc rem et meritum perdit.

Item, false largus est qui dat sua propter coactionem, vel aliquem favorem : vel propter spem gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro : vel propter timorem Judicis qui dare præcepit, cujus præcepti transgressionem non transiret impune.

[1] II ad Timoth. iv, 2.
[2] S. Joan. Chrysostom. Homil. 10 in Joannem.
[3] I Joannis, iii, 16.
[4] II ad Corinth. xii, 15.
[5] I ad Corinth. xv, 31.

CAPUT XVIII.

De Veritate.

A. Veritas justa est, quando vere concordant mens, lingua, et opera: ut quod sentit quis in corde, hoc profert ore, et perficit opere. Exemplo Apostoli invitantis: *Imitatores mei estote, fratres, et observate eos* (id est, imitamini eos) *qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram* [1]. Glossa: Id est, sicut ego credo, doceo et vivo.

B. Ille verax est, qui Deo et omnibus hominibus immutabiliter omnia vota servat: et omnia verba sua semel dicta opere complet, nisi ea quandoque salubri consilio mutet. Juxta illud Isidori: « In malis promissis rescinde fidem: et in turpi voto muta decretum [2]. » Sic Dominus quandoque sententiam propriam permutavit, ut patet in Ezechia, et Ninivitis. Nam Ezechiam moriturum per Isaïam prædixit, et tamen quindecim annos ei post fletum adjecit [3]. Et Ninivem infra quadraginta dies subvertendam per Jonam prædicavit, quam propter humiliationem regis et populi stare permisit [4].

C. Ad amorem veritatis inducere nos debet, quod Christus est veritas [5]: et quia veritas semper in se amabilis est. Et licet aliquibus quandoque gravis sit veritas, et intolerabilis, non est hoc ex parte veritatis, sed ex parte pravæ voluntatis eorum, quam libenter implerent, si veritatem contrariam non haberent. Castis et humilibus amabilis est veritas, quæ commendat castitatem et humilitatem, et detestatur impudicitiam et superbiam: quia nimis contraria est impudicis et superbis qui se in oppositis firmaverunt.

Item, Quia veritas omnia vincit, sicut probatum est in Esdra [6]. Et quia veritas immutabilis est, sicut Dominus Jesus dicit: *Facilius est cœlum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere* [7]. Et apud Matthæum: *Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant* [8].

D. Argumentum veritatis est, cum quis nec pro favore alicujus, nec pro utilitate propria, nec pro amissione rerum vel corporis, veritatem relinquit: nec dissimulat, nec palliat in aliis: nec umquam ex proposito aliquod falsum dicit, nec dicere proponit: nec verba sua semel dicta, nisi propter causam necessariam, permutat. Exemplo Balaam dicentis: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini mei, ut vel*

[1] Ad Philip. III, 17.

[2] S. Isidorus, Lib. II de Synonymis, cap. de mendacio. Habetur et in Decretis, Causa 22, Quæst. 4, cap. In malis.

[3] Cf. Isa. XXXVIII, 1 et seq.

[4] Cf. Jonæ, III, 1 et seq.

[5] Joan. XIV, 6: *Ego sum via, et veritas, et vita.*

[6] Cf. III Esdræ, III, 11.

[7] Luc. XVI, 17.

[8] Matth. V, 18.

plus, vel minus loquar [1]. Et similiter exemplo Jeremiæ, Michææ, Danielis, et aliorum Prophetarum, qui nulla causa vinci poterant, ut a veritate, verbis vel factis, aliquatenus deviarent.

E. Argumentum falsitatis est, unum habere in ore, et aliud in corde : et verba sua ex facili, sine causa utili et necessaria, permutare. « Non solum ille proditor est veritatis, ut dicit D. Chrysostomus, qui transgrediens veritatem palam mendacium pro veritate loquitur : sed etiam ille qui non libere pronuntiat veritatem, quam libere pronuntiare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere oportet, proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem quam audivit a Deo, libere prædicet, sic laicus debitor est, ut veritatem quam audivit quidem a sacerdotibus probatam in Scripturis, defendat fideliter. Quod si non fecerit, proditor est veritatis [2]. »

CAPUT XIX.

De Mansuetudine

A. Mansuetudo vera sive benignitas est, cum propter illatas injurias mens nequaquam exacerbatur, nec amaritudo cordis exterius indicatur : sed est *sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* [3]. Exemplo Jesu Christi, de quo Isaias : *Et non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* [4].

Unde dicit Glossa super Matthæum : « Mitis est, quem asperitas mentis seu amaritudo non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem injustitiam patiendam instruit. Mitis est, quem nec rancor, nec ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet. Hujus virtutis magnæ quasi magistrum se fecit Dominus : quod non fecisset, nisi una summæ perfectionis hæc virtus esset. *Discite*, inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde* [5]. Mansuetus non irritatur : non nocet, nec nocere cogitat. Mitis est, qui malis moribus dominatur. » Hæc omnia dicit Glossa ibidem.

B. Ad amorem mansuetudinis inducere nos debet beatitudo promissa ex persona Christi dicentis : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* [6]. D. Augustinus : « Illam credo terram, de qua in Psalmo dicitur : *Tu es spes mea, portio mea in terra viventium* [7]. Et paulo post : *Beati autem mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, de qua pelli non possunt [8]. » De hac terra Psalmista : *Mansueti autem*

[1] Numer. xxii, 18.
[2] S. Joannes Chrysostomus, Homil. [illegible] in Matthæum, in opere imperfecto.
[3] Psal. xxxvii, 15.
[4] Isa. liii, 7.
[5] Matth. xi, 29.
[6] Ibid., v, 4.
[7] Psal. cxli, 6.
[8] S. Augustinus, Lib. I de Serm. Domini in monte.

hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis [1]. Item, Proverb. III, 34: *Mansuetis dabit gratiam*, et gloriam: nempe Deus. Proinde, *Audiant mansueti, et lætentur* [2].

C. Argumentum veræ mansuetudinis est, cum mens in afflictione non murmurat, nec mordentes verbis remordet: sic nec in facie aliquam amaritudinem demonstrat, sed quietum animum ad inhabitandum Deum semper reservat.

D. Argumentum falsæ mansuetudinis est, cum homo verba mollia et mansueta profert, faciem mansuetam exhibet, et tamen gravem amaritudinem in animo portat.

CAPUT XX.

De Fide.

A. Fides vera est credere Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse verum Deum: et quod in his tribus personis est una indivisibilis Deitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Quilibet eorum est increatus, immensus, æternus, summe bonus, sapiens, omnipotens, Deus et Dominus. Nec tres sunt increati, immensi, æterni, boni, sapientes, omnipotentes, aut tres Dii, aut tres Domini: sed unus est increatus, immensus, æternus, bonus, sapiens, omnipotens, unus Deus et Dominus. Et in his tribus personis nullus est prior aut posterior, quia coæterni sunt: nec aliquis minor est aut major, quia sunt per omnia et in omnibus æquales. Differunt tamen in proprietatibus, quia Pater est ingenitus, a nullo habens originem: Filius vero a Patre est genitus, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero: Spiritus sanctus nec creatus est, nec genitus, sed æqualiter ab utroque procedens.

Item, Vera fides jubet credere, quod Dominus noster Jesus Christus est verus Deus, et verus homo: æternaliter de Patre natus secundum deitatem, temporaliter autem de matre natus secundum humanitatem, et per omnia æqualis Patri secundum divinitatem. Qui assumpsit animam de nihilo, et carnem de purissimo sanguine beatæ Virginis Mariæ. Impassibilis et immortalis secundum divinitatem, passibilis et mortalis secundum humanitatem.

Item, Veram fidem habens credit omnes articulos fidei firmiter et indubitanter, septem pertinentes ad divinitatem, septem vero ad humanitatem Jesu Christi.

B. Ad fidem veram inducere nos debet fides antiquorum fidelium, scilicet Abraham, Isaac, et Jacob, Moysis et similium. Item, infidelium et gentilium, scilicet Job, Rahab meretricis, et similium. Per hanc placuerunt omnes antiqui Deo. Et, *Sine fide impossibile est placere Deo*, sicut dicit Apostolus [3].

Ad idem inducere nos debet duplex utilitas fidei. Nam vera fides omnia potest,

[1] Psal. XXXVI, 11.
[2] Psal. XXXIII, 3.
[3] Ad Hebr. XI, 6.

omnia impetrat. Teste Domino nostro Jesu Christo, qui ait : *Omnia possibilia sunt credenti*[1]. Et : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis*[2]. Et, *Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei*[3]. Sicut montes Caspii, petente Alexandro, adunati sunt[4].

C. Argumentum veræ fidei est frequens exercitatio in bonis operibus. Nam sicut corpus mortuum est sine spiritu, ita fides sine operibus mortua est, ut dicit Jacobus[5].

D. Argumentum falsæ fidei est, non credere Scripturæ per omnia, sed putare quod omnia fiant ex fato, vel cursu naturæ, et non ex Dei providentia.

Item, Dicit Chrysostomus : « Ille Deum esse non credit, qui ea (Deo præsente) facit occulte, quæ publice (præsentibus hominibus) facere pertimescit. »

Item, Hieronymus : « Non est vere christianus qui non audet in eo statu mori, in quo audet vivere. » Heu ! multæ fuerunt olim hæreses, de quibus scribit Hieronymus : « Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper indigere auxilio Dei. Et tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Joviniano asserunt hominem peccare non posse : quia uterque tollit animi libertatem. Nos autem dicimus hominem, et semper posse peccare, et posse non peccare. »

CAPUT XXI.

De Spe

A. Spes vera et perfecta est exspectatio certa futuræ beatitudinis, proveniens ex gratia Dei, et meritis præcedentibus. Hæc duo necessaria sunt ad spem. Gratia enim Dei non nisi per merita conservatur : meritis autem sine gratia nemo salvatur. Spes ergo sine meritis non est spes, sed præsumptio.

B. Ille veram spem habet, qui licet frequenter in bonis operibus se exerceat, numquam tamen in suis meritis, sed solum in superabundanti bonitate et largitate Dei confidit : nesciens utrum bona sua Deo placeant, cum omnes justitiæ nostræ sint sicut pannus menstruatæ[6].

Ille veram spem habet, qui Deo sacrificium justum offert, juxta illud : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*[7]. Sacrificium justum est Domi-

[1] Marc. IX, 22.
[2] Marc. XI, 24.
[3] Ibid. v. 23.
[4] Petrus Comestor, In historia scholastica, cap. [illegible]. S. Antoninus archiep. Florentin. I part. historiæ, tit. 5, cap. 2, § 10. Jacobus Narcis[illegible], General. 67, an. 1573, idem referunt. (Nota edit. Lugd.)
[5] Jacob. II, 17.
[6] Isa. LXIV, 6.
[7] Psal. IV, 6.

nus noster Jesus Christus, unigenitus Dei Filius, qui se pro peccatis totius mundi obtulit Deo Patri in ara crucis, ampliorem emendam offerens, quam totus mundus debebat. Suffecisset enim, ut dicit D. Ambrosius, una gutta tam pretiosi sanguinis, ad redimendum totum genus humanum. Sed abundanter effudit, ut abundantiam suæ dilectionis ostenderet. In hoc sacrificio est tota spes et salus nostra, juxta illud D. Bernardi [1]: « Peccavi peccatum grande: turbatur conscientia, sed non perturbatur: quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri. Et ideo liquet errasse illum, qui ait: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* [2]. » Et paulo post: « Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia effluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus et pedes, latusque lancea foraverunt [3]: ut per rimas liceret mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo [4]: id est gustare et videre, quoniam suavis est Dominus [5]. » Et paulo post: « At clavis reserans et clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus, clamat vulnus quod Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi. » Iterum paulo post: « Patet arcanum cordis per foramina corporis. Patet magnum illud pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto [6]. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ? Majorem enim miserationem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnatis. Meum proinde meritum, miseratio Domini. » Hactenus D. Bernardus. Misericordia Domini in multis patuit: jejunavit enim, vigilavit, oravit, sudavit, lassatus, lacrymatus, flagellatus, passus, crucifixus fuit, ut in ipso supplementum omnium defectuum habeamus.

C. Ad veram spem beatitudinis inducere nos debet excellentissimus amor Jesu Christi, quo eum cogente, cum tanta amaritudine salutem nostram nobis promeruit. Et ne obtenta nobis salus deperiret, diligentiam tantam adhibuit, ut conferret nobis Angelos ad protectionem, Scripturam ad eruditionem, exempla sua et sanctorum suorum ad viæ demonstrationem, corpus suum et sangninem ad confortationem.

D. Argumentum veræ spei habet, qui viriliter resistit malis, et confortatur in bonis: qui virilis est in aggressu arduorum et fortis in perseverantia ipsorum, juxta illud: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino* [7].

E. Argumentum falsæ spei habet, qui præcepta divina et vota transgreditur, non curans vitam suam corrigere secundum Scripturam, præsumens nimis sine meritis de bonitate Dei. Talis spes vana est, sicut dicitur in libro Sapientiæ: *Spes impii tamquam lanugo est quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis quæ a procellis dispergitur, et tamquam fumus qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis* [8].

[1] S. Bernardus, Serm. 61 in Cantica.
[2] Genes. iv, 13.
[3] Cf. Psal. xxi, 17.
[4] Cf. Deuter. xxxii, 13.
[5] Cf. Psal. xxxiii, 9.
[6] Cf. Luc. i, 78.
[7] Psal. xxx, 25.
[8] Sapient. iv, 15.

CAPUT XXII.

De Timore.

A. Timor justus est fide et moribus divinorum diligens custodia præceptorum. Item, justus timor est anxietas cordis, retrahens hominem ab illicito usu membrorum, sensuumque exteriorum, et affectionum interiorum : ne anima vel a Deo penitus separetur, vel a familiaritate ipsius aliquantulum elongetur. Cavens etiam ne mens vel in cibo, vel in potu, vel in somno, vel in aliqua creatura minimam delectationem quærat, et sic a fervore tepescat. Hanc anxietatem habet sponsa ad sponsum charissimum : ne in aliquo motu, incessu, verbo vel facto ipsum offendat, quo ingratitudinem ejus incurrat. Item, ne minus grata sit per culpam aliquam, etiam minimam. Justus timor cogit non solum a peccatis gravibus, imo etiam a venialibus abstinere. Nam ex consuetudine venialium securitas mentis et familiaritas Dei amittitur, et gratia multiformis negligitur.

B. Ad justum timorem nos inducere debet multiplex ejus utilitas. Est enim initium sapientiæ, teste Psalmista : *Initium sapientiæ timor Domini*[1]. Et initium justitiæ, juxta illud : *Qui sine timore est, non poterit justificari*[2]. Item, est signaculum et conclusio omnium virtutum et gratiarum, juxta illud : *Timor Dei super omnia se superposuit*[3]. Ubi non est timor Domini, omnis gratia subito dispergitur, et conscientia pervertitur, juxta illud : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua*[4].

Aliam utilitatem timoris Domini affert D. Bernardus : « In veritate didici, nil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. *Beatus homo qui semper est pavidus*[5]. Time ergo, cum arriserit gratia : time, cum abierit : time, cum denuo revertetur : et hoc est semper pavidum esse[6]. » Et paulo post : « Cum adest, time, ne non digne opereris ex ea. » Et paulo post : « Time, cum subtracta fuerit gratia, tamquam mox casurus. » Et paucis interjectis : « Jam si gratia repropitiata redierit, multo amplius tunc timendum, ne forte contingat recedivum pati, juxta illud Evangelii : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*[7]. »

Ad idem inducere nos debet miserabilis casus Angelorum, de quo Job ait : *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea*[8]. Item, casus sanctorum virorum ab initio mundi : sicut fuit Adam, Samson, Salomon, et omnes Apostoli. Et, heu ! hodie viri san

[1] Psal. cx, 10 et Eccli. i, 16.
[2] Eccli. i, 28.
[3] Eccli. xxv, 15.
[4] Eccli. xxvii, 4.
[5] Proverb. xxviii, 14.
[6] S. Bernardus, Serm. 54 in Cantica.
[7] Joan. v, 14.
[8] Job, iv, 18 et 19.

ctissimi prosternuntur, juxta illud : *Cadent a latere tuo mille*, id est, qui sedere deberent ad latus judicis in judicio, *et decem millia a dextris tuis* [1], id est, qui deberent locari ad dexteram Christi.

Unde dicit Glossa : « Sunt multi qui putant se judicaturos, et sunt multo plures qui putant se collocandos a dextris inter salvandos, sed decipiuntur : quia qui de se præsumunt, non habentes in alto radicem defixam, decidunt a cogitationibus suis ».

Ad idem inducere nos debent exempla sanctorum Deum timentium, sicut Job de se dicit : *Quasi tumentes super me fluctus timui Deum* [2]. Et super illud Job : *In profundissum infernum descendent omnia mea* [3], dicit Glossa : « Pensate, quis nostrum securus sit de requie, cum de illa trepidat ille, quem judex laudat. » D. Hieronymus de seipso loquens ait : « Quoties diem judicii cogito, toto corpore contremisco [4]. » Quid igitur nos miseri, acturi sumus, ubi tanti viri trepidant ?

C. Argumentum justi timoris habet, qui tam sollicitus est omnium quæ Dei sunt, ut nullo tempore vel loco quidquam eorum negligat, quæ sibi possibilia sunt : imo pro posse omnia ferventer operatur. Unde dicitur in Ecclesiaste : *Qui timet Deum nihil negligit* [5]. Et in Ecclesiastico : *Qui timet Deum faciet bona* [6].

D. Argumentum injusti timoris habet, qui pro amissione vel corporis vel rerum, non propter Deum bona facit, vel malum dimittit, vel malum facit, et bonum dimittit. Hunc timorem prohibet Dominus, dicens : *Nolite timere eos qui occidunt corpus* [7]. Et Isaias : *Quis tu, ut timeres ab homine mortali* [8] ? Talibus dicit Dominus : *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam* [9] ?

CAPUT XXIII.

De Lætitia.

A. Lætitia vera sive gaudium est consolari in his quæ Dei sunt. Materia enim omnis gaudii in Deo est : scilicet potentia, sapientia, bonitas, largitas, pulchritudo, beatitudo, misericordia, justitia, veritas, nobilitas, sanctitas, mansuetudo, fidelitas, charitas, humilitas, et si quæ sunt similia. Et hæc omnia immensa et æterna sunt in Deo.

B. Ille veram lætitiam habet qui sinceram habet conscientiam in omnibus factis suis : nec umquam scienter transgreditur divina præcepta et vota : sed

[1] Psal. xc, 7.
[2] Job, xxxi, 23.
[3] Job, xvii, 16.
[4] S. Hieronymus, Epist. ad Chromatium.
[5] Eccle. vii, 19.
[6] Eccli. xv, 1.
[7] Matth. x, 28.
[8] Isa. li, 12.
[9] Deuter. xxxii, 37.

semper intendit proficere, et exemplis Jesu Christi et divinis moribus se conformare. De hac conscientia gaudebat et gloriabatur Apostolus, dicens : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos* [1].

C. Ad veram lætitiam inducere nos debet, quod super omnia bonus Deus inter omnes creaturas solam creaturam humanam in tantum sibi univit, ut vere dicatur Deus esse homo, et homo esse Deus. Et quidquid Deus habet per naturam, habet homo per gratiam : *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, ut dicit Apostolus [2]. Chrysostomus : « Nonne magnum est et mirabile carnem nostram sursum sedere, et ab angelis et archangelis adorari ? »

Aliud inductivum est, quod Deus nos certificavit de æterna beatitudine, promissis legis et prophetarum munita et juramento, juxta illud : *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis* [3]. Per privilegia quatuor Evangelistarum : per testimonium Apostolorum : per pignus Spiritus sancti in baptismo, qui est pignus hæreditatis nostræ : per artham, id est, prægustationem in devotione et dulcedine Dei : per obsidem, qui est Christus, unigenitus Dei Filius. Ad hoc duplex gaudium hortatur nos Apostolus, dicens : *Gaudete in Domino semper*, videlicet propter divinam unionem : *iterum dico, gaudete*, nempe propter æternæ beatitudinis certitudinem.

D. Argumentum et materiam veræ lætitiæ habet, qui per internam inspirationem certificatus est de remissione omnium peccatorum, quibus tam graviter Deum omnemque creaturam offendit, omnemque gratiam collatam amisit, et conferendam demeruit. Hanc certitudinem habuit Maria Magdalena, cui dixit Dominus : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* [4]. Et B. Franciscus, de quo dicitur : « Quadrans quoque novissimus culparum sibi penitus dimitti revelatur [5]. »

Aliud argumentum et materia lætitiæ, est securitas in mente, quod homo sit filius Dei, et hæres regni cœlestis. Hanc securitatem dat Spiritus sanctus, ut dicit Apostolus : *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* [6]. Hanc certitudinem habuit Apostolus, cum dixit : *Certus sum, quia neque mors, neque vita,... neque aliqua creatura poterit nos separare a charitate Dei* [7], etc.

E. Argumentum falsæ lætitiæ est, delectari in transitoriis, sive sint res temporales, sive sint amicitiæ carnales, sive sit commoditas corporalis, sive lætitia temporalis. Hæc lætitia laqueus est tristitiæ. Cum enim transeunt illa, transit et lætitia, et sequitur tristitia. Et nisi de corde recedat talis tristitia, nunquam intrabit vera lætitia : quia simul esse non possunt, sicut ignis et aqua, quæ mutuo se expellunt.

Habetur etiam quandoque naturalis lætitia, quando homo cogitat, vel loquitur, vel audit loqui, vel legit de perfectione Dei : vel etiam habetur de appetitu regni cœlestis. Omnes enim naturaliter appetunt beatitudinem. Hæc lætitia similiter est vana : et difficulter cognoscitur, quando sit gratuita et a Deo, et quando

[1] II ad Corinth. I, 12.
[2] Ad Hebr. II, 16.
[3] Luc. I, 73.
[4] Luc. VII, 47.
[5] Chronica ordinis S. Francisci. Cf. S. Bonaventuram in vita B. Francisci.
[6] Ad Roman. VIII, 16 et 17.
[7] Ibid., 38 et 39.

naturalis. Felix esset, qui dicere posset cum Isaia : *Gaudens gaudebo in Domino*, scilicet creatore, *et exsultabit anima mea in Deo meo*, scilicet redemptore, *quia induit me vestimentis salutis*[1], etc.

CAPUT XXIV.

De Tristitia.

A. Tristitia vera est dolor cordis pro omnibus injuriis, quas patiens Deus innocenter sustinuit a suis creaturis a principio mundi, et usque in finem sustinebit tam a spiritualibus quam a sæcularibus hominibus. Iste dolor innumerabiles lacrymas sanguineas elicere debet ab oculis singulorum Deum amantium.

Alia pars veræ tristitiæ est, quod frequenter homo in tentationibus sine repugnantia superatur. Quando enim aliquid videt, vel audit, tam in volatilibus quam in reptilibus, quod spectat ad impudicitiam : statim mens impudicis cogitationibus, vel voluptatibus, vel affectionibus sordidatur. Quando vero percipit anima ex quinque sensibus, quod movere potest ad vanam gloriam, invidiam, iram, rancorem, detractionem, avaritiam, levitatem, vel carnalem amicitiam, vel aliquod peccatum : statim sine pugna dejicitur in aliquod prædictorum, dubius si umquam a tali peccato resurgat. Et si auxilio Dei resurgit, incertus est, si umquam recuperet gratiam quam habebat, et tantam quantam ante habuit. Homo enim per se cadere potest, per se autem numquam resurgere potest : *Et recordatus est*, scilicet Deus, *quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens*[2].

Alia pars veræ tristitiæ est, quod multiplex gratia effluens a fonte divinæ pietatis ad nihil redigitur, eo quod non revertitur ad suum principium, unde fluxit, cum multiplici fœnore, secundum ordinationem Dei. Hoc omnes creaturæ digne deflere non possent.

B. Ad veram tristitiam inducere nos debet sanctissimum vitæ Jesu Christi exemplum, cujus anima tristis fuit a principio vitæ suæ usque ad mortem. Qui etiam tristes beatos esse confitetur, dicens : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*[3]. Quia non nisi per tristitiam gaudia inveniri valent, dicit quædam Glossa super canonicam Jacobi.

Ad idem inducere nos debet utilitas ex ea proveniens. Utilior est enim vera tristitia, quam vera lætitia, juxta illud : *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*[4]. Frequenter enim ex tristitia quisquam deprimitur. ex lætitia vero elevatur. Et quod miserabilius est, quandoque fit homo spiritualis, post lætitiam et devotionem mentis, liberior illa die et incautior in factis suis, quam si nullam lætitiam habuisset.

[1] Isa. LXI, 10.
[2] Psal. LXXVII, 39.
[3] Matth. V, 5.
[4] Eccle. VII, 3.

Alia est utilitas tristitiæ : « Cum oratio, et cætera bona opera Deum ungant et mulceant, lacryma (quæ est effectus tristitiæ) Deum cogit, sive pungit, secundum Bernardum [1]. »

C. Argumentum veræ tristitiæ habet, cujus mens ex dolore non affligitur, sed elevatur : nec vult a tristitia liberari, sed semper desiderat ampliorem. Tristitia vero, a qua mens affligitur, et a qua quis subito liberari conatur, injusta est. Talis est tristitia, de qua scriptum est : *Spiritus tristis exsiccat ossa* [2], scilicet virtutum. Et Jacobus : *Ira viri* (veniens ex tristitia) *tristitiam* [3] *Dei non operatur* [4].

Argumentum veræ tristitiæ habet, qui a delicatis quibuslibet cohibet sensus suos : non videt, non audit, non gustat, non odoratur aliquid, nec tangit, per quod mœstitia mitigari potest. Fugit etiam omnen locum, et omnes homines, ex quorum consortio minui potest dolor cordis. Certus est enim securissimam viam esse, in vera tristitia vitam finire, juxta illud : *Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia* [5].

D. Argumentum falsæ tristitiæ habet, qui non considerans sapientissimam ordinationem Dei, torquetur pro amissione rerum temporalium : vel pro afflictione, vel morte amicorum : vel pro sui corporis infirmitate : vel pro sua correctione. Tristitia talis nullam gratiam confert, sed mentem dilaniat, juxta illud : *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi* [6]. Et alibi : *In mœrore animi dejicitur spiritus* [7].

CAPUT XXV.

De Gratitudine

Gratitudo vera et perfecta est, excellentiam donorum Dei in anima, cum annihilatione sui, et debita cordis reverentia, magnificare. Sic magnificavit David dona mandatorum Dei, dicens : *Dilexi mandata tua super aurum et topazion* [8]. Et Salomon donum sapientiæ extollebat, dicens : *Melior est sapientia cunctis*, scilicet opibus, *pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari* [9].

B. Ille veram gratitudinem habet, qui omnium donorum Dei se indignum sentit. Et quanto se indigniorem beneficiorum Dei reputat et sentit, in tantum amplius gratitudo mentis excrescit. Chrysostomus : « Pro omnibus quæ tribuisti nobis, o Christe, nihil a nobis petis, quam salvari, hoc ipsum tribuens, et accipientibus gratias agis. »

C. Ad veram gratitudinem nos indu-

[1] Hanc sententiam alii Bernardo, alii Hieronymo, alii Augustino tribuunt. (Nota edit. Lugd.)
[2] Proverb. xvii, 22.
[3] Vulgata habet justitiam.
[4] Jacobi, i, 20.
[5] Eccle. vii, 5.
[6] Proverb. xxv, 20.
[7] Proverb. xv, 13.
[8] Psal. cxviii, 127.
[9] Proverb. viii, 11.

cere debet consideratio dantis, qui est omnipotens, nobilissimus, amantissimus, fidelissimus, optimus, beatissimus, et perfectissimus.

Item, Donorum magnitudo. Non est enim tam parvum donum corporale vel spirituale, quod a Deo fluit, in quo non sit inclusus immensus Deus cum omni divina virtute.

Item, Pensandus est affectus dantis. Non enim se ex dimidio dat, vel cum indignatione, ut absolvatur a nobis : sed ex omni desiderio divino, ex tota dilectione et bonitate sua.

Item, Ponderanda est utilitas donorum. Singula enim dat ad ipsum cognoscendum, amandum, fruendum, et ad nos beatificandum.

Item, Pensandum est quid cogat eum ad dandum : non timor alicujus mali, vel spes alicujus boni : non aliqua virtus nostra, sed æterna et immensa bonitas sua.

Item, Consideranda est indignitas nostra, qui nec ipsa vita digni sumus, nec meruimus esse vermes inter alias creaturas.

Item, Ad id nos inducere debet utilitas gratitudinis. « Nam ipsa aperit fontem pietatis, et movet Deum ad effluendum : sicut ingratitudo exsiccat fontem divinæ pietatis, misericordiæ rorem, et fluenta gratiæ [1]. » Quanto enim major est gratitudo in anima, tanto fit habilior ad gratiam recipiendam, et tanto amplius cogitur largissimus Deus ad largiendum.

D. Argumentum veræ gratitudinis habet, qui pensatis singulis supradictis, quæ valent ad gratitudinem, pro singulis donis magnis, ex toto corde gratias agit, cum eas reverenter susceperit : et ex toto nisu gratias ab amantissimo Domino susceptas, impollutas servare contendit. Quomodo enim amici donum gratum fuit quod non gratanter suscepit, et tam subito sponte deturpat et amittit ? Nec solum gratitudine indigemus in his quæ sunt ad nostram consolationem : sed etiam in his quæ sunt ad nostram afflictionem. Ex eadem quippe bonitate et charitate dat Deus utrumque. Hinc est, quod Tobias ait : *Benedico te, Domine, Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me* [2]. Ad æqualem enim gratiam in præsenti, et gloriam in futuro Deus dat hominibus devotionem, et permittit tribulationem evenire. Vel, ad majorem utilitatem, sicut permisit Job, qui dixit : *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus* [3] ? Quasi dicat : Utrumque gratanter suscipere debemus.

E. Argumentum ingratitudinis habet, quando aliquis obstruit cor suum aliqua mala voluntate, vel rancore, vel levitate, vel delectatione temporali, vel amicitia carnali, præ quibus non potest dona spiritualia percipere. Aut cum gratias perceptas conservare non curat, aut collatas multiplicare : aut eis frui secundum ordinationem Dei pro utilitate communi non laborat : aut quando cum muneribus a Deo perceptis in corpore et in anima, et in viribus animæ, ipsum Deum impugnare non cessat, sicut, heu ! frequenter contingit. Tunc enim omnia meretur amittere, cum eis utitur contra largitorem.

[1] BERNARDUS, Serm. 51 in Cantica.

[2] Tob. XI, 17.

[3] Job. II, 10.

CAPUT XXVI.

De Zelo animarum

A. Zelus animarum verus et perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat. Quanta autem hæc gratia sit, sic Beda describit : « Quænam gratia sublimior, et Deo gratior conversatio esse potest, quam eorum qui quotidiano exercitio alios ad auctoris sui gratiam student convertere, et crebra animarum fidelium acquisitione gaudium cœlestis patriæ semper augere? » Item, D. Gregorius dicit : « Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum [1]. » Et hoc propter imaginem Trinitatis animabus impressam.

B. Ad zelum animarum inducere nos debet exemplum Jesu Christi, qui in omni vita sua tanto fervore conversionem peccatorum, et perfectionem bonorum sitivit, ut pro recuperatione animarum venditatum singula membra sua ad singularem pœnam, et tandem animam suam ad turpissimam mortem offerret. Teste D. Bernardo : « Tantum reconciliationis humanæ studium sibi fuit, ut ad sua stipendia non attenderet, dum erroneum liberaretur. » O quanta dignitas animarum, et quantus zelus Dei ad animas, pro quarum redemptione pretiosum sanguinem suum totum obtulit Dei Filius Deo Patri : cum tamen sufficisset una gutta tam pretiosi sanguinis ad redimendum totum genus humanum, sicut dicit D. Ambrosius : et maxime cum sibi nihil beatitudinis accresceret, vel decresceret. Hanc nobilitatem animarum noverat sapientia Dei, quæ nobis incognita est. Quod conqueritur D. Bernardus, dicens : « Heu! quod tam parum attendimus animæ nobilitatem! qua præsente corpus vivit, cujus absentia probat quid ejus præsentia contulit : quam Deus tanti æstimavit, ut unigenitum suum pro ea daret : quam diabolus tanti reputavit, ut pro ea totum mundum offerret. »

C. Argumentum veri fervoris habet, qui nec vitam propriam nec corpus curat, ut plures animas Christo lucrifaciat. Hunc zelum David habuit, cum dixit : *Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi! fili mi Absalom* [2]. Et Apostolus, cum dicit : *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris* [3]. Et iterum : *Quotidie morior per gloriam vestram, fratres* [4], id est, mortis pericula sustineo. Et B. Dominicus, cum se vendere voluit pro quodam captivo quem Saraceni detinebant ; et iterum pro alio qui manebat apud hæreticos propter victum ; quem tamen sapiens Deus pro salute plu-

[1] S. Gregorius M., Lib. I in Ezechielem, Homil. 12 sive ultima.
[2] II Regum, xviii, 33.
[3] II ad Corinth. xii, 15.
[4] I ad Corinth. xv, 31.

rium animarum invenditum conservavit.

D. Argumentum falsi fervoris habet qui de spiritualibus operibus magis sollicitus est pro muneribus, quam pro animabus. Talis non est diabolus, qui figuratur in rege Sodomorum : qui dixit ad Abraham : *Da mihi animas, cætera tolle tibi* [1]. Et qui amplius laborat pro amicitia hominum, vel favore, quam pro eorum sanctitate, et perfectione. Talis non potest dicere cum Apostolo : *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos* [2].

Notandum autem, quod ubicumque duo movent ad aliquod opus, scilicet Deus et aliquid aliud, difficulter cognoscitur, quid plus moveat. Verbi gratia : Aliquem movet ad audiendas confessiones, vel ad aliquod spirituale, salus animarum et spes lucri, vel favor, vel placentia, vel libertas, vel aliqua alia delectatio : hic difficulter discernitur quid istorum magis afficiat animum laborantis. Attamen evidens argumentum est, quod aliquid prædictorum plus moveat quam Deus vel animarum salus, cum audit quis libentius divites, nobiles, juvenes, et formosos, quam pauperes, ignobiles, senes, et deformes. Et cum sæpius et diutius delectatur esse cum istis, quam cum illis, et forte cum minori fructu : cum tamen illi tam sanctas conscientias habeant, quam isti, vel sanctiores : et tantum, vel amplius obediant consiliis, quam isti : et tantum, vel plus studeant perfectioni, quam isti : et tantum, vel plus placeant Deo, quam isti : teste Jacobo : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se ? Vos autem exhonorastis pauperem* [3], scilicet ipsum non curantes in quibus tamen Christus maxime honoratur. Sicut dicitur in homilia super illud : *Omnes honorate*.

Item, Satis est evidens argumentum, quando in operibus nostris plus quærimus partem Dei, quam partem nostram. Nam ad illa opera quæ laborem habent, et aliquam consolationem, ut sunt prædicatio, confessio, prælatura, et similia : licet magnum in eis sit periculum, tamen ad ea quilibet est paratus. Ab eis vero operibus quæ continent tantum laborem, et non consolationem, ut jejunia, vigiliæ, disciplinæ, et similia : licet nullum in eis sit periculum, quilibet tamen ab eis abstinet, quantum potest.

CAPUT XXVII.

De Libertate.

A. Libertas vera est, non esse ligatum vinculis peccatorum quæ vere ligant, juxta illud : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur* [4]. Et vere faciunt servum, juxta illud : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* [5]. Peccare enim non libertas, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus : sed est pessima species servitutis. Ab hac specie servitutis nemo li-

[1] Genes. XIV, 21.
[2] II ad Corinth. XII, 14.
[3] Jacobi, II, 5 et 6.
[4] Proverb. V, 22.
[5] Joan. VIII, 34.

beratur, nisi solius Filii Dei auxilio, ipso teste : *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis* [1].

B. Veram libertatem habet, qui non est captus appetitu rerum temporalium, nec laude, vel favore hominum, nec propria placentia, vel displicentia aliena, nec amicitia carnali, vel timore servili, nec delectatione gaudii transitorii.

C. Ad amorem veræ libertatis inducere nos debet divinæ ordinationis consideratio, quæ vult hominem esse liberum. In cujus signum dedit homini liberum arbitrium : in hoc maxime ipsum sibi assimilans, quod a nemine cogi potest, sicut nec Deus ab aliquo cogi potest. Illud liberum arbitrium Deus homini contulit, dicens in Ecclesiastico : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui* [2]. Et paulo post : *Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei dabitur illi* [3].

Ad veram libertatem indubitanter inducitur, qui præceptorum divinorum, et consiliorum, et votorum suorum inviolabili observantia se ligat : qui mentem suam et sensus suos a voluptatibus refrænat : qui membra sua nullis illicitis occupat : qui obedientiæ jugum ex corde amat : qui toto nisu, qualiter Deo suo placeat, elaborat. Quanto amplius quis prædictis innititur, tanto citius veram libertatem consequitur, et in ea fortius radicatur. Qui vero in hoc mundo libere voluntatem suam in omnibus, et in quantum potest exsequitur, variis diaboli laqueis irretitur : et cum liberior esse videtur, tunc in servitute et captivitate diaboli fortius et certius detinetur.

D. Argumentum veræ libertatis habet, qui nihil eorum desiderat quæ a familiaritate Dei mentem alienant vel elongant : sicut est prælatio, circa exteriora frequens occupatio, de commodo carnis nimia sollicitudo, mentis dissolutio, ad diversa negotia distractio, alienæ vitæ et conscientiæ temeraria discussio, propriorum defectuum excusatio sive minoratio, defectuum proximorum manifestatio vel aggravatio.

Aliud argumentum libertatis est securitas mentis de remissione totius culpæ et pœnæ, quæ ex fervore cordis provenit : qui quandoque cremat in corde, sicut ignis in fornace, et hominem ante frigidum et pallidum, in oratione facit calidum et rufum : qui fervor omnem maculam et pœnam consumit, sicut ignis rubiginem ferri exurit.

E. Argumentum servitutis et captivitatis habet, qui jugum obedientiæ detestatur : qui correctionem charitativam et fraternam abominatur : qui vindictam injuriarum suarum quotidie meditatur : qui laude, et favore humano allicitur : qui scienter et pertinaciter in aliquo, quod est contra Deum et conscientiam, vel contra voluntatem prælatorum, occupatur : qui in receptione vel collatione munusculorum, vel litterarum amicabilium, delectatur. Unde sapiens quidam dicit : « Munuscula accipere est libertatem vendere [4]. » Et Job : *Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt* [5], id est, ignis falsi amoris : et per consequens, illum amorem sequitur vinculum servitutis. De dante vero munera dicit Salomon : *Victoriam et honorem acquiret qui dat munera : animam autem aufert accipientium* [6]. Singula horum auferunt homini libertatem, et redigunt in miserabilem servitutem. Non enim potest in libertate spiritus Deo vacare, qui in hujusmodi occupatur.

[1] Joan. VIII, 36.
[2] Eccli. XV, 14.
[3] Ibid., XV, 17 et 18.
[4] [illegible]
[5] Job, XV, 34.
[6] Proverb. XXII, 9.

CAPUT XXVIII.

De Religione.

A. Religio vera, sive spiritualis vita, sicut dicit B. Jacobus : *Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo* [1]. Ille immaculatum se custodit ab hoc sæculo, qui moribus sæcularibus omnino renuntiat, et tam carnalia quam spiritualia peccata, in quantum potest, devitat.

B. Ad veram vitam spiritualem inducere nos debet utilitas, de qua Scriptura ait : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam* [2]. Et illud Apostoli : *Qui in carne sunt Deo placere non possunt* [3].

Item, Qui vult vere fieri spiritualis, debet fugere et odire carnale commodum : hoc est, detestari carnalia desideria, *quæ militant adversus animam*, ut dicit Petrus [4] : et appetere asperitatem, et carnale incommodum. Hoc enim conservat gratiam, sicut spinæ custodiunt herbas in horto. Nam gratia effluit per os, oculos, et aures. Et sicut ignis et aqua simul esse non possunt, ita nec carnalis nec spiritualis voluptas, secundum D. Bernardum [5].

Item, Debet cognoscere quod homo nihil boni potest ex se, sicut dicit Apostolus : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* [6] : hoc aufert præsumptionem. Et quod omnia potest per Christum, per amplius et perfectius quam per seipsum : teste Apostolo : *Omnia possum in eo qui me confortat* [7] : hoc aufert desperationem. Quæ duo, scilicet præsumptio et desperatio, valde sunt spiritualibus nociva, et sæpe eos impugnant.

Item, Se habere coram Deo semper, non solum quam vilis est, sed etiam quam vilis esse potest, et potuisset, nisi Deus cavisset : et hoc aufert tumorem.

Item, Quod Deus exiget rationem de omnibus malis commissis, et bonis omissis, et gratiis sibi et universitati neglectis : hoc infert justum timorem.

Item, Omne bonum accipere, tamquam a Deo dante : et hoc excludit falsum amorem, et infert gratitudinem : et omne malum, tamquam a Deo pro nostra utilitate benigne permittente : et hoc infert patientiam. Quanto magis quis in his proficit, tanto magis in spiritualem vitam inducitur, et in ea crescit, et confirmatur.

C. Argumentum veræ vitæ spiritualis habet, cujus spiritus penitus carni dominatur : qui tam cito sentit incommodum spirituale, sicut et corporale : et tantum vitat locum, tempus, et homines, ubi, et

[1] Jacobi, I, 27.
[2] Joan. VI, 64.
[3] Ad Roman. VIII, 8.
[4] I Petri, II, 11.
[5] S. BERNARDUS, Epist. 2 ad Fulconem puerum.
[6] II ad Corinth. III, 5.
[7] Ad Philip. IV, 13.

per quos lædi potest in spiritu, sicut ubi lædi potest et offendi in corpore : et qui tam cito studet mederi spiritui, sicut et carni : et tanto magis spiritui, quam carni, quanto dignior est spiritus quam corpus.

Item. Argumentum veræ vitæ spiritualis habet, qui tantum delectatur in cibis spiritualibus, sicut in corporalibus : et tam invite negligeret aliqua hora cibum spiritualem, sicut corporalem : et tam ordinate sumit cibum spiritualem, sicut carnalem : et tantum se cogit ad cibos spirituales, cum non appetit, sicut infirmus cogitur ad cibos corporales, cum eos fastidit.

Aliud argumentum vitæ spiritualis est, si homo tam diligens est circa carnem : si tam paratus est in omnibus obedire spirituali medico pro salute spiritus et animæ, sicut corporali medico pro salute corporis. Et si tam sollicitus est acquirere gratiam qua indiget in adversitate et prosperitate, qua ad amicos, qua ad inimicos, qua cum laudatur, qua cum vituperatur, qua indiget solus coram Deo, et qua eget inter homines : sicut sollicitus est de cibis carnalibus vel quadragesimalibus, vel de vestibus æstivalibus vel hiemalibus. Si tantum studet acquirere, multiplicare, conservare, utiliter expendere dona spiritualia, sicut sæcularis bona temporalia. Et tanto magis diligens est in spiritu quam in corpore, quanto dignior est spiritus corpore. De his omnibus dicit Apostolus : *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt : qui vero secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt sapiunt* [1].

D. Argumentum carnalis vitæ est, secundum regulam carnis vivere. D. Augustinus : « Ille secundum carnem vivit, qui secundum seipsum vivit : id est, pergit quo vult : dormit quando vult, et quamdiu vult : loquitur quæ vult, et cui vult, et ubi vult : manducat et bibit quando vult, et quantum vult : ridet et jucundatur turpiter inter quos vult, et quando vult : postremo, quidquid naribus suave est quærit, quidquid tactu blandum, quidquid corpori suo jucundum exercet et sequitur, qualiter vult, et quando vult : quia omnia licita et illicita carnaliter vult. Delectatur in vestimentis pulcherrimis, et equis et armis, sicut vult, et quando vult. Et sic non secundum Deum, sed carnaliter vivit et delectatur : et omnia desideria carnis perficit sicut vult, et quando vult [2].

Aliud argumentum vitæ carnalis est, libertas linguæ, quam sequitur distractio cordis, juxta illud : *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* [3]. Ideo scriptum est : *Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam* [4]. Et iterum : *Mors et vita in manu linguæ* [5].

[1] Ad Roman. viii, 5.
[2] S. Augustin. Lib. de salutaribus documentis, cap. [illegible].
[3] Jacobi, i, 26.
[4] Proverb. xxi, 23.
[5] Proverb. xviii, 21.

CAPUT XXIX.

De Maturitate.

A. Maturitas vera est, cum omnes affectiones et vires animæ unanimiter colliguntur in Deum. Ex hoc vero mens restringitur a vanitate, et quinque sensus ab illecebris compescuntur. Sed quando anima a beata illa unione recedit, mox diversis vanitatibus irretitur. Nam omnia quæ sub cœlo sunt, vana sunt, ut dicit Ecclesiastes [1].

B. Ad veram maturitatem inducere nos debet exemplum sanctissimum Jesu Christi, de cujus seriositate, sic scribit D. Augustinus : « Legimus Dominum Jesum doluisse, flevisse, ex itinere fatigatum fuisse, opprobria et injurias sustinuisse, sputa, flagella, crucem suscepisse : numquam tamen legimus eum risisse, nec in terra prosperatum fuisse. Hinc plane, hinc in se gaudent omnes electi, cum cœperint adversitatibus mundi fatigari, et nullis ejus prosperitatibus fallaciter decipi, scientes aliam viam superesse [2].

Item, Quia Scriptura multum vituperat dissolutionem et risum, juxta illud : *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis* [3] ? Et alibi : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* [4]. Et Psalmista sic loquitur ad Dominum : *Odisti observantes vanitates supervacue* [5]. Et præcipue comminatio Jesu Christi, dicentis : *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* [6].

Item, Quia multum abstrahit unumquemque a familiaritate Dei, et obstruit mentem a perceptione gratiarum.

C. Argumentum veræ maturitatis habet, qui nec verbis otiosis, nec factis, nec signis, nec incessu dissoluto, nec aliqua occasione quemquam ad levitatem provocat, sed semper in se et in aliis dissolutionem ex corde detestatur : omnia loca vitat, in quibus dissolvi potest : fugitque omnes homines dissolutos, ut maturitatem conservet, sciens quod *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea* [7] : et qui communicat se dissolutis, dissolutionem non effugiet. Talis fuit B. Job, qui tam maturus fuit, quod etiam dissoluti præsentiam ejus fugerent, sicut ipse dicit : *Videbant me juvenes, et abscondebantur* [8]. Et tantam habuit consuetudinem maturitatis, quod si oppositum in eo visum fuisset, nemo credidisset. Unde ipse dicit : *Si quando ridebam ad eos, non credebant, et lux vultus mei non cadebat in terram* [9].

D. Argumentum levitatis habet, qui pronus est ad ridendum, jocosus in verbis, dissolutus in moribus, dissoluta

[1] Eccle. I, 2 et seq.

[2] S. Augustinus, Serm. 35 de Sanctis, qui est secundus de Assumptione B. V. Mariæ.

[3] Eccle. II, 2.

[4] Proverb. XIV, 13.

[5] Psal. XXX, 7.

[6] Luc. VI, 25.

[7] Eccli. XIII, 1.

[8] Job, XXIX, 8.

[9] Ibid., V. 24.

loca frequentans, et frequenter cum dissolutis ambulans et habitans : qui fugit maturos homines, gravisque est ei maturitas ad videndum, credens ex maturitate infirmitatem corporis sui evenire. Talis describitur in Ecclesiaste : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua : et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ : et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum, et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium* [1].

CAPUT XXX.

De Simplicitate.

A. Simplicitas vera et perfecta est neminem lædere, sed omnibus proficere : sicut dicit Glossa super Parabolas Hæc est prima virtus, de qua commendatur Job : *Vir erat in terra Hus, nomine Job, et erat vir ille simplex et rectus* [2], quasi præcellens in ea præ cæteris virtutibus.

Hanc præcepit Dominus, cum mitteret Apostolos in universum mundum, ad unitatem Catholicæ fidei convocare incredulos, dicens : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* [3], ubi prudentia simplicitati conjungitur. Nam prudentia sine simplicitate, calliditas est : et simplicitas sine prudentia, stultitia est. Columba nec rostro, nec ungue lædit : ita vere simplex nec verbo, nec opere nocet.

B. Vere ille simplicitatem diligit, qui non occupatur circa multa sicut Martha [4]. Nam ibi plicæ sunt, ubi plura. Sed tantum unum quærit, de quo Dominus : *Porro unum est necessarium* [5]. De quo laudatur Maria Magdalena quæ *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* [6]. Hoc est unum bonum, in quo sunt omnia bona, æterna et immensa.

C. Ad simplicitatis amorem inducere nos debet utilitas ex ea proveniens. Scriptum est enim : *Et cum simplicibus sermocinatio ejus* [7], id est, Domini. Familiaris est enim Dominus simplicibus, quibus non dedignatur arcana sua revelare. Unde Dominus Apostolis prohibentibus venire pueros ad præsentiam ejus, respondit : *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire : talium est enim regnum cælorum* [8]. Hæc est virtus, sine qua non est salus. Dicit enim Dominus Jesus : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum* [9]. Non dicit, efficiamini parvuli, sed *sicut parvuli*, id est, simplices et innocentes.

Alia est utilitas simplicitatis, de qua dicitur : *Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter* [10]. Nam ad regnum cælo-

[1] Eccle. xi, 9.
[2] Job. i, 1.
[3] Matth. x, 16.
[4] Luc. x, 40.
[5] Ibid. x, 42.
[6] Ibid.
[7] Proverb. iii, 32.
[8] Matth. xix, 14.
[9] Ibid. xviii, 3.
[10] Proverb. x, 9.

rum via securissima, est via simplicitatis. Nam scriptum est in Proverbiis: *Proteget gradientes simpliciter* [1].

D. Argumentum veræ simplicitatis habet, qui nullius facta pervertit, sed bonum de omnibus præsumit : qui nullius bonum depravat, nullius bonum diminuit : omnium salutem desiderat, nulli malum optat : et qui bona facit et bene : et qui bona sentit de Domino, et in simplicitate cordis quærit illum [2]: qui voluntati ejus se subjicit, et mandata ejus custodit.

E. Argumentum duplicitatis habet, qui unum gerit in ore, et aliud in corde, et aliud in opere. Sicut Joab, tenens mentum Amasæ, dixit: *Salve, mi frater* [3] : et interim occulte educens gladium, occidit eum. Contra hoc dicit Dominus Jesus: *Sit sermo vester : Est, est : Non, non* [4], id est, quæ habetis in corde, proferte ore, et exhibete opere. Et B. Jacobus: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* [5]. Et duplicibus Dominus maledicit, qui scilicet servire volunt simul Deo et diabolo, id est, in peccatis et bonis operibus sese exercere. Contra hos namque dicit Dominus: *Nemo potest duobus dominis servire* [6], scilicet contrariis: nam virtus et vitium, bonum et malum, penitus adversantur. Contra eos vero qui intendunt Deo placere et mundo, dicit Jacobus : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur* [7].

F. Argumentum falsæ simplicitatis habet, qui simplicem se exhibet in exteriori conversatione, et tamen dolum gestat in corde. De hoc dicit Jeremias: *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet* [8].

CAPUT XXXI.

De Taciturnitate.

A. Taciturnitas vera et perfecta est, non solum moderari linguam a verbis illicitis (ut sunt detractiones, mendacia, perjuria, impudica, levia, iracunda, nociva, maledica, otiosa, et similia), sed etiam ab utilibus et licitis, juxta illud : *Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis* [9], scilicet annuntiandis. Dicit Glossa: « Ille non cadit ad illicita, qui se caute restringit a licitis [10]. » Non solum autem per verba inutilia et nociva, sed etiam per verba utilia gratia spiritualis

[1] Proverb. II, 7.
[2] Cf. Sapient. I, 1.
[3] II Regum, XX, 9.
[4] Matth. V, 37.
[5] Jacobi, I, 8.
[6] Matth. VI, 24.
[7] Jacobi, IV, 4.
[8] Jerem. IX, 4.
[9] Psal. XXXVIII, 3.
[10] Glossa in Job. III, 26, ad illa verba : *Nonne dissimulavi ?*

effunditur, cum in loquendo modus non observatur. Rara est hæc virtus, moderatio linguæ, teste Jacobo : *Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum, domantur et domita sunt a natura humana : linguam autem nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero* [1]. Glossa : « Lingua pravorum, bestiis ferocitate, volucribus levitate, serpentibus virulentia præcellit. » Sunt enim bestiales, qui *exacuerunt ut gladium linguas suas* [2]. Sunt volucres, qui *posuerunt in cælum os suum* [3], et *quorum os locutum est vanitatem* [4]. Sunt serpentes, de quibus dicitur : *Venenum aspidum sub labiis eorum* [5].

B. Ad amorem taciturnitatis inducere nos debet sanctissimum exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui taciturnitatem commendans, de impositione criminum interrogatus, se noluit excusare, nec per responsionem mortem suam voluit differre.

Ad idem inducere nos debet exemplum cujusdam eremitæ, de quo legitur, quod tribus annis lapidem in ore gestarit, ut disceret silentium servare [6]. Citius enim addisceret aliquis loqui, quam tacere, juxta illud sapientis : « Qui scit loqui, discat et tacere. »

Ad idem inducere nos debet utilitas ex ea proveniens. Nam silentium cor distractum componit, conscientiæ serenitatem inducit, et ad recipiendam gratiam divinam habilem mentem facit. Ubi autem non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur, juxta illud : *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum* [7]. Ubi enim non est moderatio linguæ, ibi numquam erit perfectio, juxta illud : *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* [8], et non alius, dicit Glossa. Ubi est custodia linguæ, ibi est beatitudo, secundum illud : *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo* [9]. Et : *Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam* [10].

C. Argumentum veræ taciturnitatis habet, qui cum libere, et licite, et sine offensa, loqui potest, et cujus verba recipientur cum magno desiderio : et tamen nullo modo, aut raro inducitur ad loquendum, recogitans illud D. Gregorii : « Si sanctus Propheta Ezechiel missus ad loquendum fuerat, et septem diebus sedens mœrensque tacebat : pensandum nobis est, quanta culpa sit ei non tacere, quem nulla necessitas cogit loqui [11]. » Et illud verbum Evangelicum : *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* [12].

D. Argumentum falsæ taciturnitatis sive loquacitatis est, proterve et clamorose loqui, ut aliquis inter alios videatur : vel tempore importuno, cum tamen sermo opportunus sit optimus. Contra hoc est illud : *Homo sapiens tacebit usque ad tempus : lascivus autem et imprudens non servabunt tempus* [13]. Vel loqui, ubi nemo auscultat, vel audire curat. Contra illud est : *Ubi auditus non*

[1] Jacobi, III, 7 et 8.
[2] Psal. LXIII, 4.
[3] Psal. LXXII, 9.
[4] Psal. CXLIII, 8 et 11.
[5] Psal. XIII, 3.
[6] Agathonem abbatem lapillo assidue ori indito didicisse tacere referunt Marcus Marulus Lib. IV de Institutione bene beateque vivendi cap. [illegible] et Petrus de Natal. Lib. I in catalogo sanctorum, cap. 48.
[7] Proverb. XXV, 28.
[8] Jacobi, III, 2.
[9] Eccli. XIV, 1.
[10] Proverb. XXI, 23.
[11] S. Gregorius M., Lib. I in Ezechiele homil. 11.
[12] Matth. XII, 36.
[13] Eccli. XX, 7.

est, non effundas sermonem [1]. Vel cum quis respondet antequam audiat, vel interrogetur. Contra hoc est illud : *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione dignum* [2]. Vel cum respondet pro altero, non interrogatus. Contra illud est : *Adolescens, loquere in tua causa vix* [3], scilicet cum necesse fuerit.

E. Argumentum falsæ taciturnitatis est, tacere non propter virtutem, sed ne ab audientibus confundantur : vel, ut propter taciturnitatem laudetur : vel, cum nesciens loqui intelligibiliter, vel utiliter, fari verecundatur : vel, ut per silentium sua stultitia pallietur, juxta illud : *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur* [4].

CAPUT XXXII.

De Solitudine.

A. Solitudo vera est abstrahere mentem a sollicitudine et occupatione actionum exteriorum, ab omni delectatione creaturarum : omnes affectiones, voluntates, et intentiones unanimiter, in quantum potest, dirigere in Deum, ut fiat unus spiritus cum eo. Ad hoc adhortatur Isaias, dicens : *Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo* [5]. *Ingredere in petram*, id est, in divinitatem Christi : *abscondere in fossa humo*, id est, in vulneribus Christi. Qui in hac petra est, solus est : qui extra hanc petram est, in multitudine est. In hac solitudine mentis tanta gratia et illuminatio mentis percipitur, ut percipiens sit gravis aliis ad videndum. Sicut Moyses solus manens in monte cum Deo quadraginta diebus et noctibus, tantum illuminatus fuit, ut lux in vultu erumperet, et de claritate vultus, quasi radii solis procederent, quos filii Israel non potuerunt intueri, donec faciem suam velaret [6].

B. Ad amorem solitudinis nos inducere debet exemplum sanctissimum Domini nostri Jesu Christi, qui licet ex nullius consortio umquam impediri potuit a spirituali negotio, sæpe tamen declinavit a turba, propter amorem solitudinis. Et quandoque cum amplius non potuit, a charissimis Apostolis suis ad orandum secessit, *quantum jactus est lapidis*, ut scribit Lucas [7] : per hoc innuens, quod etiam viri sancti in multitudine familiariter Deo vacare non possunt : aut modicam, aut nullam gratiam efficacem inter homines consequuntur. Hinc est, quod Zachæus Dominum Jesum in turba videre non poterat [8] : sed postmodum vidit ipsum, et vocem Salvatoris audivit, quando solus arborem ascendit.

Ad idem nos inducere debet utilitas solitudinis, de qua Dominus de sponsa dicit : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus* [9]. O quam felix est qui

[1] Eccli. XXXII, 7.
[2] Proverb. XVIII, 13.
[3] Eccli. XXXII, 10.
[4] Proverb. XVII, 28.
[5] Isa. II, 10.
[6] Cf. Exod. XXXIV, 28 et seq.
[7] Luc. XXII, 41.
[8] Luc. XIX, 2.
[9] Osee, II, 14.

vel semel audit Dominum intus loquentem? Locutio Domini in corde est de arduis gratiis, securitatem menti præstare.

Ad idem nos inducere debet, quod sancti Eremitæ olim cucurrerunt et erraverunt in solitudine, in montibus, in speluncis, et in cavernis terræ, ut Deo continuo vacare possent, quandoque in quadraginta annis hominem non viderunt.

C. Argumentum veræ solitudinis habet, cui gravis pœna est esse cum hominibus : et ab aliis se abstrahit, quacumque occasione potest. *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* [1]. Sicut Mariæ Magdalenæ pœna fuit videre homines, postquam Jesum amplius videre non potuit, imo etiam videre Angelos, pœnale illi fuit. Unde Angelis volentibus eam consolari de recessu Domini de sepulcro, ait : Quæro creatorem, et ideo mihi grave est videre creaturam : ideoque fugit in eremum propter amorem Jesu Christi, triginta annis carens omni cibo et potu corporali : quam Angeli levabant in aera singulis horis ad orandum deputatis, in qua oratione sumpsit animæ et corporis nutrimentum.

D. Argumentum falsæ solitudinis habet, qui licet sit solus corporaliter coram Deo, anima tamen ejus est in diversis mundi partibus variis negotiis occupata. Hæc duo, scilicet, taciturnitas et solitudo, efficaciter elevant ad contemplationem. Unde illud Threnorum : *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se* [2].

CAPUT XXXIII.

De Contemplatione.

A. Contemplatio vera et perfecta est collectio affectionum et omnium virium animæ, ad cognoscendum cum delectatione et admiratione mentis aliquid de natura divina : scilicet de potentia, sapientia, bonitate, charitate, nobilitate, largitate, etc., sive occulta Dei judicia, sive sanctissimam ejus voluntatem, sive aliquam perfectionem, quæ tendit in Deum. In hac contemplatione fuerunt Patriarchæ et Prophetæ, et Apostoli sancti. Nam Patriarchis et Prophetis occulta sua per Spiritum sanctum revelavit : ut Noe de diluvio [3], Abrahæ de subversione Sodomorum [4], Jeremiæ de transmigratione Judæorum et captivitate, Joseph de fame Ægypti [5], Danieli de statua Nabuchodonosor [6], et sic de aliis Patriarchis et Prophetis, quibus alia secreta revelavit, ut Ezechieli visiones diversas [7]. Unde Amos : *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas* [8]. Apostolis vero per unigenitum filium suum omnem voluntatem suam, et omnem perfectionem indicavit, sicut ipse dicit : *Omnia quæ*

[1] Psal. LIV, 8.
[2] Thren. III, 28.
[3] Cf. Genes. VI, 13 et seq.
[4] Cf. Genes. XVIII, 17 et seq.
[5] Cf. Genes. XLI, 1 et seq.
[6] Cf. Daniel. II, 1 et seq.
[7] Cf. Ezechiel. I, 4 et seq.
[8] Amos, III, 7.

cumque audivi a Patre meo, nota feci vobis[1], ut et ipsi posteris suis eadem revelarent, quod et fideliter fecerunt. Nam *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*[2]. Sed inter alios Apostolos B. Joanni Evangelistæ et B. Paulo occultissima revelavit et indicavit. Inter alia patefecit eis octo beatitudines, dicens : *Beati pauperes spiritu, quoniam*[3], etc. *Beati mites, quoniam*, etc. Quæ beatitudines in se magnam continent perfectionem, perfectamque Dei voluntatem indicant.

B. Differunt autem contemplatio, meditatio, et cogitatio. Nam in cogitatione, mentis est evagatio : in meditatione, investigatio : in contemplatione, mentis admiratio. Cogitatio est sine labore et sine fructu : meditatio est cum labore et fructu : contemplatio est sine labore et cum fructu.

C. Ad contemplationem Dei inducere nos debent tres gradus, de quibus D. Gregorius : « Primus est, ut se (scilicet anima) ad se colligat. Secundus, ut videat, qualis sit collecta. Tertius, ut super semetipsam, ac se contemplationi auctoris invisibilis intendendo subjiciat. Sed se ad se nullatenus colligit, nisi prius didicerit terrenarum atque cœlestium imaginum phantasmata ab oculo mentis compescere : quidquid de visu, quidquid de auditu, quidquid de odoratu, quidquid de tactu et gustu corporeo cogitationi ejus occurrerit, respuere atque calcare : quatenus talem se quærat intus, qualis sine istis est. Nam hæc quando cogitat, quasi quasdam umbras corporum introrsus versat. Abigenda ergo sunt omnia manu discretionis ab oculis mentis, quatenus talem se anima consideret, qualis sub Deo supra corpus creata est : ut a superiore vivificata, vivificet inferius quod administrat[4].»

Ad idem inducere nos debet ineffabilis suavitas, quæ ibi percipitur : admirabilis perfectio quæ ibi addiscitur : principium omnis beatitudinis quod ibi reperitur. Nam fons omnis beatitudinis summus Deus, ibi cognoscitur : et quod cognoscitur, hoc amatur : et quod vere amatur, hoc desideratur : et pro quo studiose laboratur, hoc tandem acquiritur : cumque tandem acquisitum fuerit, cum delectatione interminabili possidetur. De hac D. Bernardus : « Quæ enim anima semel a Domino didicit et accepit intrare ad seipsam, et in intimis suis Dei præsentiam suspirare et quærere faciem ejus semper : (Spritus est enim Deus : et qui quærunt eum, oportet eos in spiritu ambulare, et non in carne, ut secundum carnem vivant). Talis, inquam, anima, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliusve ducat, quam post spiritualis studii hujus gustatam semel suavitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem : dicente Ecclesiaste : *Oculus non impletur visu, nec auris auditu*[5]. Audi enim hominem expertum, quæ loquitur : Bonus es (inquit) Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te[6]. Ab hoc bono si quis avertere sanctam illam animam conaretur, puto haud secus accepisset, quam si se de paradiso, et ab ipso introitu gloriæ, conspiceret deturbari. Audi adhuc et alium similem huic : *Tibi dixit cor meum*, ait, *exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram*[7]. Unde dicebat *: Mihi autem adhærere Deo bonum est*[8]. Et item loquens ad animam suam, dicit : *Convertere, anima mea, in*

[1] Joan. XV, 15.
[2] Psal. XVIII, 5.
[3] Cf. Matth. V, 3 et seq.
[4] S. GREGORIUS M., Lib. II in Ezechiel., homil. 17.
[5] Eccle. I, 8.
[6] Cf. Thren. III, 25.
[7] Psal. XXVI, 8.
[8] Psal. LXXII, 28.

requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi [1]. Dico ergo vobis, nihil est quod in tantum formidet quisquis hoc beneficium semel accepit, quam ne a gratia derelictus, necesse habeat denuo egredi ad carnis consolationes, imo desolationes, rursumque carnalium sensuum sustinere tumultus [2]. » In hac contemplatione fuit D. Augustinus, cum dixit : « Mihi autem displicebat quod agebam in sæculo : et oneri mihi erat valde, non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris et pecuniæ. Jam enim me illa non delectabant, præ dulcedine tua, et decore domus tuæ, quam dilexi [3]. »

D. Argumentum veræ contemplationis habet, quem in miseria hujus mundi vivere tædet, cum B. Tobia dicens : *Expedit mihi mori magis quam vivere* [4]. Et cum Job : *Tædet animam meam vitæ meæ* [5]. Et cum B. Paulo : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus* [6] ? Et qui ad fontem vitæ sitit, dicens cum Psalmista : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* [7]. Unde D. Gregorius : « Contemplativa vita est, charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere : sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, ut nil jam agere debeat : sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat : ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis Angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere [8]. »

E. Argumentum falsæ contemplationis habet, qui aliquid de Deo, vel aliqua perfectione ejus cognoscit, cui veritas sacræ Scripturæ contradicit : et hoc tamen per rationes temere defendit. Ex hoc olim hæreses processerunt, scilicet Arii, qui Filium coæternum et consubstantialem Patri negavit : et Sabellii, qui personas in Trinitate confudit, ponens nominalem tantum differentiam, cum vere differant proprietatibus. Pater enim proprie habet innascibilitatem, Filius proprie nascibilitatem, Spiritus sanctus processionem.

CAPUT XXXIV.

De Discretione

A. Discretio est prudenter judicare inter creatorem et creaturam : quid sit creator, et quid creatura. Item, dijudicare, quid sit bonum, quid melius, et quid optimum : quid malum, quid pejus, et quid pessimum : quantum bonum sit appetendum, et quantum malum sit detestandum. Item, quantam reverentiam debeat homo superiori, quantam clementiam inferiori et compassionem, et qua-

[1] Psal. cxiv, 7.
[2] S. Bernardus, Serm. [illegible] in Cantica.
[3] S. Augustinus, Lib. VIII Confessionum, cap. 1, et Lib. IX Confessionum, cap. 10.
[4] Tob. iii, 6.
[5] Job, x, 1.
[6] Ad Roman. vii, 24.
[7] Psal. xli, 2.
[8] S. Gregorius M., Lib. II in Ezechiel. homil. 1.

lem societatem æquali. Qualiter se debeat habere ad mortuos, qualiter ad vivos : qualiter ad prædecessores, et qualiter ad successores. Qualiter ad amicos, ut diligantur in Deo : et qualiter ad inimicos, ut diligantur propter Deum. Qualiter coram Deo occulte, et qualiter cum hominibus manifeste. Quæ refectio carni, et quæ spiritui impendenda sit. Quibus vestibus induendum Quando comedendum, quando bibendum, quando abstinendum, et quantum, et a quibus cibis. Quando vigilandum, quando dormiendum : et quantum, et quamdiu. Quando orandum, quando flendum, et quando aliquod opus faciendum. Quomodo se habendum ad laudem, et quomodo ad reprehensionem. Quando loquendum, et quando tacendum : quantum, quibus de causis, cum quibus, quo loco, et quo tempore. Quando accipiendum, quando retinendum, et quantum largiendum : et quantum, et quibus, et quo tempore. De omnibus his ordinate, et prudenter dijudicare, est vera discretio.

Hæc virtus est magistra omnium virtutum, statuens omnibus modum et ordinem. Ubi autem discretio non est, ibi charitas non servat ordinem : quid primo, quid postremo diligendum est : nec modum, quid minus, quid amplius diligendum sit, novit. Neque ibi ordo servatur, teste D. Augustimo : « Ubi, inquit, nimium servatur humilitas, regentis frangitur auctoritas. Ibi obedientia cæca et stulta est, cum etiam in malis credit obediendum esse. Ibi etiam largitas nimium se effundit, cum histrionibus sine necessitate datur. Ibi timor in desperationem dejicitur, spes in præsumptionem convertitur. Ibi justitia nimiam severitatem demonstrat. Ibi patientia, misericordia, mansuetudo, benignitas, bonitas, injusta dissimulat. Ibi religio dissolvitur, veritas falsificatur, castitas violatur, maturitas levis efficitur, constantia permutatur. »

Hæc virtus ex defectu aliarum virtutum crescit. Cum enim homo sæpe cadit de humilitate in superbiam vel vanam gloriam, de charitate in invidiam, de patientia in iram, de mansuetudine in rancorem, de fervore in teporem, de castitate in carnalem concupiscentiam, de amore paupertatis in avaritiam, de pace in turbationem, de unione in discordiam, de obedientia in rebellionem, de maturitate in levitatem, de religione in dissolutionem, de taciturnitate in loquacitatem vel detractionem, de spirituali amore in carnalem, de spe in præsumptionem, de justo timore in humanum et servilem, de justitia in severitatem, de misericordia in mollitiem, de constantia in mobilitatem, de veritate in falsitatem, tunc primum fit cautior ad cavendum, et sollicitior, et in omnibus discretior.

B. Ad veram discretionem nos inducere debet et potest assidua lectio et meditatio in Scripturis : continua investigatio de sanctorum exemplis : frequens consilium a viris discretis, juxta illud : *Consilium semper a sapiente perquire* [1]. Unde Dominus ad Paulum : *Surge, et ingredere civitatem, et dicitur tibi quid te oporteat facere* [2]. Similiter misit leprosos dicens : *Ite, ostendite vos sacerdotibus* [3] : non tantum uni, sed pluribus : ut si unus minus sit discretus, alter discretior perquiratur.

C. Argumentum veræ discretionis habet, qui omnia facta sua cum consilio discretorum pertractat. Quos si semper habere non potest, singula opera sua et negotia, in conscientia sua coram Deo, cum vera discretione et matura deliberatione discutit : juxta illud : *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pænitebis* [4]. Nec tamen in hoc conscien-

[1] Job, IV, 19.
[2] Act. IX, 6.
[3] Luc. XVII, 14.
[4] Ecli. XXXII, 24.

tiæ suæ semper credat, nisi Scripturæ manifestum testimonium habeat: nec Scripturam ad sensum suum aliquatenus retorqueat, sed sensum suum Scripturæ conformet.

D. Argumentum indiscretionis habet, qui jejuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis, et lacrymis, supra vires laborat: brevi tempore se destruens, ut pluribus annis in servitio Dei inutilis fiat. Sed, heu! pauci sunt homines hujus temporis, qui in hujusmodi excedunt.

E. Argumentum falsæ discretionis habet, qui volens cavere destructionem sui corporis, nihil eorum negligit quæ commoda sunt corpori, dicens Domino: *Fortitudinem meam ad te custodiam*[1]. Et spiritus interim sine spirituali cibo deficit et tabescit: qui sine labore nullatenus haberi potest. Unde D. Augustinus: « Dum infirmitatem nostræ carnis timemus, salutem animæ negligimus. » Quia caro, si delicate nutritur, occidit spiritum, teste D. Augustino: « Sicut tinea lanam devorat et ligna, fœnum et stipulam ignis comburit: ita delicata caro animam concremat, et consumit. Talis non cogitat, quod tandem caro destruetur, etiam si omni commodo frueretur. Sicut sæculares omnem corpori voluptatem impendentes, non magis Deo serviunt, sed frequentius infirmantur. Melius est autem viventem spiritum, gratia repletum esse in corpore languido, quam spiritum languidum vel mortuum esse in corpore sano[2]. »

CAPUT XXXV.

De Congratulatione.

A. Congratulatio vera ad Deum est congaudere Deo in omni beatitudine et perfectione sibi innata æternaliter. Videlicet de omnipotentia, sapientia, bonitate, etc. Et quod nullius indiget, sed quod sibi ipsi sufficit, et omnibus creaturis.

Item, Congaudere Deo de ordinatione cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt: et de omnibus operibus suis, a principio mundi usque ad finem sæculi: præcipue de operibus incarnationis ejus, circumcisionis, passionis, resurrectionis, ascensionis, Spiritus sancti missionis. Et de omnibus judiciis, manifestis et occultis: circa dæmones, circa animas in inferno, in limbo, in purgatorio, et circa malos homines in mundo.

Item, Congaudere Deo quidquid laudis et reverentiæ habet ab Angelis et sanctis in cœlo, et ab hominibus in terra.

Item, Vera congratulatio ad proximos est congaudere singulis Angelis et sanctis de gloria in cœlo. Item, peccatoribus de conversione: justis de confortatione et gratiarum conservatione: Ecclesiæ de sacramentis et donis Spiritus sancti. Et congaudere omnibus sanctis hominibus in Ecclesia et in terra: scilicet B. V. Mariæ, Patriarchis et Prophetis, Apostolis

[1] Psal. LVIII, 10.

[2] S. Augustinus, Lib. de visitatione infirmorum, cap. [illegible].

et singulis electis, de donis perceptis et percipiendis singulis a Deo.

B. Ad veram congratulationem inducere nos debet maxima utilitas ex ea proveniens. Nam quidquid Deus omnipotens perfectionis, bonitatis, et beatitudinis in se naturaliter habet: quidquid gloriæ Angeli et sancti in cœlo: quidquid gratiæ et virtutis in Ecclesia, et fideles habent in ea, hoc totum proprium fit unicuique per congratulationem.

Ad idem nos inducere debet, quod congratulatio Patris, Filii, et Spiritus sancti, origo est omnium creaturarum. Et semper fuit, et nunc est principium omnium operum divinorum.

C. Argumentum veræ congratulationis habet, qui per omnia delectatur in omnibus quæ in Deo sunt: cui ordinatio Ecclesiæ, et omnia opera Dei, et judicia, et mores divini, et sanctissima exempla Domini nostri Jesu Christi, et omnium amicorum ejus, ex corde placent: et omnia ea verbis commendat, et aliis manifestat.

Item, Cui de singulis donis naturalibus, spiritualibus, gratuitis, angelorum et sanctorum in cœlo, et singulorum hominum in terra, generatur gaudium spirituale: et hæc omnia, semper et ubique cooperatur pro posse.

D. Argumentum falsæ congratulationis habet, qui omnem ordinationem divinam, in cœlo et in terra: et opera justorum et virtutes et sanctam eorum vitam, commendat in ore, sed omnia in corde vituperat. Talibus improperat Dominus in Isaia: *Appropinquat populus ille ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me* [1]. Tales de corpore Ecclesiæ præcisi sunt, qui bona corporis non participant.

CAPUT XXXVI.

De Confidentia.

A. Confidentia vera et perfecta est mentis securitas, quod omnipotens et fidelis Deus numquam amicos derelinquit: juxta illud: *Nullus speravit in Domino et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est* [2]*?*

B. Ille veram confidentiam habet, qui certus est quod bonus Deus suis semper præsens est in tribulationibus: et semper paratus est ut eos a tentationibus liberet, et liberatos glorificet. Juxta illud: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum* [3]. Sic fuit cum Daniele in lacu leonum: cum Noe in arca: cum Joseph in cisterna: cum tribus pueris in camino ignis, et hos omnes benignissime liberavit. Unde B. Petrus: *Novit Dominus pios de tentatione eripere* [4]. Et in Tobia, dicit Sara: *Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur: si*

[1] Isa. XXIX, 13.
[2] Eccli. II, 12 et 13.
[3] Psal. XC, 15.
[4] II Petri, II, 9.

autem in tribulatione fuerit, liberabitur : et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris : quia post tempestatem, tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis [1].

Ille veram confidentiam habet, qui omnes preces suas, et omnia desideria sua justa, non dubitat exaudiri. Nam D. Chrysostomus dicit : « Si cum hoc studio mentis accesseris, et dixeris : Non recedam (scilicet, nisi accepero), prorsus accipies : si talia postulaveris quæ et illum qui petitur dare deceat, et accipere tibi qui peccaris, expediat [2]. » Hæc virtus valde laudabilis est, et magni meriti coram Deo. De quo hortatur Apostolus, dicens : *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem* [3].

C. Ad veram confidentiam inducere nos debet, quod largissimus Deus, absque desiderio nostro, sæpe majora nobis dat, ex sua mera et incomprehensibili bonitate, quam auderemus desiderare. Creavit enim nos Pater ad imaginem Trinitatis : et sanctissimus Filius ejus dedit nobis carnem suam in cibum, et sanguinem in potum, et animam in pretium redemptionis. Quis unquam, vel semel auderet de hujusmodi cogitare ?

Ad idem inducere nos debet dispositio Christi in cruce. De hac enim dicit D. Bernardus : « Quis enim non rapietur ad spem et ad impetrandi fiduciam, si attenderet in cruce Christi corporis dispositionem ? Vide caput inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis extensionem ad se totum impendendum. »

D. Argumentum veræ confidentiæ habet, qui de peccatis mortalibus, in conscientia non mordetur. Teste Joanne : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo* [1]. Unde legitur de Susanna : *Erat cor ejus fiduciam habens in Domino* [2], quia innocentem se cognovit de crimine objecto.

Aliud argumentum veræ confidentiæ habet, qui in bonis operibus continue se exercet : et præcipue in spirituali eleemosyna, quæ est remittere injurias, et supererogare orationes. De qua dicitur in Tobia : *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat : et non patietur animam tuam ire in tenebras : fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam* [3].

Aliud argumentum veræ confidentiæ habet de remissione peccatorum, qui in juventute et sanitate sua, ad veram pœnitentiam pro peccatis se exhibet. Teste Augustino : « Si quis positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, et accipit, et mox reconciliabitur, et hinc vadit : fateor vobis, non illi negamus quod petit : sed non præsumimus quia hinc bene exit. Non præsumo : non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pœnitentiam, et reconciliatus cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus [4]. » Et paulo post : « Numquid dico, damnabitur ? Non dico. Sed dico etiam, liberabitur ? Non. Et quid dicis mihi ? Nescio. Non præsumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare ? Vis quod incertum est evadere ? Age pœnitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam, dum

[1] Tob. III, 21 et 22.
[2] S. J. Chrysostomus, Homil. 24 in Matthæum, in illa verba : [illegible]
[3] Ad Hebr. x, 35.

[1] I Joan. III, 21 et 22.
[2] Daniel. XIII, 35.
[3] Tob. IV, 11 et 12.
[4] S. Augustinus, [illegible]

sanus es, et invenerit te novissimus dies, curre ut reconcilieris : si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore quo et peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam ipsam tunc quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Verum dicis. Unde? Nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item, si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum. » Qui veram volunt obtinere pœnitentiam, oportet quod convertant vires suas ad opera spiritualia, juxta illud Isaiæ : *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non ambulabunt, ambulabunt et non deficient*[1] *:* ut qui ante fuerunt fortes ad labores corporales, postea sint fortes ad labores spirituales.

E. Argumentum diffidentiæ habet, qui vilipendens gratiam redemptionis, in peccatis scienter jacet. Unde in Evangelio : *Scimus quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit*[2]. Et in Psalmo: *Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*[3]. Et Isaias : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum : et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis*[4].

F. Argumentum falsæ confidentiæ habet, qui putat justissimum Deum, in tantum vinci misericordia et pietate, ut tam bonos quam malos salvet in die judicii, eo quod pro omnibus mortuus est. Contra hoc dicit Dominus : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem, in vitam æternam*[5].

Argumentum falsæ confidentiæ habet, qui putat peccatorem, primam gratiam promereri posse, quando sibi placet.

Item, si quis credit, quod qui hic abundat in temporalibus bonis : quod post etiam in futuro, abundet in gaudio sempiterno. Contra hoc dicitur in Psalmo : *Videbunt justi* (scilicet divitem in inferno) *et timebunt : et super eum ridebunt, et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum : sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua*[6].

CAPUT XXXVII.

De Contemptu mundi.

A. Verus contemptus mundi est abrenuntiare mundi rebus temporalibus, pompis sæculi, dignitatibus, et prælaturis spiritualibus : et abstrahere se a cunctis amicis carnalibus, et moribus sæcularibus, propter spem beatitudinis æternæ.

[1] Isa. XL, 31.
[2] Joan. IX, 31.
[3] Psal. LXV, 18.
[4] Isa. LIX, 2.
[5] Matth. XXV, 46.
[6] Psal. LI, 8 et 9.

Ad hoc monet nos B. Joannes, in canonica sua dicens : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* [1]. Hunc contemptum habuit D. Augustinus, cum displicebat ei quidquid agebatur in sæculo : cumque colloquebatur cum matre sua valde dulciter, displicebat et vilescebat ei mundus inter verba, cum delectabiiibus suis [2]. Similiter B. Agnes, Catharina, Cæcilia, et aliæ virgines, regnum mundi, et omnem ornatum sæculi contempserunt propter amorem Domini nostri Jesu Christi.

B. Ad contemptum et odium mundi inducere nos debet, quod tantam infidelitatem exhibet in fine dilectoribus suis. Nam et hoc factum est creatori a mundanis, quem in die Palmarum gloriose susceperunt, exeuntes obviam ei, et cantantes : *Hosanna filio David! benedictus qui venit in nomine Domini : hosanna in altissimis* [3]! Sed post modum in sexta feria, processerunt clamantes coram Pilato : Crucificatur! Crucificatur! *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* [4]. Et cum penderet in cruce, deridebant eum dicentes : *Salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce* [5]. Et quem palmis, floribus, et frondibus susceperunt, vinculis spinis coronaverunt, virgis et flagellis ceciderunt. Et cui vestimenta in via straverunt, ante crucem omnibus vestibus nudaverunt et spoliaverunt : et gloriam exhibitam in contumeliam mutaverunt.

Ad ejusdem contemptum et odium nos inducere debet periculum ex amore mundi proveniens. Nam teste Jacobo : *Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur* [6]. Et quia mundus odivit Dominum Jesum, et omnes amicos ejus : sicut ipse dixit Apostolus ad consolationem : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit* [7].

C. Argumentum veri contemptus habet, qui non curat generis nobilitatem, nec quærit carnis voluptatem, nec divitias appetit, nec culmen honoris. Talis fuit Moyses, de quo Apostolus : *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis*, (contra nobilitatem) : *magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*, (contra voluptatem) : *majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi*, (contra divitias) : *adspiciebat enim in remuneratorem* [8].

Aliud argumentum veri contemptus mundi habet, qui nec sæculi blanditiis mulcetur, nec minis terretur, nec vituperio et laude humana movetur. In hoc contemptu fuit Apostolus, quando dixit : *Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam* [9].

D. Argumentum falsi contemptus mundi habet, qui ab amore sæculi et illecebris mundi tunc primo se abstinet, quando præ senectute et paupertate, se in ipsis exercere non valet. Tunc enim non relinquit mundum, sed a mundo relinquitur. Sicut, heu! quam plurimi sunt, qui primum peccare desistunt, quando amplius peccare non possunt.

[1] I Joann. II, 15.
[2] S. Augustin., Lib. VIII Confessionum, cap. 1, et Lib. IX Confess. cap. 10.
[3] Matth. xxi, 9.
[4] Joan. xviii, 30.
[5] Matth. xxvii, 40.
[6] Jacob. IV, 4.
[7] Joan. xv, 18.
[8] Ad Hebr. xi, 24 et seq.
[9] Ad Philipp. iii, 8.

CAPUT XXXVIII.

De Maceratione.

A. Maceratio carnis vera est, cum quis sponte castigat corpus suum jejuniis, vigiliis, orationibus, ciliciis, disciplinis, abstinentia cibi et potus delectabilis, ut in omnibus caro spiritui subjaceat. Hoc facit Apostolus, cum dicit : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* [1]. Et Judith, quæ pulchra et juvenis erat, vidua et dives, postquam manserat cum viro suo tribus annis a virginitate sua, et sex mensibus, habuit cilicium super lumbos suos : et jejunabat omnibus diebus, præter dies solemnes [2].

B. Ad amorem macerationis carnis inducere nos debet magna utilitas ex ea proveniens. Nam ex maceratione carnis, spiritus in negotiis spiritualibus roboratur. Juxta illud Apostoli : *Cum enim infirmor* (in carne), *tunc potens sum* [3] (in spiritu). Et contra : Ex mollitie carnis vigor spiritus in spiritualibus hebetur. Juxta illud D. Augustini : « Delicata caro animam concremat et consumit, sicut ignis stipulam [4]. »

C. Argumentum veræ macerationis est, cum carni nulla voluptas, sed sola necessitas impenditur, juxta illud Apostoli : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus* [5]. Nam voluptas multo plura delicatiora exigit, quam necessitas requirit : sed necessitas paucis est contenta. Et subjungit Apostolus malum consequens voluptatem, dicens : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* [6]. Et idem : *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia : quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* [7].

Aliud argumentum est, quando aliquis secundum consilium Jesu Christi, *odit animam suam in hoc mundo* [8]. Nam ipse Dominus ait : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* [9]. Quòd exponens D. Gregorius dicit : « Tunc etenim bene nostram animam odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus : cum ejus appetitum frangimus, ejus voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta, ad melius ducitur, quasi per odium ama-

[1] I ad Corinth. IX, 27.
[2] Cf. Judith, VIII, 4 et seq.
[3] II ad Corinth. XII, 10.
[4] S. AUGUSTINUS, Lib. de salutaribus documentis, cap. 65.
[5] Ad Roman. VIII, 12.
[6] Ibid., ℣ 13.
[7] Ad Galat. V, 19 et seq.
[8] Joan. XII, 25.
[9] Luc. XIV, 26.

tur [1]. » Qui autem animam suam a concupiscentiis non refrænat, in laqueos diaboli se præcipitat, secundum illud Ecclesiastici : *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis* [2]. Sicut Dalila tradidit Samsonem fortissimum Philisthæis, ad illudendum [3].

D. Argumentum veræ macerationis non habet, qui tantum ventrem et os suum coercet a cibi et potus voluptate : et linguam suam non compescit a verbis illicitis : nec visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum refrænat a delectationibus, neque cor a cogitationibus et affectionibus, voluptuosis. Parum est enim os et ventrem restringere a cibis, ubi cor et quinque sensus deliciis pascuntur. Unde D. Chrysostomus : « Qui a cibis abstinent, et male agunt, dæmones imitantur : quibus non esca, sed nequitia semper adest [4]. »

CAPUT XXXIX.

De Contritione

A. Contritio vera est dolor pro peccatis voluntarie assumptus, pro quantitate et qualitate criminum, cum proposito confitendi et satisfaciendi, proveniens ex gratia gratuita. Dolor enim naturalis, vel dolor sine gratia, nihil prodest aut valet. Quantitatem doloris exprimit Jeremias, cum dicit : *Luctum unigeniti fac tibi* [5]. Hanc præcepit Dominus in Joele, dicens : *Scindite corda vestra* [6]. Ad hanc scissionem valent spinæ, clavi, virgæ, flagella, crux et lancea, quæ scindebant corpus Domini nostri Jesu Christi.

Vera contritio rara est, teste D. Gregorio. Sciendum, quod sunt quidam qui etiam sæculum relinquentes, totum quidem quod habent, offerunt : et tamen in bonis quæ agunt, non compunguntur. Nec semper credendum est veram esse compunctionem, ubi gemitus apparent et lacrymæ : nam ex timore inferni, vel ex consideratione alicujus damni, vel ex naturali dolore, vel ex naturali compassione, sæpe solent talia provenire : cum recordatur aliquis enormitatem scelerum suorum, vel acerrimam passionem Jesu Christi. Ad veram contritionem exigitur dolor de omnibus peccatis commissis, et de omnibus bonis omissis, et de omnibus gratiis neglectis sibi et universitati : et etiam quæ occasione sui, committi vel negligi potuerunt.

B. Ad veram contritionem inducere nos debet, si fideliter cogitamus quid per peccatum amisimus, scilicet Spiritum sanctum cum suis donis : omnesque

[1] S. Gregorius M., Homil. [illegible] in Evangelium.
[2] Eccli. xviii, 31.
[3] Judicum, xvi, 4 et seq.
[4] Hanc sententiam Thomas Hibernicus in libro quem inscripsit *Flores Doctorum*, [illegible] Dominicus Nanus in *Polyanthea*, uterque verbo *abstinentia*, tribuit Ludovico in prophetam Amos.
[5] Jerem. vi, 26.
[6] Joel, ii, 13.

gratias gratuitas, amicitiam Trinitatis, societatemque cœlestis curiæ. Item, quid acquisivimus per peccatum, æternam scilicet mortem, maledictionem Dei Patris : teste Psalmista : *Maledicti qui declinant a mandatis tuis* [1] : odium Domini nostri Jesu Christi, qui odit omnes operantes iniquitatem : elongationem Spiritus sancti, qui etiam *aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu*, sicut dicitur in libro Sapientiæ [2]. Multo magis autem ab his operibus malis. Hæc enim pejora sunt et horribiliora, quam ipsa pœna gehennæ, ut dicit D. Chrysostomus [3].

Ad idem nos inducere debet utilitas maxima, ex ea proveniens. Nam minima contritio omnes animæ maculas delet, mortem æternam occidit, benedictionem Dei Patris confert, amicitiam Filii Dei reddit, familiaritatem Spiritus sancti societatemque civium supernorum restituit. Et quantumque sit parva contritio, magis satisfacit quam maxima eleemosynarum largitio. Hœc omnia sæpe ponderata in statera cordis, inductiva sunt veræ compunctionis.

C. Argumentum veræ contritionis habet, qui in tantum detestatur peccati immunditiam, quod omnem pœnam purgatorii libentius eligeret, quam quod contra benignissimum Deum umquam peccatum aliquod efficeret. Et qui ad pœnam infernalem se potius exhiberet (sicut Eleazarus), quam umquam de cætero, ex proposito aliquod peccatum committeret. Quod etiam eligendum esse dicit D. Augustinus [4]. Et qui pœnam omnium martyrum libentissime sustineret, ut per hoc mereri posset, quod de cætero aliquod peccatum numquam perpetraret. Et qui ad omnem afflictionem infirmorum et pauperum se offerret, ut pro offensa Deo digne satisfacere posset.

D. Argumentum falsæ contritionis habet, qui quamvis peccata commissa vehementer defleat, tamen continuo post dolorem, eadem vel alia committere non formidat. Contra hoc dicitur in Ecclesiastico : *Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius* [5] ?

Similiter, Qui de peccatis præteritis dolet, et de cætero peccata dimittere non proponit : scilicet superbiam, invidiam, carnalem amicitiam, carnis delectationem, injustam possessionem. De qua dicit D. Augustinus : « Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum [6]. » Contra hoc dicitur in Ecclesiastico : *Unus ædificans, et unus destruens : quid prodest illis, nisi labor* [7] ? Destruit qui de peccatis dolet : ædificat qui in voluntate peccandi manet. De tali ædificatione dicit D. Augustinus : « Ex voluntate perversa, facta est libido : et dum servitur libidini, facta est consuetudo : et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas [8]. »

[1] Psal. CXVIII, 21.
[2] Sapient. I, 5.
[3] S. J. CHRYSOSTOMUS, Homil. 48 ad populum Anthiochenum.
[4] S. AUGUSTINUS, Tract. XI in Evangel. Joannis.
[5] Eccli. XXXIV, 30.
[6] S. AUGUSTINUS, Epist. 54 ad Macedonium.
[7] Eccli. XXXIV, 28.
[8] S. AUGUSTINUS, Lib. VIII Confessionum, cap. 5.

CAPUT XL.

De Confessione.

A. Confessio vera est sincera peccatorum absque velamine coram sacerdote legitimo manifestatio. Hanc præcepit Dominus, quando leprosis dicit : *Ite, ostendite vos sacerdotibus* [1]. Et B. Jacobus : *Confitemini alterutrum peccata vestra* [2].

B. Ad veram confessionem exigitur, quod sit integra, pura, discreta, fidelis, et perfecta. Juxta illud Threnorum : *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini* [3]. In effusione notatur integritas. Non enim ex proposito dicenda sunt guttatim peccata, de quibus numquam tota est confessio : sed quidquid potest simul cogitari, totum coram uno sacerdote simul debet effundi.

Sicut aquam. Ubi notatur quod simplex debet esse et pura : non ex timore servili vel coactione facienda est confessio, sed pure et simpliciter propter Deum.

Cor tuum. Ubi notatur discretio. Non enim confitenda sunt solum verba et facta, commissiones et omissiones, sed etiam cogitationes immundæ et morosæ affectiones inordinatæ intentiones, noxiæ voluntates, perversa judicia, et suspiciones temerariæ [4]. Nam dicit Origenes, quod in illa die, accusabunt cogitationes animas, et defendent. Non cogitationes quæ tunc erunt, sed quæ nunc sunt in nobis : quarum quædam notæ relinquentur in corde velut in cera.

Ante conspectum Domini. Ubi notatur fidelitas et perfectio. Secundum agnitionem quippe Dei omnia consideranda sunt. Ubi enim nos unum peccatum agnoscimus, ipse in sapientia cognoscit mille.

C. Ad confessionem veram inducere nos debet certa remissio peccatorum, et mundatio animæ : juxta illud : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate* [5]. Et quia ad remissionem et propitiationem adstringitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, secundum illud : Et si omnia novit Deus, vocem tamen confessionis exspectat. Habet enim causam, ut pro te interveniat Christus. Habet et causam ignoscendi Pater. Et quidquid vult Filius, vult et Pater et Spiritus sanctus.

D. Argumentum veræ confessionis habet, qui omnia peccata sicut aquam effundit. Non ut remaneat color, sicut in effusione lactis : nec pinguedo vel sapor, ut in effusione olei vel sanguinis : nec odor, ut in effusione vini vel aceti. Color remanet, quando dicitur peccatum, et reticetur occasio, vel provocatio ad peccandum : ut fit in gula, vel in fornica-

[1] Luc. xvii, 14.
[2] Jacobi, v, 16.
[3] Thren. ii, 19.

[4] Origenes, In cap. ii epist. ad Romanos, in hæc verba : [illegible]
[5] I Joannis, i, 9.

tione. Pinguedo vel sapor remanet, cum dicitur peccatum, et reticetur quantitas vel diuturnitas delectationis, in qua ratio penitus absorbetur : juxta illud Psalmistæ : *Et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus* [1]. Odor manet, cum dicitur peccatum, et tacetur infamia, vel malum exemplum et scandalum aliorum. Sed vere confitens manifestat ipsum peccatum, et antecedentia peccatum, et subsequentia.

Argumentum veræ confessionis est, cum confitetur quis peccata sua in numero, pondere, et mensura. In numero confitendum est, id est, vices peccatorum : quia vulnus sæpius renovatum, tardius sanatur. Item, in mensura, quando quis confitetur diuturnitatem peccati. Qui enim diutius infirmatur, citius moritur. In pondere, id est, gravitate. Aggravatur enim peccatum ex sacro loco, ut est cœmeterium vel Ecclesia. Ex sacro tempore, vel ex persona : ut si clericus qui læditur : si monialis vel conjugata, cum qua peccatur.

E. Argumentum falsæ confessionis est, cum propter hoc aliquis confitetur, ne infidelis dicatur : vel, ut sanctior reputetur : vel, ne sibi sacra communio cum confusione denegetur. Sic confitebatur Saul, ne a Propheta Samuele coram populo confunderetur [2].

CAPUT XLI.

De Pœnitentia.

A. Pœnitentia vera exterior est abstinentia a licitis, cum de illicitis venia postulatur, ut dicit Scriptura. Sic pœnitentes et claustrales a carnibus abstinent, delicatas vestes abjiciunt, jejunia servant, vigiliis insistunt, disciplinis se affligunt, silentium tenent, propriam voluntatem frangunt, et a multis delectationibus abstinent, quæ licita eis essent, si numquam illicita commisissent. Hanc præcepit Dominus, et B. Joannes Baptista, dicentes : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* [3].

B. Ad veram pœnitentiam nos inducere debet necessitas. Nam sine ipsa non est salus, dicente Domino : *Si non pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis* [4]. Et D. Augustinus : « Peccata, inquit, sive parva sive magna sint, impunita esse non possunt. Unde Dominus indixit Davidi pœnitentiam pro peccato suo, eo quod numeravit populum suum : ut vel sustineret septem annis famem super terram : vel tribus mensibus, vindictam inimicorum : vel tribus diebus pestilentiam. Et elegit David sibi et populo communem plagam mortis. Per hoc significatur, quod necessario quilibet pro peccatis suis punietur in inferno, quod significat septem anni famis : vel in purgatorio, quod significat violentia inimicorum tribus mensibus : vel temporali pœna, quod significat pestilentia trium

[1] Psal. CVIII, 18.
[2] Cf. Regum, XIII, 11 et 12.
[3] Matth. III, 2 et IV, 17.
[4] Luc. XIII, 5.

dierum. Sic utile est nobis eligere pœnitentiam levissimam, et subito transeuntem [1]. »

C. Argumentum veræ pœnitentiæ est, debita commensuratio pœnæ contra culpam : ut secundum quantitatem culpæ, sit quantitas et gravitas pœnæ : secundum delectationem culpæ, sit amaritudo pœnæ : secundum diuturnitatem culpæ, sit diuturnitas pœnæ : et secundum multiplicitatem culpæ, sit multiplicitas pœnæ : juxta illud Joannis : *Facite fructum dignum pœnitentiæ* [2]. Sicut enim singulæ infirmitates corporis habent necessario singulas medicinas, et nulla tam efficax est ut sanet omnes ægritudines : ita et singula peccatorum genera specialem habent pœnitentiam. Non enim directe emendatur superbia per eleemosynam, rancor et invidia per orationem, avaritia per jejunium, impudicitia per vigilias, etc. Sed de superbia directe satis fit per humilitatem, de avaritia per eleemosynarum largitionem, de impudicitia per carnis castigationem in cilicio et disciplina, de gula per jejunium, de loquacitate per orationem, de invidia per charitatem et remissionem injuriæ, de rapina et injustis possessionibus per restitutionem, etc. Quod si quis, ut dicit D. Chrysostomus, non potest explere omnem satisfaciendi ordinem, tunc benignus Dominus qualemcumque suscipit emendam. Tunc pro injustis rebus valet jejunium, si non potest restituere : si non potest jejunare, valet oratio : si non potest orare præ infirmitate, sufficit Deo bona voluntas.

D. Argumentum falsæ pœnitentiæ ponit Innocentius : « Falsa est pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel curiali negotio non recedit, quod sine peccatis agi nullatenus prævalet : aut si odium in corde gesserit : aut si offenso cuilibet non satisfaciat : aut si offendenti offensus non indulgeat : aut si arma quis contra justitiam gerat. »

Item. Falsa est pœnitentia, quando unum peccatum emendatur, et de alio non curatur.

CAPUT XLII.

De Perseverantia

A. Perseverantia vera est in bonis operibus frequens exercitatio, continuum studium ad perfectionem, spiritualium gratiarum et virtutum diligentissima usque ad mortem observatio. Ad hanc invitat nos Dominus in Apocalypsi : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* [3]. Hanc habuit Job, cum dixit : *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea* [4]. Et Tobias, qui corpora mortuorum occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepelivit : licet cum rex

[1] In librum sententiarum ex Augustino. Sent. 210.
[2] Matth. III, 8 et Luc. III, 8.
[3] Apocal. II, 10.
[4] Job. XXVII, 5.

propter hoc spoliari jusserit et occidi [1].

B. Ad amorem perseverantiæ inducere nos debet maxima utilitas ex ea proveniens. Nam ex ea omne opus bonum, et omnis virtus coronabitur, et tota salus nostra in ea consistit : secundum illud Domini nostri Jesu Christi : *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit* [2]. Sine qua nulla virtus vel opus remunerabile est. Sine qua omnis perfectio in nihilum redigitur. Quid enim profuit Apostolo et traditori Judæ, quod ipsum Dominus de mundo elegerat? Quid profuit diuturnitas familiaritatis Jesu Christi? Quid sancta prædicatio quam sæpe ab ipso audierat? Quid exempla, virtutes, et miracula, quæ ab ipso viderat? Quid societas Apostolorum? Quid gratia ei collata ad prædicandum, et ad miracula faciendum? Nam ei cum aliis Apostolis dixit : *Euntes prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite* [3].

C. Argumentum veræ perseverantiæ habet, qui nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promissis, a rectitudine recedit. Sicut Susanna mortem non timens, dixit : *Si hoc* (id est, peccatum) *egero, mors mihi est* [4]. Et Mathathias : *Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis ejus : ego, et filii mei, et fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus* [5]!

D. Argumentum falsæ perseverantiæ habet, qui de sua sanctitate falso præsumit, quod cadere non possit. Ex hoc nascitur animi libertas : exinde non habet custodiam sui : et sic est impossibile hominem in sanctitate posse perseverare. Et si Apostoli essent in mundo, et non haberent custodiam sui, cadere possent. Exemplum de David qui homicidium et adulterium perpetravit, quia negligens fuit in custodia oculorum suorum [6].

[1] Cf. Tob. I, 20 et seq.
[2] Matth. X, 22.
[3] Ibid., ỳỳ. 7 et 8.
[4] Daniel. XIII, 22.
[5] I Machab. II, 19 et seq.
[6] Cf. II Regum, XI, 2 et seq.

EPILOGUS.

Confitebor tibi. Deus sanctissime, cum omnibus lacrymis et guttis sanguineis dilectissimi Filii tui, quod adhuc non perveni ad principium alicujus virtutis, in ea perfectione sicut hic scriptum est. Gaudeo tamen, quod omnes virtutes perfectius habebimus quam humanus valeat apprehendere intellectus. Confiteor tibi, Domine, quod beatus est in præsenti, et beatior erit in futuro, qui has virtutes habet in ea perfectione, sicut hic scriptæ sunt, licet forte minus sufficiant ad salutem.

B. Peto etiam, Domine, cum omni desiderio Filii tui, et Spiritus sancti, et omnium creaturarum, ut des mihi discretionem inter virtutes gratuitas, et naturales, et similitudines virtutum. Et quicumque legerit hanc materiam, vel de ipsa audierit, vel cogitaverit, tu, omnipotens Deus, confer ei saltem unicam, veram, et perfectam virtutem. Certus sum, quod qui habuerit unam a te, Domine, omnes simul habet [1]. Et qui crescit in una simul crescit in omnibus : et qui in una decrescit, in omnibus simul decrescit : et qui una caruerit, nullam habet : quia omnes unitæ sunt in gratia [2]. Amen.

[1] Philo Judæus, de vita Moysis, lib. II. S. Ambrosius, Lib. II Officiorum cap. 9. S. Hieronymus, Epist. ad Fabiolam. S. Augustinus, Lib. VI de Trinitate, cap. 4.
[2] S. Gregorius M., Lib. XXI Moralium cap. 3.

INDEX

Capitum Libelli de Virtutibus juxta ordinem quo singula explicantur.

INDEX

Rerum notabilium quæ in Libello de Virtutibus continentur.

N.-B. — Numerus prior romanus indicat caput, et littera partem capitis. V. g. *Abstinentia vera et perfecta, quæ? VII, A.* Expositio hujus sententiæ invenitur in capite septimo, ad litteram A.

A

C

D

E

F

G

H

I

J

L

Z

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

DE ADHÆRENDO DEO

LIBER.

CAPUT I.

De ultima et summa perfectione hominis, quantum in hac vita possibile est.

Cogitavi mihi aliquid ultimate (in quantum possibile est in hujus exsilii et peregrinationis immoratione) depingere, scriptitando de et super ab omnibus plena et possibili abstractione, et cum solo Domino Deo expedita, secura, et nuda firmaque adhæsione : præsertim cum ipsius Christianæ perfectionis finis sit charitas, qua Domino Deo adhæretur.

Ad quam quidem adhæsionem charitativam omnis homo de necessitate salutis tenetur, quod fit præceptorum observantia, et divinæ voluntatis conformitate : quorum observantia excludit omne quod repugnat charitatis essentiæ et habitui, cujusmodi sunt peccata mortalia. Religiosi vero adstrinxerunt se etiam ad Evangelicam perfectionem, atque ad ea quæ supererogationis et consilii sunt, per quæ expeditius ad ultimum finem, qui Deus est, pervenitur : per quorum observantiam excluduntur ea etiam quæ impediunt actum seu fervorem charitatis, quo minus possit quis in Dominum Deum ferri, cujusmodi sunt abrenuntiatio omnium rerum, corporis insuper et animæ, professionis dumtaxat voto excepto. Quoniam quidem *Spiritus* cum sit Dominus *Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*[1], id est, cognitione et amore, intellectu et affectu, ab omnibus phantasma-

[1] Joan. IV, 24.

tibus nudis. Hinc est et illud Matthæi, vi, 6 : *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum*, id est, cordis tui intima : *et clauso ostio*, scilicet sensuum tuorum, et inibi corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, *ora Patrem tuum*, in spiritu et veritate, *in abscondito*. Quod tunc congrue fit, cum homo ab omnibus aliis fuerit exoccupatus et exutus, et totus intra se receptus : ubi universis et singulis exclusis et oblitis, coram Jesu Christo, tacito ore, sola mens desideria sua secure Domino Deo suo fiducialiter pandit, ac per hoc toto cordis et amoris affectu se in eum intimissimis medullis omnium virium suarum sincerissime ac plenissime diffundit, et immergit, dilatat et inflammat, et resolvit in se.

CAPUT II.

Qualiter quis, omnibus aliis spretis, soli Christo inhæreat et intendat?

Verumtamen quicumque talem statum aggredi et ingredi desiderat et satagit, opus est omnino, ut velut clausis oculis et sensibus, de nulla re se penitus implicet aut perturbet, sollicitus sit aut curet : sed cuncta tamquam impertinentia et noxia ac perniciosa funditus excutiat : deinde se totum intra se recipiat, nec aliud umquam objectum inibi mente attendat, quam solum Jesum Christum vulneratum : sicque per eum in eum, id est, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima divinitatis suæ, sedulo et obnixe intendat : ibique se suaque singula ac cuncta, indiscusse, suæ infatigabili providentiæ committat expedite et secure, juxta illud Petri : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum*[1], qui potest omnia. Et iterum : *Nihil solliciti sitis*[2]. Et rursus : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*[3]. Et iterum : *Mihi adhærere Deo bonum est*[4]. Et : *Providebam Dominum in conspectu meo semper*[5]. Et sponsa in Canticis : *Inveni quem diligit anima mea*[6] : quippe *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*[7].

Nempe hic est thesaurus ille cœlestis absconditus, nec non margarita pretiosa, quæ præ omnibus comparata fiducia humili, conatu instantissimo, taciturnitate tranquilla, etiam usque ad corporalis commodi, laudis vel honoris jacturam, in fortitudine spiritus quæritur. Alioquin quid proficit religiosus, si totum mundum lucretur, et animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quid relevat status, professionis sanctitas, perfectionis habitus, tonsura, et exterioris dispositio conversationis, sine vita in spiritu humilitatis et veritatis, ubi Christus habitat per fidem charitate formatam? Hinc est illud Lucæ, xvii, 21 : *Regnum Dei intra vos est*, quod est Christus Jesus.

[1] I Petri, v, 7.
[2] Ad Philipp. iv, 6.
[3] Psal. liv, 23.
[4] Psal. lxxii, 28.
[5] Psal. xv, 8 et Act. ii, 25.
[6] Cantic. iii, 4.
[7] Sapient. vii, 11.

CAPUT III.

Quæ sit conformitas perfectionis hominis in hac vita?

Porro quanto plus mens sollicita est ad ista inferiora et humana cogitanda et tractanda, tanto plus a superioribus et cœlestibus per devotionis intima elongatur : et quanto ferventius ab inferiorum memoria, affectu et intellectu ad superiora sensus colligitur, tanto perfectior erit oratio, et purior contemplatio : quia simul perfecte non potest esse utrisque intenta, quæ sicut lux et tenebræ sunt divisa. Quippe qui Deo adhæret, versatur in lumine : qui vero mundo adhæret, in tenebris est. Qua ex re, est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita Deo uniri ut tota anima cum omnibus potentiis suis et viribus in Dominum Deum suum sit collecta, ut unus fiat spiritus cum eo, et nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat vel intelligat nisi Deum, et omnes affectiones in amoris gaudio unitæ, in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant.

Imago enim Dei in his tribus potentiis in anima expressa consistit, videlicet, ratione, memoria, et voluntate. Et quamdiu illæ ex toto, Deo impressæ non sunt, non est anima deiformis juxta primariam animæ creationem. Forma nempe animæ Deus est, cui debet imprimi, sicut cera sigillo, et signatum signo signatur. Hoc autem numquam plene fit, nisi cum ratio perfecte juxta capacitatem suam illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas, et voluntas perfecte afficitur ad amandam summam bonitatem, et memoria plene absorbetur ad intuendum et fruendum æterna felicitate, et ad suaviter et delectabiliter in ea quiescendum. Et quia in horum consummata adeptione consistit gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria, liquet quod istorum perfecta inchoatio est perfectio in hac vita.

CAPUT IV.

Qualiter operatio humana debeat esse in solo intellectu, et non in sensibus?

Felix ergo qui per abstersionem continuam phantasmatum et imaginum, ac per introversionem et inibi per sursum ductionem mentis in Deum, tandem aliquando obliviscitur phantasmatum quodammodo, ac per hoc consequentes ope-

ratur interius nudo ac simplici ac puro intellectu et affectu circa objectum simplicissimum Deum. Omnia igitur phantasmata, species, imagines, ac formas rerum omnium citra Deum a mente rejicias, ut in solo nudo intellectu et affectu ac voluntate tuum pendeat exercitium circa Deum intra te.

Nempe finis omnium exercitiorum hic est, scilicet intendere et quiescere in Domino Deo intra te per purissimum intellectum, et devotissimum affectum sine phantasmatibus et implicationibus. Hujusmodi autem exercitium non fit in organis carneis, et sensibus exterioribus, sed per quod quis homo est : homo vero quis est intellectu et affectu. Et idcirco quamdiu homo cum phantasmatibus et sensibus ludit, et eis insistit, videtur nondum exisse motus et limites bestialitatis suæ, hoc est, illius quod cum bestiis habet commune. Quia illæ per phantasmata et per tales sensitivas seu sensibiles species cognoscunt et afficiuntur, et non aliter, eo quod altiorem vim animæ non habeant. Secus est de homine, secundum intellectum et affectum et liberum arbitrium, ad Dei imaginem et similitudinem creato, quibus debet Deo immediate, pure et nude imprimi, et uniri, firmiterque inhærere.

Quamobrem diabolus diligentissime et maxime conatur impedire illud exercitium, quantum potest, ex quo est quodammodo præambulum et initium vitæ æternæ, invidens super hoc homini. Idcirco nititur semper mentem hominis alienare a Domino Deo, nunc per istas, nunc per illas tentationes seu passiones, nunc sollicitudine superflua et cura indiscreta, nunc turbatione, et conversatione dissoluta, curiositateque irrationabili : nunc per studia librorum subtilium, colloquia aliena, rumores et novitatem ; nunc per aspera, nunc per contraria, etc. Quæ tamen etsi nonnunquam levia et tamquam nulla videantur peccata, tamen magna sunt impedimenta hujus sancti exercitii et operis. Et ideo, etiamsi utilia et necessaria visa fuerint, sive magna sive parva, ut noxia et perniciosa illico sunt rejicienda penitus, et a sensibus propellenda.

Summopere igitur necessarium est, ut audita, visa, facta, et dicta, et cætera similia sine phantasmatibus, imaginibus et occupationibus recipiantur, nec etiam ex consequenti vel antea vel tunc super hoc phantasmata et implicationes formentur et nutriantur. Et ita quando phantasma non venit ad memoriam et mentem, tunc non impedit hominem, sive in oratione, meditatione, et psalmodia, sive in alia quacumque operatione et exercitatione spirituali, nec rursum iterato occurret ei.

Et sic expedite secureque te totum, etiam plene omnia et singula committe infallibili et certissimæ divinæ providentiæ cum silentio et quiete, et ipse pugnabit pro te : et melius, honestius ac dulcius liberabit te et consolabitur, quam si tu semper die noctuque de hoc continue phantasiareris, et vana vagaque ac captiva mente fatue sic et sic, hinc et inde discurreres errabundus, necnon mente et corpore deficiens tempus perderes, et vires stulte ac irrationabiliter consumeres.

Cuncta ergo et singula, undecumque et qualitercumque occurrentia ortum habeant, sic accipe cum taciturnitate et tranquillitate æquanimiter, quemadmodum de manu paternæ divinæque providentiæ tibi venirent. Nuda igitur te a phantasmatibus omnibus rerum corporearum, juxta tui status et professionis exigentiam, ut nuda mente et sincere inhæreas ei cui te multipliciter et totaliter devovisti, ut nihil quodammodo possibile sit medii inter animam tuam et ipsum, ut pure fixeque fluere possis a vulneribus humanitatis in lumen suæ divinitatis.

CAPUT V.

De cordis puritate, quæ est præ omnibus sectanda.

Si igitur recto et securo tramite ac breviter ad finem beatitudinis viæ et patriæ, gratiæ et gloriæ, pervenire desideras et satagis, tunc intenta mente sedulo adspira ad perpetuam cordis munditiam, et puritatem mentis, ac sensuum tranquillitatem : atque cordis affectum recollige, et jugiter defige sursum in Dominum Deum, et inter hæc abstrahe te a familiaribus tuis, et ab omnibus hominibus, in quantum in te est, et negotiis hujusmodi propositum tuum impedientibus, semper captans opportunitatem, ubi et quando possis locum, tempus, et modum reperire quietis ac contemplationis, carpens silentii secreta, præsentisque sæculi vitare naufragia, necnon perstrepentis mundi fugere perturbationes.

Qua de re omni tempore puritati, munditiæ, ac quieti cordis principaliter stude : ut videlicet continue, velut clausis carnalibus sensibus, in temetipsum convertaris, et cordis ostia a formis et phantasmatibus sensibilium, et imaginationibus terrenorum, quantum possibile est, habeas diligenter serata.

Nempe cordis puritas, inter omnia exercitia spiritualia quodammodo (tamquam finalis intentio, ac laborum omnium retributio, quam in hac vita spiritualis quisque et vere religiosus recipere consuevit) sibi vindicat principatum.

Idcirco cor tuum, sensus, et affectum, cum omni diligentia, solertia et conatu, absolvas ab his omnibus quæ libertatem ipsius possent impedire, insuper ab omni re mundi possibilitatem habente alligandi et vincendi te. Sicque cunctas dispersiones cordis, et affectiones mentis, in unum verum, simplex, et principalissimum bonum recolligere, et intra te tamquam in uno loco recollectas habere agoniza, ac per hoc rebus divinis Deoque mente semper inhærere, atque derelicta fragilitate terrena, cor ad superna in intimis tuis in Jesu Christo jugiter transformare conare.

Quapropter si incipis te nudare et purificare a phantasmatibus et imaginibus, et simplificare et tranquillare fiducialiter in Domino Deo cor tuum et mentem tuam, ut haurias et sentias fontem divini beneplaciti in omnibus interioribus tuis, et per bonam voluntatem sis Deo unitus in intellectu, sufficit tibi hoc pro omni studio et lectione sacræ Scripturæ, et ad dilectionem Dei et proximi, ut unctio docet.

Omni igitur studio, conatu, et labore simplifica cor tuum, ut a phantasmatibus immobilis et tranquillus convertaris, et stes in Domino semper intra te, tamquam si anima tua sit in illo nunc æternitatis, id est, divinitatis, taliter scilicet, ut amore Jesu Christi, de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta teipsum deseras, et totum te Deo in omni tribulatione et eventu totaliter plene committas, ejusque voluntati et beneplacito parere semper et patienter affectes.

Quod ut fiat, necesse est ut frequenter ad cor redeas, et in eo persistas, et ab omnibus, quantum possibile est, teip-

sum absolvas : mentis oculum semper in puritate et tranquillitate custodias : intellectum a phantasmatibus et formis rerum infirmarum præserves : voluntatis affectum a curis terrenorum penitus absolvas, et summo vero bono amore fervido radicitus inhæreas : memoriam quoque jugiter habeas sursum elevatam, et in ipso eodem vero summo bono ac solo essentiali et increato firmiter stabilitam : ita dumtaxat, ut tota anima cum omnibus potentiis et viribus suis in Deum recollecta, unus fiat spiritus cum eo, in quo summa perfectio viæ consistere cognoscitur.

Hæc vero unitas spiritus et amoris est, quo homo omnibus votis supernæ et æternæ voluntati conformis efficitur, ut sit per gratiam, quod Deus est per naturam.

Interea animadvertendum, quod in eo ipso momento, quo quis suam Dei auxilio potest vincere voluntatem, id est, inordinatum amorem aut zelum a seipso abjicere, sic scilicet, ut Domino Deo de omni sua necessitate audeat plane totaliter confidere, hoc ipso facto in tantum Deo complacet, ut suam ei gratiam largiatur, et per ipsam gratiam veram sentiat charitatem et dilectionem, omnem ambiguitatem et timorem expellentem, in Deoque confidenter sperantem. Itaque nihil beatius esse potest, quam omnia in illo ponere, in quo nullus est defectus.

Proinde quamdiu stas in te,et non stas, projice te totum in Deum secure, et suscipiet te, sanabit et salvabit te. Hæc si continue intra te veraciter revolveris, plus tibi ad beatam vitam conferent, quam omnes divitiæ, deliciæ, honores, insuper et omnis sapientia et scientia hujus sæculi fallacis, et corruptibilis mundi et vitæ, etiamsi in his excelleres omnes qui umquam fuerunt.

CAPUT VI.

Quod adhærere debet homo devotus Deo, nudato intellectu et affectu.

Et quia quanto magis te nudaveris a phantasmatibus et implicationibus exterioribus mundanis et sensibilibus, tanto magis anima tua recuperabit vires et interiores sensus suos, ut sapiant ei quæ sursum sunt. Disce ergo abstinere a phantasmatibus et imaginibes rerum corporalium, quia super omnia placet Deo mens nuda ab hujusmodi formis et speciebus, cujus etiam deliciæ sunt esse cum filiis hominum, videlicet qui a talibus occupationibus et distractionibus et passionibus tranquilla, pura et simplici mente sibi intendunt, vacant et adhærent. Alioquin si in talibus memoria, imaginatio et cogitatio tua sæpe vacat, necesse est, vel rebus novis, vel reliquiis antiquorum definiri, vel secundum alia objecta varie qualificari. Unde Spiritus sanctus *aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu*[1].

Verus itaque Jesu Christi amator sic debet esse unitus intellectu per bonam voluntatem divinæ voluntati et bonitati, et nudus ab omnibus phantasmatibus et passionibus, ut non advertat si deridea-

[1] Sapient. I, 5.

tur, diligatur, vel quidquid sibi inferatur. Voluntas namque bona omnia complet, super omnia est. Unde si voluntas adsit bona, et Deo in intellectu pure conformis et unita fuerit, non nocet si caro et sensualitas et exterior homo moveatur ad malum, et torpeat ad bonum, aut etiam si interior homo torpet devotionem affectare, sed tantum fide et bona voluntate adhærere debet Deo in intellectu nude. Et hoc facit, si omnem imperfectionem et nihileitatem suam animadvertat, et cognoscat bonum suum in solo Creatore consistere, et cum suis potentiis et viribus se ac cunctas creaturas relinquit, atque ex toto et totum se in Creatorem suum immergit, ita quod omnes operationes suas dirigit pure ex toto in Dominum Deum suum, nec extra eum quidquam quærit, in quo percipit invenisse omne bonum, et omnem felicitatem perfectionis. Et sic transformatur quodammodo in Deum, quod nec cogitare, nec intelligere, nec amare, nec memorare potest, nisi Deum pariter et de Deo : creaturas autem alias et seipsum non videt, nisi tantum in Deo, nec diligit nisi solum Deum, nec memoratur de eis vel de se, nisi in Deo.

Hæc vero cognitio veritatis semper facit animam humilem, seipsam, non alium judicantem : sed econtra mundana sapientia facit animam superbam, vanam, turgidam, et vento inflatam. Sit itaque hæc spiritualis et fundamentalis doctrina, quod accedens ad Dei notitiam, servitium et familiaritatem, et si vis Deum veraciter possidere, necesse est quod cor tuum denudes omni amore sensibili, non tantum cujuscumque personæ, sed etiam cujuscumque creaturæ, ut simplici ac toto corde, secundum omne tuum posse, tendas in Dominum Deum tuum creatorem, libere, absque omni duplicitate, cura et sollicitudine, plena fiducia in sola ejus providentia de omnibus.

CAPUT VII.

Qualiter cor sit recolligendum intra se?

Præterea, sicut dicitur in libro de *Spiritu et anima* [1], ascendere ad Deum, hoc est intrare in seipsum. Qui enim interius intrans, et intrinsecus penetrans seipsum transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit. Ab hujus ergo mundi distractionibus cor nostrum colligamus, et ad interiora gaudia revocemus, ut aliquando in divinæ contemplationis lumine hoc figere valeamus. Nam hæc est vita et requies cordis nostri, cum in Dei amore per desiderium figitur, et ejus consolatione suaviter reficitur.

Sed quod in hujus rei experimentali degustatione multipliciter impedimur, et nequaquam ad ipsum pertingere sufficiamus, ratio in promptu est, quia mens humana sollicitudinibus distracta, non intrat se per memoriam, phantasmatibus obumbrata, non redit ad se per intellectum, concupiscentiis illecta, ad seipsam nequaquam revertitur per desiderium suavitatis internæ et lætitiæ spiritualis : ita totaliter in his sensibilibus

[1] Lib. de Spiritu et anima, cap. 21.

et præsentibus jacens, non potest ad se tamquam ad imaginem Dei intrare.

Oportet ergo et necesse est, ut cum humilitatis reverentia ac fiducia nimia mens elevet se supra se et omne creatum per abnegationem omnium, et ut dicat intra se : Quem ex omnibus, et præ omnibus, et super omnia quæro, diligo, appeto, et desidero, non est sensibilis neque imaginabilis, sed super omne sensibile et intelligibile : nullo umquam sensu est perceptibilis, sed pleno desiderio totus desiderabilis : non insuper est figurabilis, sed intimo affectu perfectissime appetibilis : non est æstimabilis, sed mundo corde totus affectibilis, quia super omnia amabilis et delectabilis, infinitæque bonitatis et perfectionis. Et tunc fertur in mentis caliginem, et altius intra se elevatur, et profundius ingreditur.

Et hic modus ascendendi usque ad ænigmaticum contuitum sanctissimæ Trinitatis in unitate, unitatis in Trinitate, in Jesu Christo, tanto est ardentior, quanto vis ascendens illi est intimior, et tanto fructuosior, quanto affectu proximior. Quippe in spiritualibus illa sunt superiora quæ intimiora, quoad experientias spirituales.

Quapropter numquam desistas, numquam quiescas, donec futuræ illius plenitudinis aliquas (ut ita dicam) arrhas seu experientias degustes, et donec divinæ suavitatis dulcedinem per quantulascumque primitias obtineas, et in odorem ipsius post eam currere non desinas, donec videas Deum deorum in Sion. In spirituali enim profectu, et cum Dei intra te unione et adhæsionæ, non quiescas, nec retrocedas, donec assecutus fueris quod intendis.

Exemplum hujus accipe in simili ab ascendentibus montem naturalem. Si enim spiritus noster, in his quæ deorsum transeunt, se per cupidinem immerserit, statim per infinitas distractiones et itinera obliqua rapitur, et a se quodammodo divisus dissipatur, et quasi in tot spargitur, quot ea sunt quæ per desideria concupiscit. Hinc motus sine stabilitate, cursus sine perventione, labor sine requie. Si vero cor et spiritus noster ab hac infimorum infinita distractione, quæ deorsum est, per desiderium et amorem se traxerit, et hæc intima deferens paulatim se intra se in unum immutabile sufficiens bonum colligens, secum esse didicerit, et ei inseparabiliter quodam affectu inhæserit, tanto amplius in unum colligitur et fortificatur, quanto magis agnitione et desiderio sursum elevatur, et in ipso vero summo bono intra se habituatur, donec tandem omnino immutabilis fiat, et ad illam veram vitam, quæ ipse Dominus Deus est, immutabiliter perveniat : ut perpetuo, sine omni mutabilitatis et temporis vicissitudine, requiescat jam in illo intrinseco, et quieto, ac secreto divinitatis mansione, perfecte collocatus intra se in Christo Jesu, qui est via ad se venientibus, veritas, et vita [1].

[1] Joan. xiv, 6.

CAPUT VIII.

Quomodo in quolibet eventu homo devotus se debeat Deo committere?

Credo jam et arbitror, quod ex hucusque deductis cognoscas, quod quanto magis magisque te nudaveris a phantasmatibus, et omnibus rebus mundialibus et creatis, ac per bonam voluntatem intellectu Deo unitus fueris, tanto magis ad statum innocentiæ et perfectionis appropinquas. Quo quid melius? quidve felicius ac jucundius? Super omnia ergo valet, ut teneas mentem nudam sine phantasmatibus et imaginibus, et a quibuscumque implicationibus, ut nec de mundo, nec de amicis, nec de prosperis, nec de adversis, præsentibus, præteritis, vel futuris, in te nec in aliis, nec etiam nimis de propriis peccatis sollicíteris : sed cum quadam puritatis simplicitate te esse cum Deo extra mundum nude cogita, ac si anima tua jam esset in æternitate extra corpus separata, utique non tractaret sæcularia, nec curaret de statu mundi, nec de pace, nec de guerra nec de sereno, nec de pluvia, et plane nec de aliquo hujus sæculi ; sed soli Deo conformiter totaliter intenderet, vacaret, et inhæreret. Sic suo modo vel nunc relinque corpus tuum, et omnia præsentia et futura creata, et defige aciem mentis ac spiritus tui fixe, secundum omne tuum posse, nude et expedite, in illud increatum lumen. Et sic ab omnibus phantasmatibus et involutionibus ac obnubilationibus depuratus sit spiritus tuus, tamquam Angelus corpori alligatus, qui per operationem carnis non impeditur, nec cogitationibus vanis ac vagis implicatur.

Fortificet ergo se spiritus contra quascumque tentationes, vexationes, injurias, ut æquanimiter inconcusse in utraque fortuna perseveret in Deo. Et cum adest turbatio, aut acedia, vel mentis confusio, non propterea insolescas, aut pusillanimis sis, nec propter hoc curras ad orationes vocales, aut alias consolationes : sed hoc solum ut resuscites te per voluntatem bonam in intellectu, ut adhæreas Deo mente, velit nolit sensualitas corporis.

Devota namque anima sic debet esse cum Deo unita, et suam voluntatem divinæ voluntati tam conformem habere et facere, quod se cum nulla creatura occupet, seu adhæreat, sicut dum non erat creata : ac si nihil sit præter solum Deum, et ipsam animam. Et sic universa et singula æquanimiter de manu divinæ providentiæ secure et infaillibiliter accipiat, sustinens uniformiter in omnibus Dominum in patientia, tranquillitate, et silentio.

Qua de re nudare mentem ab omnibus phantasmatibus super omnia valet ad vitam spiritualem, ut sis per bonam voluntatem unitus Deo in intellectu et conformis.

Præterea, nihil erit medium inter et Deum : quod sic patet, quia nec res aliqua ab extra erit medium, cum per votum voluntariæ paupertatis ablata sit omnis rei possessio usque ad ultimum, et per castitatis votum corpus, et per obedientiam voluntas et ipsa anima : et sic quodammodo nihil relinquitur, quod mediat inter te et Deum. Quod autem religiosus sis, probat professio ipsa, status tuus, et nunc habitus tuus, et tonsura, et similia hujusmodi : sed an fi-

ctus, an verus religiosus sis, tu videris.

Animadverte ergo, quam graviter degeneres et pecces in Dominum Deum tuum, et in omnem ejus justitiam, si secus egeris, et creaturæ potius quam Creatori ipsi voluntate et amore inhæseris, creaturam præponens Creatori.

CAPUT IX.

Contemplatio in Deo, quatenus omnibus aliis exercitiis est præponenda.

Et quia omnia citra Deum sunt effectus et opus ipsius Creatoris, habentia posse et esse, et quidquid sunt et possunt, limitatum, et ut ex nihilo producta nihilitatibus circumdata, et ex se ad nihilum tendentia, necessario momentis singulis suum existere, conservari, operari, et si quid in eis est, et sic per omnia ab ipso summo opifice Deo recipiunt, tanquam vere ex seipsis sibi et aliis insufficientia, ad cujus operationem sunt, sicut nihil ad aliquid, finitum ad infinitum. Quapropter in solo eo, et circa eum, et propter eum, et in eum sit omnis recta nostra contemplatio, vita et operatio : qui etiam uno voluntatis nutu posset et sciret in infinitum omnibus modo creatis perfectiora producere.

Nulla ergo, sive secundum intellectum, sive secundum affectum, contemplatio et amoris fruitio utilior, perfectior, et felicior, quam in ipso Deo creatore summo et vero bono, a quo, in quo, per quem, et ad quem omnia[1] : sibi et omnibus sufficiens est in infinitum, qui omnium in se continet perfectiones simplicissime ab æterno, in quo nihil quod non sit ipse : apud quem, et per quem, omnium instabilium stant causæ : in quo omnium mutabilium immutabiles manent origines, necnon omnium rationabilium, irrationabiliumque, atque temporalium in eo sempiternæ vivunt rationes : qui omnia complet, universa singulaque se toto essentialiter implet : cuique rei intimior est et præsentialior per essentiam, quam res sibiipsi : in quo omnia simul sunt unita, et in eo sempiterne vivunt.

Præterea, si ex infirmitate, aut inusitatione intellectus, quis magis tenetur in creaturis contemplari, tunc hæc optima, vera, et fructuosa contemplatio videtur homini mortali possibilis, ut saltem in cunctis suis contemplationibus et meditationibus, sive circa creaturas, sive circa Creatorem fiunt, consurgat delectatio in ipso Creatore Deo uno et trino intra se, ut inardescat ignis divini amoris, et veræ vitæ in se, et in aliis, ad meritum felicitatis æternæ vitæ.

Animadvertenda est etiam in hoc differentia inter contemplationem Catholicorum fidelium, et Philosophorum gentilium ; quia contemplatio Philosophorum est propter perfectionem contemplantis, et ideo sistit in intellectu, et ita finis eorum in hoc est cognitio intellectus. Sed

[1] Ad Roman. XI, 36.

contemplatio Sanctorum, quæ est Catholicorum, est propter amorem ipsius, scilicet contemplati Dei : idcirco non sistit in fine ultimo in intellectu per cognitionem, sed transit ad affectum per amorem. Unde Sancti in contemplatione sua habent amorem Dei tamquam principaliter intentum, quia felicius est etiam Dominum Jesum Christum cognoscere, et habere spiritualiter per gratiam, quam sine gratia corporaliter, vel etiam essentialiter.

Porro dum anima ab omnibus abstrahitur, et in seipsam reflectitur, contemplationis oculus dilatatur, et se scalam erigit, per quam transeat ad contemplandum Deum. Ex qua contemplatione anima inardescit ab bona cœlestia et divina, et ad æterna, et omnia temporalia a longe prospicit tamquam nihil sint. Unde quando in Deum procedimus per viam remotionis, primo negamus ab eo omnia corporalia et sensibilia et imaginabilia, secundo etiam intelligibilia, ad ultimum, hoc ipsum esse secundum quod in creaturis remanet. Sic quantum ad statum viæ pertinet, optime Deo conjungimur, secundum Dionysium [1]. Et hæc caligo est, quam Deus inhabitare dicitur, quam Moyses intravit, ac per hanc ad lucem inaccessibilem. Verum *non prius quod spiritale est, sed quod animale* [2] : ideo consueto ordine procedendum est a labore actionis ad quietem contemplationis, a virtutibus moralibus ad theoricas et speculativas.

Denique, o anima mea, quid occuparis circa plurima supervacue, et semper in his eges? Intende et ama hoc unum optimum bonum, in quo omne bonum, et sufficit. Infelix ergo qui omnia scit præter ipsum et habet, ipsum autem nescit. Et si hæc omnia et ipsum sciat, non propter hoc, sed propter ipsum beatior. Unde, Joannis, XVII, 3 : *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te*, etc. Et Propheta : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* [3].

CAPUT X.

Actualis devotio et sensibilis non tantum curanda est, sicut voluntate Deo adhærere.

Præterea, non multum cures actualem devotionem, aut sensibilem dulcedinem, vel lacrymas, sed tantum per bonam voluntatem in intellectu sis mente cum Deo intra te unitus. Quippe super omnia placet Deo mens nuda a phantasmatibus, id est, imaginibus, speciebus, ac similitudinibus rerum creatarum. Decet namque monachum esse alienum ab omni creatura, ut soli Deo intra se nude et expedite intendat, vacet, et adhæreat.

Quamobrem abneges temetipsum, ut nude sequaris Christum Dominum Deum tuum, qui vere pauper, obediens, castus, humiliatus est, et passus : in cujus etiam vita et morte multi scandalizati fuerunt, ut liquet ex decursu Evangelii.

Præterea, anima separata a corpore

[1] S. DIONYSIUS, Lib. de Mystica theologia.
[2] I ad Corinth. XV, 46.
[3] Psal. XVI, 15.

non advertit quomodo aut quid agatur de suo corpore derelicto, sive comburatur, sive suspendatur, sive maledicatur, et nihil propter has injurias corpori illatas contristatur, sed solum cogitat illud nunc æternitatis, et illud unum quod dicit Dominus in Evangelio necessarium. Sic et tu te habeas ad corpus tuum, quasi jam non sis in corpore, et cogita semper de æternitate animæ tuæ in Deo, et dirige sedulo cogitatum tuum in illud unum de quo Christus dixit: *Porro unum est necessarium*[1]: et senties ex hoc magnam gratiam, ad mentis nuditatem et cordis simplificationem acquirendam.

Verumtamen istud unum est tibi præsentissimum, si te nudaveris a phantasmatibus, et quibuscumque aliis implicationibus, moxque senties sic esse, videlicet te nuda et expedita mente vacare et adhærere Deo: et sic eris invictus etiam in omnibus qualitercumque inferri possunt, sicut et sancti Martyres, Patres, et electi, beatique omnes: qui, despectis omnibus, solum cogitabant animæ securitatem et æternitatem in Deo; et ita armati intus, et per bonam voluntatem Deo uniti, omnia mundi spreverunt, ac si omnino anima jam divisa esset a corpore.

Ex his ergo perpende, quantum potest bona voluntas cum Deo unita, imo per illam animæ impressionem in Deo, ut per ejus a carne virtualem et spiritualem divisionem, anima quodammodo respiciat a longe hominem exteriorem suum tamquam non suum; et sic vilipendit omnia quæ inferuntur sibi vel carni suæ, ac si fierent alteri, vel non homini. *Qui* enim *adhæret Domino, unus spiritus est*[2], scilicet cum eo. Nunquam ergo audeas omnino coram Domino Deo tuo intra te aliquid cogitare, vel imaginari, quod coram hominibus erubesceres vel audiri, vel videri, propter Dei reverentiam principalem.

Est etiam hoc justum, omnem tuum cogitatum et cogitationem ad solum Deum erigere: eumque, tamquam nihil aliud præter ipsum sit, sola mentis acie intueri, sicque inhærendo frui, quod est perfecta in beatitudine vitæ futuræ.

CAPUT XI.

Qualiter tentationibus sit resistendum, et tribulationes qualiter sustinendæ?

Proinde nemo accedens ad Deum vero et integro corde est, quin vexationibus et tentationibus probetur.

Idcirco in omnibus tentationibus vel hoc observetur, ut si sentiatur, non consentiatur, et patienter ac æquanimiter cum humilitate et longanimitate portetur. Si vero blasphemiæ sunt et turpissimæ, hoc omnino firmiter teneas, quod nihil melius aut verius contra easdem facere potes, quam omnino hujusmodi phantasmas pro nihilo reputare: quam-

[1] Luc. x, 42.

[2] I ad Corinth. vi, 17.

quam blasphemiæ nequissimæ et fœdissimæ et horribiles sint, solum non cura eas, sed pro nihilo reputa et contemne, et tibi non imputa, nec velis tibi super hujusmodi conscientiam formare. Fugiet procul dubio inimicus, si eum sic et suas factiones contempseris. Superbus enim est valde, non patitur se contemni et sperni. Omnino ergo talia penitus non curare, summum est remedium, sicut de muscis volantibus coram oculis contra voluntatem.

Provideat ergo servus Jesu Christi, tam facile non importune fugere a facie Domini, et hinc inde indignari, murmurare, et querulari super unius muscæ vexatione, videlicet levis tentationis, suspicionis, tristitiæ, et detractionis, insufficientiæ, et cujuscumque adversitatis, cum sola manu bonæ voluntatis in Deum erectæ possunt omnia hæc fugari. Nempe per bonam voluntatem habet homo Deum in defensorem, sanctos Angelos custodes et protectores. Insuper et per bonam voluntatem omnis tentatio superatur, sicut musca manu de calvitie capitis fugatur.

Pax ergo *hominibus bonæ voluntatis*[1]. Proinde ergo nec aliquid ditius offertur Deo bona voluntate. Quippe bona voluntas in anima, est origo omnium bonorum, et omnium mater virtutum : quam qui habere incipit, secure habet quidquid ei ad bene vivendum opus est. Si ergo volueris bonum, et non potes, factum Deus compensat.

Igitur secundum hoc æterna lex incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit : in beatitudine, aut in miseria, præmium atque supplicium. Dilectio enim est magna voluntas Deo serviendi, dulcis affectus Deo placendi, ferventissimum desiderium Deo fruendi. Demum, tentari non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis, ut homo ad multa bona proficiat tentatione, cum tota vita hominis super terram tentatio censeatur.

CAPUT XII.

De amore Dei, quam efficax sit.

Enimvero omnia supradicta, et quæcumque saluti necessaria, non melius, nec propinquius, nec salubrius perfici possunt, nisi per amorem : per quem suppleri potest omnis necessarii ad salutem indigentia, et in eo habetur omnis boni abundantia, nec deest summi desiderii præsentia. Quippe solus amor est, quo convertimur ad Deum, transformamur in Deum, adhæremus Deo, unimur Deo, ut simus unus spiritus cum eo, et beatificemur hic in gratia, et ibi in gloria, ab eo, et per eum. Amor enim ipse non quiescit, nisi in amato, quod fit cum obtinet ipsum possessione plenaria atque pacifica. Nempe amor ipse, qui et charitas, est via Dei ad homines, et via hominis ad Deum : et mansionem Deus habere non potest, ubi charitas non est. Si igitur charitatem habemus, Deum habemus, quia *Deus*

[1] Luc. II, 14.

charitas est[1]. Proinde nihil amore acutius, nihil subtilius aut penetrabilius : nec quiescit, donec naturaliter totam amabilis penetraverit virtutem et profunditatem ac totalitatem, et unum se vult facere cum amato, et si fieri potest, ut hoc idem ipse sit quod amatum. Et ita nullum patitur medium inter se et objectum dilectum quod amat, quod est Deus, sed vehementer tendit in eum : et ideo numquam quiescit, donec omnia transeat, et ad ipsum in ipsum veniat.

Est enim amor ipse virtutis unitivæ et transformativæ, transformans amantem in amatum, et econtra, ut sit unum amatorum in altero, et e converso, in quantum intimius potest. Quod liquet primo quantum ad vires apprehensivas, qualiter amatum sit in amante : videlicet in quantum dulciter et delectabiliter revocatur in apprehensione amantis : et e regione, prout scilicet amans nititur singula quæ ad amatum pertinent, non superficialiter, sed intrinsecus discernere, et quasi ad interiora ejus ingredi. Sed quantum ad vires appetitivas et affectivas, amatum dicitur in amante, prout videlicet est in affectuosa ejus complacentia, et in jucunda ejus delectatione interius radicata : e converso, amans est in amato, toto desiderio et conformitate secundum idem velle et nolle, et in eodem gaudere et tristari, tamquam idem ipse. Trahit enim amor (quia *fortis est ut mors dilectio*[2]) amantem extra se, et collocat eum in amato, faciens ei intimissime inhærere. Plus enim est anima ubi amat, quam ubi animat : quia sic est in amato secundum propriam naturam, rationem, et voluntatem : sed in eo quod animat, tantum est secundum quod est forma : quod etiam brutis convenit.

Non est ergo aliud quod nos ab exterioribus sensibilibus intra nos, et exinde in Jesu Christi intima et divina trahit, quam amor Christi, quam desiderium dulcedinis Christi, ad sentiendum, percipiendum, et degustandum præsentiam divinitatis Christi. Non itaque aliud est quam amoris vis, quæ etiam animam de terris ad fastigia cœli celsa perducit. Nec ad summam beatitudinem quis pervenire potest, nisi amore et desiderio provocante. Ipse etiam amor est vita animæ, vestis nuptialis, et perfectio ipsius, in quo omnis lex et Prophetæ, et Domini edictum pendet. Unde Apostolus ad Romanos : *Plenitudo legis est dilectio*[3]. Et prima ad Timotheum : *Finis præcepti est charitas*[4].

CAPUT XIII.

Orationis qualitas et utilitas : et quomodo cor sit recolligendum intra se ?

Præterea, cum ad hæc et ad quæcumque alia bona omnino simus ex nobis insufficientes, nec aliquid de nobis ipsi Domino Deo (a quo solo omne bonum) exhibere possumus, quod non sit prius suum, solo uno excepto, quod superest.

[1] I Joannis, IV, 16.
[2] Cantic. VIII, 6.
[3] Ad Roman. XIII, 10.
[4] I ad Timoth. I, 5.

quemadmodum ipse per se benedicto suo ore etiam et exemplo nos instruere dignatus est, ut videlicet in omni casu et eventu ad ipsam orationem recurramus, sicut rei, miseri, pauperes, mendici, infirmi, inopes, subditi, servi, et filii, ac totaliter in nobis ipsis desolati, humillima mentis prostratione, in timore et amore, recollecte et composite, maturo, vero, nudoque affectu erubescentiæ, cum magnitudine desiderii et ardore, necnon in gemitu cordis, et simplicitate et sinceritate mentis, supplicemus et exponamus ipsi plena cum fiducia undique nobis imminentia pericula ; ita dumtaxat, ut expedite, secure, et nude nos ei totaliter usque ad ultimum fidelicet committamus, et offeramus, tamquam vere et per omnia sui, nihil nobisipsis reservantes, ut impleatur in nobis illud beati patris Isaac, qui loquitur de hac ipsa oratione, dicens : « Tunc erimus unum in Deo, et Dominus Deus erit in nobis omnia in omnibus et solus, quando illa sua perfecta dilectio, qua prior ille nos dilexit, in nostri quoque cordis transierit affectum. » Quod ita fiet, cum nobis omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, denique omnis cogitatio nostra, omneque quod videmus, loquimur, quodque speramus, Deus erit, illaque unitas quæ nunc est Patris cum Filio, et Filii cum Patre, in nostrum fuerit sensum mentemque transfusa : ut quemadmodum ille nos sincera et pura atque indissolubili charitate diligit, nos quoque ei perpetua et inseparabili dilectione jungamur : ita scilicet eidem copulati, ut quidquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur et oramus, Deus sit.

Hæc ergo intentio, hic conatus, et finis spiritualis hominis esse debet, ut imaginem futuræ beatitudinis in hoc corruptibili corpore possidere mereatur, et quodammodo arrham illius cœlestis beatitudinis et conversationis et gloriæ incipiat in hoc sæculo prægustare. Hic, inquam, finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata mens ab omni situ carnali, ad spiritualia quotidie sublimetur, donec omnis conversatio, omnisque voluntas cordis, una et jugis efficiatur oratio. Cumque ita mens, deposita fæce terrena, ad Deum, in quo solo semper defixa debet esse intentio spiritualis hominis, respiraverit (cui ab illo summo bono vel parva separatio, mors præsens ac perniciosissimus interitus est credendus) præmissaque fuerit tranquillitate fundata, vel ab omnium carnalium passionum nexibus absoluta, et illi uni summoque bono tenacissima adhæsit intentione, Apostolicum illud implebit : *Sine intermissione orate*[1]. Et : *Orate in omni loco, levantes puras manus, sine ira et disceptatione*[2]. Hac enim puritate (si dici potest) sensu mentis absorpto, ac de terreno situ ad spiritualem sive angelicam similitudinem transformato, quidquid in se receperit, quidquid tractaverit, quidquid egerit, purissima atque sincerissima oratio erit.

Hæc proinde si continuaveris indisrupte, quemadmodum usque ab initio disseruimus, erit tibi in tua introversione et recollectione jam facile ac promptum contemplari ac frui, sicut vivere in natura.

[1] I ad Thessal. I, 2.

[2] I ad Timoth. II, 8.

CAPUT XIV.

Conscientiæ attestatio in omni judicio requirenda est.

Demum ad spiritualem mentis perfectionem, puritatem, et tranquillitatem in Deo consequendam, non mediocriter ad hoc proficere videtur, ut in omni quod de nobis dicitur, sentitur, et agitur, semper tacite ad interiora mentis arcana recurramus, et inibi ab omnibus alio abstracti, et intra nos totaliter recollecti, statuamus nos in cognitionem veritatis ante nos, et utique inveniemus atque videbimus penitus nihil proficere nobis, sed plurimum obesse, si laudati vel honorati ab extra fuerimus, et ab intra in veritatis cogitatione de nobis culpabiles et rei existimus. Et sicut tunc nihil prodest, si quempiam ab extra homines laudant, et conscientia ab intra accusat : ita e regione nihil obest, si ab extra quis contemptus, vituperatus, et persecutus fuerit, ab intra tantum innocens, irreprehensibilis, et innoxius existat ; imo quam plurimum super hæc cum patientia, et silentio, et quiete, non immerito in Domino gratulari habet : siquidem nulla nocebit adversitas, ubi non dominatur iniquitas. Et sicut nullum malum impunitum, ita nullum bonum irremuneratum. Neque cum hypocritris velimus mercedem et præmium exspectare, vel recipere ab hominibus : sed solum a Domino Deo, non in præsenti, sed in futuro, non transitorio in tempore, sed in æternitate.

Liquet ergo, quod nec majus aliquid, nec melius, quam semper in omni tribulatione et eventu ire ad interiora mentis secreta, et ibi invocare ipsum Dominum Jesum Christum, adjutorem in tentationibus et tribulationibus, ac inibi humiliari in confessione peccati, laudare ipsum Deum et Patrem, corripientem et consolantem : insuper et omnia et singula, in se vel in aliis, prospera sive adversa, æquanimiter accipere, expedite et secure, de manu suæ infallibilis providentiæ aut dispositionis ordinatæ.

Ex quibus sequitur etiam peccatorum remissio, amaritudinis expressio, collatio dulcedinis et securitatis, infusio gratiæ et misericordiæ, attractio et corroboratio familiaritatis, atque abundans in ipso consolatio, firmaque adhæsio et unio. Sed nec velimus imitari eos, qui per hypocrisim, et more Pharisaico, seipsos carius et aliter videri, haberi et apparere ab extra coram hominibus satagunt, quam ab intra in veritate de se didicerunt : quod quidem extremæ dementiæ est, sic videlicet quærere, appetere aut expetere laudem humanam vel gloriam a se vel ab aliis, cum nihilominus interius repletus sit illecebris et peccatis gravissimis. Et certe qui post hujusmodi vanissima currit, fugient ab eo prædicta bona, et dedecus incurret.

Semper ergo præ oculis tuis habeas mala tua, et indignitatem tuam, et cognosce te, ut humilieris, et tamquam peripsema indignissimum, vilissimum, abjectissimumque ab omnibus haberi non refugias propter gravissima peccata et maxima mala tua. Qua de re reputa te inter alios, ut scoriam inter aurum, zizaniam inter triticum, paleam inter

grana, lupum inter oves, satan inter filios Dei. Sed nec velis revereri ab aliis, aliisque præferri : imo potius toto corde et spiritu fuge virus hujus pestilentiæ, venenum laudis, reputationem jactantiæ et ostentationis, ne videlicet, juxta Prophetam, *laudetur peccator in desideriis animæ suæ* [1]. Et, Isaiæ, III, 12 : *Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Et Dominus, Lucæ, VI, 26 : *Væ cum benedixerint vobis homines.*

CAPUT XV.

Contemptus sui, qualiter causetur in homine, et quam utilis sit?

Proinde, quanto quis vilitatis suæ cognitor est, tanto plus et limpidius divinæ majestatis est inspector : et quanto aliquis propter Deum, veritatem et justitiam, sibiipsi in oculis suis est vilior, tanto in oculis Dei est pretiosior.

Quapropter studeamus toto desiderii conatu nos vilissimos reputare, et credere indignos omni beneficio, nobis displicere, soli Deo placere, ab aliis indignissimi et vilissimi reputari : insuper super tribulationibus, afflictionibus, et injuriis non moveri, nec super hujusmodi inferentes conturbari, nec cogitationibus contra eos involvi, vel indignari, sed æquo animo credere velis, te cunctis injuriis, vilipensionibus, flagellis, et derelictionibus esse dignum.

Nam re vera, qui vere secundum Deum pœnitet et luget, ille ab omnibus honorari ac diligi abhorret, nec subterfugit nec renuit se quodammodo odiri, conculcari, despici, usque in finem, ut vere humilietur, et puro corde soli Domino Deo sincere adhæreat.

Verumtamen ad Dominum Deum solum diligendum, et seipsum super omnia abhorrendum, et ab aliis appetere vilipendi, non requiritur labor extrinsecus, nec corporis valetudo, sed potius solitudo corporis, labor cordis, et quies mentis, ut scilicet labore cordis, et affectione mentis intimæ surgat, et corporaliter se ab illis infimis evellat, et sic ad cœlestia et divina surgat et ascendat.

Nempe hoc facientes, mutamus nos in Deum : et præcipue tunc fit, quando ex corde eligimus, sine judicio, damnatione et contemptu proximi, nos ut peripsema et opprobrium ab omnibus æstimari, imo ab omnibus tamquam lutum fœdum abhorreri, quam quibuscumque deliciis abundare, vel ab hominibus honorari aut elevari, seu qualicumque corporali et transitoria sospitate vel commodo perfrui, nec aliam præsentis hujus mortalitatis et corporalis vitæ consolationem desiderare, quam nostras offensiones, culpas, et peccata sine intermissione lugere, deplangere, et plorare, perfecte nos vilipendere et annihilare, et de die in diem ab aliis magis magisque viliores haberi, et in omni vilitate indigni in nostris oculis quotidie fieri, ut soli Deo placeamus, eumque solum diligamus, sicque ei adhæreamus : nec circa aliquid velimus affici, nisi solum circa ipsum Dominum Jesum Christum, qui solus

[1] Psal. x sec. Hebr., 3.

jaceat in nostro affectu : nec de ullo sollicitari et curare, nisi de ipso in cujus ditione et providentia universa et singula currunt et subsistunt.

Non ergo tuum erit amodo deliciari, sed vere toto corde lugere. Quamobrem, si non luges, propter hoc luge : si vero luges, propter hoc magis lamentare, quia doloris causam tibi superinduxisti, propter tuas offensiones maximas et peccata infinita. Sicut ergo non sollicitudinem gerit super spiculatorum dispositionem, qui sententiam suscipit condemnatus, sic qui lamentatur, et efficaciter luget, neque deliciis, neque iræ, aut gloriæ, vel indignationi, vel hujusmodi aliquando attendat. Et sicut alia civium, alia sunt damnatorum habitacula, ita lugentium, et habentium ad pœnam obligantia delicta, statio et institutio ab innoxiis et non obligatis aliena penitus debet esse et remota. Alioquin non esset differentia rei obnoxii et innocentis, in compensatione et satisfactionis pœna, quæ tamen magna erat in prævaricationis culpa, et liberior esset injustitia, quam innocentia.

Omnia ergo abnegande, omnia contemnenda, omnia excutienda et vitanda, ut plena fide bonum luctui pœnitentiæ jaciatur fundamentum. Igitur in veritate Jesum Christum diligens, et post eum lugens, et eum in corde et in corpore portans, in veritate dolorem de suis peccatis et offensininibus habens, in veritate futurum regnum percipere inquirens, necnon in vera fide memoriam tormentorum et judicii æterni possidens, et sui exitus timorem et memoriam firmiter perfecteque reassumens, non ulterius conabitur, nec curabit, nec sollicitus erit de aliquo alio. Propter quod qui ad beatam impassibilitatem et ad Deum currere festinat, omni die in qua non maledicitur, et contemnitur, se multum damnum arbitretur sustinuisse. Impassibilitas autem est, a vitiis et passionibus libertas, cordis munditia, et virtutum ornatus. Æstima igitur te jam mortuum, quem non ambigis de necessitate moriturum. Et postremum argumentum omnium cogitationum, locutionum, operum tuorum, an secundum Deum sint, sit tibi indicium hoc, videlicet si his magis humilis, et intra te, et in Deo plus recollectus et confortatus fueris. Si autem aliter in te repereris, suspectum tibi sit, ne non sit secundum Deum, nec sibi acceptum, nec tibi proficuum.

CAPUT XVI.

Providentia Dei qualiter ad omnia se extendat?

Verumtamen, ut juxta præfata, sine impedimento, expedite, secure et nude in Dominum Deum nostrum libere et tranquille feramur, conjungamur et uniamur, eique firmiter adhæreamus, æquanimiter in prosperis et adversis, in vita sive in morte, opus est ut cuncta et singula indiscusse suæ infallibili providentiæ indubie committamus et certissime.

Nec mirum, cum ipse solus sit qui omnibus dat esse, posse, et operari, id est, substantiam, virtutem, et operatio-

nem, speciem, modum, et ordinem in numero, pondere, et mensura. Præsertim cum sicut opus artis præsupponit opus naturæ, ita opus naturæ præsupponit opus Dei creantis, conservantis, ordinantis, et administrantis : eo quod ipsius solius sit infinita potentia, sapientia, bonitas, et essentialis misericordia, justitia, et veritas, charitasque, immutabilis æternitas et immensitas.

Nulla ergo res potest propria virtute subsistere, nec agere, nisi agat in virtute ipsius Dei, scilicet primi moventis, primi principii, qui est causa omnis actionis, et operatur in omni agente. Quippe quantum ad rationem ordinis pertinet, Deus immediate omnibus providet, et usque ad ultima singularia. Nihil igitur a maximo usque ad minimum sempiternam Dei providentiam effugit, nec declinat etiam, sive in voluntariis, sive in casualibus, sive in fortuitis nec de se intentis. Sed nec aliquid Deus facere potest, quin sub ordinem suæ providentiæ cadat, sicut non potest facere aliquid, quod ejus operationi non subdatur.

Extendit igitur se providentia divina ad omnia et singula, etiam usque ad hominum cogitata. Qua de re Scriptura, juxta illud primæ Petri, v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Et rursum Propheta : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* [1]. Et, Ecclesiastici, II, 11 et 12 : *Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est. Qui enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est?* Et Dominus ait : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus* [2] *?* Quidquid ergo, et quantumcumque magnum a Deo sperare possumus, erimus sine dubio accepturi, secundum illud Deuteronomii, XI, 24 : *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* Quia quantumcumque desiderare quis potuerit, tantum est accepturus : et quatenus fiduciæ pedem porrexerit, eatenus possidebit. Unde Bernardus : « Auctor omnium Deus tantæ abundat visceribus pietatis, ut ad quantumcumque gratiam fiduciæ sinum extendere poterimus, tantum erimus sine dubio accepturi. » Unde, Marci, XI, 24 : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.*

Porro, quanto hæc fiducia in Deum fortior est et instantior, et quanto in Deo cum humilitate et reverentia se violentius erigit, tanto securius, et abundantius, et citius, quod sperabat, impetrabit ac obtinebit.

At vero, si inter hæc propter multitudinem et magnitudiuem peccatorum fiducia in Deum se erigere tependo retardat, animadvertat qui hujusmodi est, quod omnia possibilia sunt apud Deum : et quod vult, necesse est quod fiat, et quod non vult, impossibile est ut fiat : et quod tam facile est ei tam innumerabilia peccata, quantumcumque enormia, remittere et delere, sicut unum peccatum. Et sicut peccator non potest, quantum in se est, ab innumerabilibus peccatis surgere, et se ab eis excutere et absolvere, sic nec ab uno peccato. Non enim possumus non solum facere, sed nec cogitare bonum a nobis, quasi ex nobis, sed hoc ex Deo est [3].

Attamen utique multo periculosius est, pluribus irretitum esse peccatis, cæteris paribus, quam uno solo : quia nullum malum impunitum, et cuique peccato mortali debetur infinita pœna, et hoc de rigore justitiæ, eo quod quodlibet tale peccatum sit contra Deum, qui est actu infinitæ reverentiæ, dignitatis, et honorificentiæ.

Præterea, secundum Apostolum, *cognovit Dominus qui sunt ejus* [4] : et impossibile est aliquem illorum perire, inter quoscumque anfractus et fluctus errorum,

[1] Psal. LIV, 23.
[2] Matth. VI, 31.
[3] Cf. II ad Corinth. III, 5.
[4] II ad Timoth. II, 19.

scandalorum, schismatum, persecutionum, discordiarum, hæresum, tribulationum, adversitatum, atque tentationum qualiumcumque, eo quod numerus electorum suorum, et terminus meritorum sit æternaliter et immutabiliter ab eo prævisus, in tantum, ut etiam omnia bona et mala, propria et aliena, prospera et adversa eis cooperentur in bonum, nisi forte in hoc quod gloriosiores et probatiores appareant in adversis.

Secure ergo et expedite cuncta et singula committamus plena cum fiducia divinæ providentiæ, quæ idcirco permittit mala qualiacumque qualitercumque fieri : et bonum est, et bene fit, ut sinat ea fieri : nec fierent nisi permitteret ea fieri : nec aliter nec plus fieri possunt, nisi in quantum permittit, quia scit, potest, et vult ea in melius convertere et disponere. Sicut enim ejus operatione omnia bona fiunt, sic ejus permissione omnia mala bona fiunt : ut certe ex hoc appareat ejus potentia, sapientia, clementia per reparatorem Christum, misericordia et justitia, virtus gratiæ, et defectus naturæ, pulchritudo universi comparatione oppositorum, laus bonorum, reproborum malitia atque pœna. Similiter in peccatore converso contritio, confessio, et pœnitentia, mansuetudo Dei, pietas, et charitas, lausque ejus, et bonitas. Non tamen eis semper cedit in bonum, qui male agunt : sed ut communiter in periculum magnum, et maximum malum, privationis scilicet gratiæ et gloriæ, et incursionis culpæ et pœnæ, nonnumquam etiam æternæ, a qua nos custodiat Jesus Christus. Amen.

INDEX

Capitum libri de adhaerendo Deo.

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

LIBELLUS DE ALCHIMIA.

PRÆFATIO.

Omnis sapientia a Domino Deo est: et cum illo fuit semper, et est ante ævum [1]. Quicumque ergo diligit sapientiam, apud ipsum quærat, et ab ipso petat, quia ipse *dat omnibus affluenter, et non improperat* [2]. Ipse enim est altitudo, et profunditas omnis scientiæ, et thesaurus totius sapientiæ : quoniam *ex ipso, et in ipso, et per ipsum sunt omnia* [3] : et sine ejus voluntate nihil potest fieri : ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Unde in principio mei sermonis invoco ejus auxilium, qui est fons et origo omnium bonorum, ut ipse per suam bonitatem et pietatem dignetur parvitatem scientiæ meæ supplere per gratiam sui Spiritus sancti, ut per meam doctrinam lumen quod in tenebris latet, manifestare valeam, et errantes ad semitam veritatis perducere : quod ipse præstare dignetur qui sedet in excelsis. Amen.

Cum in multas regiones et plurimas provincias, nec non civitates et castella causa scientiæ, quæ vocatur *Alchimia*, maximo labore perlustraverim, et a litteratis viris et sapientibus, de ipsa arte ab ipsis diligenter inquisierim, ut ipsam plenius investigarem : et cum scripta omnia perscriberem, et in operibus ipsorum sæpissime persudarem, non inveni tamen verum in his quæ libri eorum affirmabant. Adspexi ergo libros contradicentium et affirmantium, et inveni eos vacuos esse ab omni profectu, et ab omni bono alienos. Inveni enim multos prædivites litteratos, Abbates, Præpositos, Canonicos, Physicos, et illit-

[1] Eccli. I, 1.
[2] Jacobi, I, 5.
[3] Ad Roman. XI, 36.

teratos, qui pro eadem arte magnas fecerunt expensas, atque labores, et tandem deficiebant, quoniam artem investigare non valebant.

Ego vero non desperavi, quin facerem labores et expensas infinitas, vigilans, et de loco ad locum migrans omni tempore, ac meditans, sicut dicit Avicenna : « Si hæc res est, quomodo est ? et si non est, quomodo non est ? » Tandem perseveravi studendo, meditando, laborando in operibus ejusdem, quousque quod quærebam inveni, non ex mea scientia, sed ex Spiritus sancti gratia. Unde cum saperem et intelligerem quod naturam superaret, diligentius vigilare cœpi in decoctionibus et sublimationibus, solutionibus et distillationibus, cerationibus, et calcinationibus, atque coagulationibus Alchimiæ, et in multis aliis laboribus, donec inveni, esse possibilem transmutationem in Solem et Lunam. Quod multo melius est omni naturali, in omni examinatione et malleatione.

Ego vero minimus Philosophorum intendo scribere sociis et amicis meis veram artem, levem et infallibilem : ita tamen, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Unde rogo, et adjuro vos per Creatorem mundi, ut occultetis librum istum ab omnibus insipientibus. Vobis enim secretum revelabo, aliis vero secreta secretorum recludo, propter invidiam hujus nobilis scientiæ. Stulti enim eam despiciunt, quod ad eam pertingere non possunt, unde exosam eam habent, nec possibilem esse credunt : ideo invident illis qui in ea operantur, et dicunt eos esse falsarios. Caveatis ergo ne in ista operatione alicui secreta nostra reveletis. Iterum moneo, ut sitis cauti : et perseverate in operationibus, et nolite fastidium habere, scientes quod post operationem vestram magna sequetur utilitas.

§ I.

De diversis erroribus.

Nunc autem qualiter ad tanti operis laborem accedere debeatis, in hoc meo opusculo breviter et simpliciter vos informabo. Ostendam tamen vobis primo omnes deviationes et errores, et offendicula hujus artis, in quibus multi et fere omnes errant.

Vidi enim quosdam, qui cum magna diligentia quasdam sublimationes faciebant, et ulterius procedere non valebant, quia fundamentum non habebant.

Vidi et alios bonum principium habentes, sed propter nimiam potationem, et alias vanitates, opus facere non valebant. Vidi alios qui decoctionem, distillationem et sublimationem bonam fecerunt, sed propter nimiam prolongationem operis opus reliquerunt imperfectum.

Vidi et alios qui veram artem habuerant, et diligenter operibus præfuerunt, sed in sublimationibus perdiderunt spiritus propter vasa porosa, unde et dubitaverunt, et ulterius artem non curaverunt.

Vidi et alios qui artem investigare cupientes, tempus statutum non valentes exspectare, nimis veloces fecerunt sublimationes, distillationes, et

solutiones : et ideo spiritus infectos, rubiginatos inveniebant, et aquas solutas et distillatas, turbulentas : unde et etiam dubitaverunt.

Vidi quamplures qui cum diligentia operi insistebant, et tandem deficiebant, quia res pro sublevamento non habebant. Unde versus :

Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas :
Multa licet sapias, re sine, nullus eris.

Unde pauperibus non valet ars ista, quia ad minus vult habere expensas duobus annis. Et si contingat in opere errare, vel prolongare, quod non perveniat ad egestatem, ut in pluribus sum expertus.

Vidi alios qui sublimationes faciebant puras et bonas ad quinque sublimationes : et quum plures facere non valebant, sophisticabant, et Venerem dealbabant, addentes quintam vel sextam partem Lunæ, et seipsos et alios decipiebant.

Vidi alios qui spiritus sublimabant et figebant, volentes cum eis tingere Venerem vel Martem, et quum impressionem non fecerunt, neque ingressionem habebant, dubitaverunt.

Vidi quoque quosdam qui spiritus fixos habebant, et ipsos cum oleo ingrediente cerabant, donec ingressionem in corpora habebant, addentes tamen aliquam partem Lunæ, et ita figebant Venerem in album, quod simile erat Lunæ in malleatione et examinatione, et albedine, et quod pertransivit bis aut ter examinationem, et tamen non fuit perfecta : quia Venus non fuit calcinata nec purgata a sua corruptione. Unde dicit Aristoteles : « Non credo metalla transformari posse, nisi reducantur in primam materiam, id est in calcem per ignis adustionem : et tunc possibile est illud. »

Vidi tamen et alios sapientes, qui ad plenum spiritus et pulveres sublimabant et figebant, solutiones et distillationes ex pulveribus parabant, postea coagulabant, et postea metalla calcinabant, corpora dealbabant ad album, rubificabant ad rubeum, postea calcem reducebant in solidam massam, et ipsa tingebant in Solem et Lunam, quæ melius erant omni naturali in omni examinatione et malleatione.

Videns ergo tot errare, jam decrevi scribere vera et probata opera, et meliora omnium Philosophorum, in quibus laboravi, et sum expertus : nihil aliud scribam, nisi quod oculis meis vidi.

§ 2.

Unde oriantur metalla ?

Alchimia est ars ab Alchimo inventa, et dicitur ab *archymo* Græce, quod est *massa* Latine [1]. Per hanc enim artem reducuntur metalla quæ in mineris sunt corrupta, et imperfecta ad perfectionem.

Et notandum, quod metalla differunt inter se accidentali forma tantum, non essentiali : ergo possibilis est spoliatio accidentium in metallis. Unde possibile est per artem novum corpus constitui : quia omnia metallorum genera generantur in terra ex sulphure et argento vivo commistis, vel etiam propter terram fœtidam. Sicut enim puer in ventre matris suæ ex corrupta matrice contrahit infirmitatem ex causa loci per accidens, et corruptione, quamvis sperma fuerit mundum, tamen fit puer leprosus et immundus causa matricis corruptæ. Sic est in metallis, quæ corrumpuntur, vel sulphure corrupto, vel terra fœtida : unde hæc est differentia omnium metallorum, qua differunt inter se.

Quando enim sulphur mundum ru-

[1] Vel melius ex articulo arabico *al* et verbo græco χυμός.

beum occurrit argento vivo in terra, inde aurum generatur tempore brevi vel longo per assiduitatem vel decoctionem naturæ sibi subservientis. Quando vero mundum et album occurrit argento vivo in terra munda, inde generatur argentum, quod differt ab auro in hoc, quod sulphur in auro rubeum, in argento album fuerit. Quando autem sulphur rubeum, corruptum et urens occurrit argento vivo in terra, inde generatur cuprum, et non differt ab auro nisi in hoc, quod in auro non fuit corruptum, hic vero corruptum. Quando vero sulphur album, corruptum et urens occurrit argento vivo in terra, inde generatur stannum : et quia stridet inter dentes, et velocem habet liquefactionem, ideo est, quia argentum vivum non fuit bene commistum cum sulphure. Quando vero sulphur album, corruptum et urens occurrit argento vivo in terra fœtida, inde generatur ferrum. Quando sulphur nigrum et corruptum occurrit argento vivo, inde generatur plumbum, de quo dicit Aristoteles, quod plumbum est aurum leprosum.

Jam satis dictum est, unde metalla habeant originem, et quomodo inter se differant forma accidentali, et non essentiali. Restat nunc videre de probationibus Philosophorum, et auctoritatibus, quomodo probent esse veram hanc artem, ut obviare possimus aliis qui contradicunt eam non esse veram.

§ 3.

Probat autem Alchimiam esse veram.

Volunt ergo quidam contradicere, et quamplures, et maxime illi qui non intelligunt aliquid de arte, nec metallorum naturas cognoscunt, et nesciunt quid sit eorum intrinsecum vel extrinsecum, et dimensiones et profunditates metallorum minime cognoscentes. Istis igitur, quum objiciunt Aristotelis verba dicentis : « Sciant artifices Alchimiæ rerum species permutari non posse : » respondendum, hoc dixisse de ipsis qui credunt et volunt metalla adhuc corrupta transubstantiare : quod sine dubio vix fieri potest. Audiant ergo verba Aristotelis quæ sequuntur : « Quod experientia destruit formam specierum, et maxime in metallis : et hoc est verum, quando aliquod metallum est calcinatum, et inde fit cinis et calx, quæ teritur et lavatur, et ceratur cum aquis acutis, donec fiat alba et viva : et sic per calcinationes et medicinas diversas amittunt humiditatem corruptam et adustivam, et acquirunt humiditatem aeream vivificantem ipsa corpora, et calx mundata reducitur ad solidam massam : quæ massa potest recipere tincturam albam et rubeam. » Unde ait Hermes, quod spiritus ingredi corpora non possunt, nisi purgata, et non ingrediuntur, nisi aqua duce. Aristoteles dicit : « Non credo quod metalla possint transubstantiari, nisi reducantur ad primam materiam, id est mundificentur a corruptione sua per ignis adustionem. »

Adhuc contradicentibus, et non credentibus melius obviare volo, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur : videmus species diversas recipere formas diversas diversis temporibus : sicut patet in arsenico, quod est rubeum, et per decoctionem et assiduitatem erit nigrum, per sublimationem erit album, semper tale.

Et forte aliquis diceret, quod tales species de facili possunt transmutari de colore in colorem, sed in metallis impossibile. Quibus respondeo ex evidenti causa per diversas probationes et evidentias, eorum errorem penitus destruens.

Videmus enim ex argento generari aurum, quod dicitur *transmutatum* ; quod tamen cum natura sit perfectum, carens omni corruptione, facilius videtur,

et est destruere accidentale quam essentiale : videmus enim cuprum recipere colorem citrinum ex lapide calaminari, quum tamen neutrum sit perfectum, neque cuprum, neque lapis calaminaris, quia in ambobus agit ignis.

Videmus quod ex stanno fit lithargyrium, et stannum per nimiam decoctionem vertitur in colorem auri, quod tamen possibile esset converti in speciem argenti, cum de natura ejus sit.

Videmus et ferrum converti in argentum vivum, quod videtur quidusdam impossibile : et quare sit possibile, jam rationem dixi superius, quod omnia metalla generantur ex argento vivo et sulphure : unde cum argentum vivum sit origo omnium metallorum, etiam possibile est ut ferrum redigatur in argentum vivum. Nonne, verbi gratia, aqua liquida tempore hiemis per nimiam frigiditatem induratur, et fit glacies, nonne glacies a calore Solis solvitur et erit aqua, ut prius ? Ita est de argento vivo ubicumque est in terra, et si ibi est sulphur, tunc ista duo coadunantur simul, et per decoctionem temperatissimam longo tempore indurantur, et erit lapis mineralis, de quo trahitur metallum.

Videmus etiam, quod ex plumbo fit cerussa, ex cerussa minium, ex minio plumbum.

Ecce jam satis manifeste probatum est quomodo species permutantur de colore in colorem usque ad tertiam vel quartam formam. Unde nullo modo dubitandum est, quin metalla corrupta possint reduci ad sanitatem per medicinas suas.

Jam positum est fundamentum ad artem istam : videamus quod superædificemus. Si enim superædificaverimus fænum, vel lignum, vel stipulam, ignis consumet omnia. Inveniamus ergo lapides, quos ignis non destruat, neque corrumpat : tunc securi erimus ab omni perturbatione.

Et sciendum, quod ea quæ diximus de impedimento artis, et principio, et postea de probationibus ejusdem, ideo dicta esse, ut artem veram esse stabiliamus, etc. Nunc videndum qualiter agendum sit, et quo tempore, et quo loco.

Et primo incipiendum est firmare etiam præcepta.

Primum ergo præceptum est, ut artifex hujus artis sit tacitus et secretus, et nulli revelet suum secretum, quod nulla ratione ulterius manifestet : sciens pro certo, quod si plures scirent, nullo modo pertransibit, quin divulgetur : et quum divulgatum fuerit, pro falsario reputabitur : et ita erit in perditione, et opus imperfectum remanebit.

Secundum præceptum est, ut artifex habeat locum, et domum specialem extra hominum conspectum, in qua sint duæ cameræ vel tres, in quibus fiant operationes ad sublimandum, ad solutiones et distillationes faciendum, sicut in posterum docebo.

Tertium est, ut observet tempus in quo sit operandum, et horas ad sublimationes, et solutiones, et distillationes : quia non valerent in hieme sublimationes : solutiones vero et calcinationes omni tempore fieri possunt : hæc autem omnia in operibus lucide docebo.

Quartum est, ut artifex hujus artis sit sedulus et frequens circa operationes, et non sit tædiosus, sed perseveret usque in finem. Quod si inceperit, et non perseveraverit, res et tempus amittet.

Quintum, ut secundum artis institutionem operetur : primo in contributionibus, secundo in sublimationibus, tertio in fixionibus, quarto in calcinationibus, quinto in solutionibus, sexto in distillationibus, septimo in coagulationibus : et sic per ordinem. Si autem tingere præter sublimationem, et coagulare, et solvere per distillationem voluerit, perdet pulveres suos : quia quum projecti fuerint, non retinebit ex eis quidquam, sed revolabit citissime. Vel, si cum fixis pulveribus, qui non sunt soluti nec distillati, tingere voluerit, non ingredientur nec permiscentur corporibus.

Sextum est, ut omnia vasa, in quibus debent poni medicinæ, vel aquæ, vel olea, sive super igne vel non, debent esse vitrea, vel vitreata. Si enim in vase cupreo ponantur aquæ acutæ, fient inde virides : si autem in ferreo, vel plumbeo, denigrantur et inficiuntur : si in fictili, penetrabunt, et destruentur omnia.

Septimum est, quod cavere debes ante omnia, ne apud principes vel potentes intromittas te de aliquibus operationibus, propter duo mala : si enim intromiseris te, tunc de tempore ad tempus requirent a te, et dicent : « Magister, quomodo succedit tibi ? quando videbimus aliquid boni ? » Et non valentes exspectare finem operis, dicent, nihil esse, truffam esse, etc., et tunc habebis tædium maximum. Et si ad finem bonum non perduxeris, indignationem perpetuam ex hoc acquires. Si autem ad finem bonum perveneris, cogitabunt perpetuo te habere, nec permittent te abire ; et ita illaqueatus eris verbis oris tui, et sermonibus propriis irretitus.

Octavum præceptum est, ne aliquis intromittat se de operationibus, qui non habeat expensas plenas ad minus, et ut omnia possit comparare, quæ ad artem sunt necessaria, nec non et utilia ; et si intromiserit se, et expensæ defecerint, tunc res et omnia amittet.

§ 4.

Quod furni sunt necessarii, et quales, et quanti.

Nunc videndum est, quomodo fiunt furnelli, et qui, et quot sunt necessarii.

Ad quod dicendum est quod furnelli debent fieri ad quantitatem operis. Si enim res tibi sunt sufficientes, et opus magnum volueris inchoare, tunc et majores construendi sunt. Si autem exiguum tibi fuerit, furnellos secundum quantitatem pulverum et medicinarum construes.

Volo tamen ponere doctrinam furnellorum, et quantitatem secundum quod expedit tam divitibus, quam pauperibus.

Primo ergo dicendum est de furnello philosophico. Statuatur fumus prope parietem, ubi ventus accedere possit : furnus vero distet a pariete per longitudinem brachii in hunc modum. Fiat fovea in terra ad ulnæ profunditatem, in latitudinem duarum spannarum vel paulo plus, quæ circumliniatur argilla magisterii, super quam constituatur murus per circuitum de eadem argilla.

§ 5.

De qualitate vel quantitate furni.

Recipe de argilla simplici, et appone ad quatuor partes quintam partem argillæ figulorum, et contere optime, et adde parum de arena, et iterum contere (aliqui apponunt consulto fimum equinum, aut saltem aquam, in qua ille fimus fuerit dissolutus) : quo facto, fac murum, ut dixi, super foveam in altitudine duorum pedum, vel parum minus, et ad spissitudinem spannæ unius, et permitte siccari, et tunc habeas rotam factam de argilla figulorum quæ ignem fortem sustinere possit, quæ undique sit perforata, habens quinquaginta vel sexaginta foramina, secundum rotæ quantitatem, ad modum digiti superius arcta, inferius vero ampla, ut liberius possit descendere cinis : inferius vero in terra fiat meatus per terram et parietem antequam rota superponatur, et ille sit arctus circa foveam, extra vero parietem amplius quasi ad unam spannam, ut ventus intrare possit ; qui meatus debet liniri argilla, quo facto superponatur rota, ita ut amplitudo foraminum sit subditus ; et tunc iterum fiat murus super murum, et

rotam ad spissitudinem spannæ : murus vero sit in altitudine super rotam unius brachii : furnus vero habeat foramen in medio super rotam, ubi carbones imponantur. Superius vero habeat foramen, ubi vasa calcinatoria imponantur : quod foramen cooperiatur postea cum coopertorio sibi apto. Furnus quoque habeat subtus (alibi, supra) foramina parva quatuor vel quinque in amplitudine trium digitorum.

Et hæc est forma furni.

Præterea, sciendum est quod super rotam debes ponere tripodem de argilla factum, super quo ponantur vasa calcinatoria, ut de subter ponantur carbones.

§ 6.

Quot et quales sint furni sublimativi, et unde?

Nunc videndum est de furnellis sublimativis, qui ad minus debent esse duo vel quatuor, et fiant per omnia cum rota, et meatu, et foraminibus, sicut furnus philosophicus, excepto quod non debent esse tantæ capacitatis : et isti debent simul stare, ut omnibus possint ministrare.

§ 7.

Quales sint furni distillatorii?

Furnelli distillatorii sic faciendi sunt : fiant ut supra de argilla : fiat murus rotundus super terram ad spissitudinem quatuor digitorum, in latitudinem vero trium palmorum : et habeat fornax per circuitum foramen in amplitudine trium digitorum : furnus vero sit amplior superius quam subtus id hunc modum, ut ejus figura demonstrat.

De istis furnis fiant tantummodo duo, qui sufficiunt ad distillandum. Vasa vero sint furnellis apta, alia ad distillandum, alia ad calcinandum, alia ad coagulandum, quorum formam ponemus in fine libri.

Reperies in *Cœlo Philosophorum* Ulstadii, etc.

§ 8.

De furno vitreariorum.

Furnus vitreariorum fiat cum cæteris in fine, qui satis est necessarius ad vitreandum.

§ 9.

Quomodo vasa fictilia devitreantur?

Recipe quodcumque vas volueris devitreare, scilicet vas de argilla bene combustum, et linito bene cum minio sic temperato : recipe aquam et impone de fermento cervisiæ vel vini quantum ad decimam partem aquæ, et misceas simul, et postea impone minium quantum volueris, et misce bene simul, et inde linias vas cum pinicello, vel cum manu, et permitte siccari : quo desiccato pone in furnum, concavitatem subtus vertendo, ita quod jaceat super duo ferramenta fortia, quæ in medio fornacis sint posita. Et si vis plura vasa imponere, melius est ut claudas os fornacis cum lapide et argilla, et fac ignem lentum primo ad spatium unius horæ, postea vigora ignem, quousque videas minium defluere sicut ceram : tunc cessa et permitte infrigidari, et tunc aperi et invenies vasa tua optime vitreata.

Hoc tamen nota, quod minium factum de cerussa decuplo plus valet ipsa cerussa, quam minium factum de cinere plumbi.

Data doctrina de furnellis, jam dicendum est de spiritibus et medicinis.

§ 10.

Quod quatuor sunt spiritus metallorum qui tingunt.

Sciendum ergo quod quatuor sunt metallorum spiritus, scilicet mercurius, sulphur, auri pigmentum, vel arsenicum, et sal armoniacum. Isti quatuor spiritus tingunt metalla in album et rubeum, id est in Solem et Lunam : non tamen per se, nisi prius præparentur ad hoc cum medicinis diversis, et non effugiant ignem : et cum steterint in igne faciunt mirabilia opera. Faciunt enim de Marte vel Jove Lunam, de Venere vel Saturno Solem.

Et ut breviter dicam, omnia metalla transubstantiantur in Solem et Lunam, quæ paria sunt omni naturali in omnibus operibus, excepto quod ferrum Alchimiæ non trahitur ab adamante : et aurum Alchimiæ non lætificat cor hominis, nec curat lepram, et vulnus ex eo factum tumescit, quod non facit ex auro naturali. In omnibus enim aliis operibus, scilicet malleatione, examinatione, et colore durat in æternum. De his quatuor spiritibus fit tinctura, quæ dicitur *Elixir* arabice, *fermentum* latine.

§ 11.

Quid sit Elixir, et quot metallorum transubstantiantur per hos quatuor spiritus?

Est autem *Elixir* nomen arabicum, latine vero significat fermentum : quia sicut panis fermentatur et levatur per bonum fermentum, ita massæ metallorum transubstantiantur per hos quatuor spiritus in album et rubeum, et maxime per mercurium, quia ipse est fons et origo omnium metallorum.

§ 12.

De generibus medicinarum et nominibus earum.

De spiritibus vero aliis et medicinis, quæ sint, et quomodo nominentur, sic est intelligendum, scilicet sal commune, sal alkali, sal nitri, sal borax, alumen zucharinum, alumen jameni, tartarum, atramentum : viride æris, lapis calaminaris, cuperosa, tutia, cinabrium, minium, cerussa, ova gallinarum, testæ ovorum, acetum, urina, cadmia, marchasita, magnesia, et aliæ res multæ, de quibus in hoc libro non habemus necesse.

Ista vero non tingunt, sed sunt adjuvantia spiritus ut citius præparentur, et citius solvantur, et cum aquis ipsorum terantur calces metallorum, et acquirant humiditatem rectificantem ipsa corpora.

Hæc autem quomodo præparentur, et ubi inveniantur, et calcinentur, et solvantur, et distillentur, per ordinem in sequentibus ostendemus.

§ 13.

Quid sit mercurius, et unde nascatur?

Est autem *mercurius* aqua viscosa in visceribus terræ, substantia subtilis terræ albæ per calorem temperatissimum unita tali unione æqualiter : ideoque fugit in superficie plana de facili, et propter aquositatem non adhæret, licet viscosam habeat substantiam, propter suam siccitatem, quæ illi obtemperat, et illum adhærere non permittit.

Est etiam materia metallorum cum

sulphure, scilicet lapis rubeus de quo extrahitur argentum vivum, et invenitur in montibus, maxime in cloacis veteribus in multa quantitate.

Natura ejus est frigida et humida, et est fons omnium metallorum, et ab eo procreantur omnia, ut supra dictum est. Creatur vero cum omnibus metallis, et miscetur ferro, et sine ipso nullum metallum deaurari potest.

Additio. Argentum vivum cum sulphure et sale armoniaco sublimatum convertitur in pulverem rubeum splendentem : et iterum ustum in igne, redit ad substantiam humidam et fluentem.

§ 14.

Quid sit sulphur, et quid operetur, et ubi inveniatur ?

Sulphur vero pinguedo terræ est in minera terræ per temperatam decoctionem inspissata, quousque induretur, et fiat spissa : et cum indurata fuerit, vocatur *sulphur*.

Fortissimam sulphur operationem habet, et est uniformis substantiæ in partibus suis : et ideo non aufertur ab eo oleum ejus per distillationem sicut ab aliis rebus oleum habentibus, sed per aquas acutas sulphur in ipsis decoquendo. Invenitur in terra, aliquando in montibus, aliquando in paludibus. Est etiam multiplex, scilicet album, rubeum, viride, citrinum, nigrum : et etiam quoddam mortuum. Vivum est illud quod de terra extrahitur mundum fusum, et valet contra scabiem. Mortuum vero est quod fusum est in cannis, ut invenitur in apothecis.

Additio. Sulphur igneam habet naturam, ipsum liquefit ut gumma, et totum fumus est.

§ 15.

Quid sit auripigmentum, et unde nascatur ?

Auripigmentum est lapis mineralis, et sic fit. Sterquilinium terrestre in cavernis terræ per longam decoctionem transit in substantiam auripigmenti. Duplex est in eo viscositas : alia subtilis, alia grossa : una tollitur per ablutionem et decoctionem ejus in urina, alia per sublimationem, ut inferius dicetur.

Additio. Auripigmentum est calidum, comburens, nisi candidetur. Auripigmentum sublimatum, cuprum in argenti speciem dealbat : idque super salis gemmæ partes quatuor, duabus salis armoniaci appositis, superius inferiori superpone : habens itaque tertio commutationem, videbis optatum.

§ 16.

Quid sit arsenicum ?

Arsenicum est de materia subtili, colorem habens sulphureum, et est lapis rubeus : natura ejus est sicut auripigmenti : flos ejus erit albus et rubeus : de facili sublimatur. Duobus enim modis albificatur, scilicet per decoctionem et sublimationem.

§ 17.

Quod sal armoniacum sit duplex.

Sal armoniacum duplex est, scilicet naturale et artificiale. Naturale est quod

invenitur in terra duplex, scilicet album et rubeum : quorum tamen utrumque extrahitur de minera dura et clara, saporem habens vehementer salsum, natura ejus calida et sicca. Est etiam lavativum, mundificativum et subtiliativum. Artificiale est melius naturali in opere nostro : et ipsum est nobilius omnibus salibus, et convertit Mercurium in aquam, quando cum eo assatur et teritur, et mittitur in aliquo loco humido ad solvendum : et cum ipso ferrum et plumbum solvitur. Ipsum quoque est oleum, quod congelavit siccitas ignis. Natura ejus est calida et humida, et est spiritus subtilis ad elixir : nam sine ipso nec solventur, nec ingredientur.

Et sciendum est, quod per ipsum non dealbantur corpora, nec rubificantur, nec transubstantiantur sicut per alios spiritus : sed ipse dat aliis introitum, et purgat, et mundificat corpora a nigredine : tunc relinquit ibi spiritus cum corporibus permistos, et coadjuvat eos, et postea recedit.

Additio. Aqua salis armoniaci sublimati, vel non, sed per filtrum, vel pluries per pannum subtilem et spissum colati cuilibet corpori calcinato in aliud corpus fusile præbet ingressum, si illud calcinatum sæpe in eo imbibatur, et postmodum congeletur, et ultimo pulverizetur et dissolvatur. Unde crocus ferri hoc modo præparatus, argento auri optimi tincturam præbet.

§ 18.

Quid valeat sal commune, et quomodo præparetur?

Sal commune est claviger hujus artis, quia claudit et aperit omnia, et sine illo nullum opus Alchimiæ perfici potest. Præparatur autem sic : Accipe de eo quantum vis, et solve ipsum in mortariolo cum aqua calida movendo, donec solutum sit, tunc cola per pannum spissum in vas lineum, et quod remanet supra fundum, iterum cum aqua calida, sicut prius, solve, donec totum sit solutum. Tunc aquam illam coque in vase vitreo, aut plumbeo, aut cupreo, donec aqua evanescat, et sal revertatur in priorem statum. Tunc accipe illud sal, et pone in ollam novam ad furnum calcinationis (olla debet claudi) et sicca optime, et serva usque dum doceam te qualiter debes solvere et distillare.

Additio. Non debet fieri in metallo, quia non est bonum, ut expertus sum, sed in vase terreo plumbato, ut dicit Geber in libro de *Perfectionis investigatione* in particula prima : « Dissolve sal in aqua calida, dissolutum distilla per filtrum, distillatum congela in vase apto cum lento igne. » Alii postea ponunt in furno calcinationis aut panis, et siccant optime, et servant.

§ 19.

Aqua salis cujuslibet.

Fit autem sal fundens sic : Recipe sal de petavia, et tere minute in mortario cupreo : postea imple quatuor vesicas multoninas, et liga illas cum corda per collum ut non respirent : postea habeas cacabum plenum aqua pluviali, et pone unum baculum in transverso cacabi, ad quem suspendes tuas vesicas, et submerge in aqua usque ad collum, et ibi dimitte per diem naturalem, deinde extrahe et cola aquam, extra quam intus reperies : et quod non est dissolutum repone in cacabo per alium diem ut prius, et tot vicibus facias, quousque totus sal resolvatur in aquam, postea distilla et congela : postea congelatum pone in patella terreo super ignem carbonum undique accensum. Bene tamen prius lu-

tato, et tunc dimitte in igne aut furno quousque ignis exstinctus sit : et postquam infrigidatum est, aperi tuum sal, quod erit ut metallum, et hoc fiat septem vicibus, et non minus.

§ 20.

Quid valeat sal alkali, et quomodo præparetur ?

Sal alkali est qui spectat ad artem istam, et quando bene præparatus est, tunc solvit omnes calces corporum in solidam massam. Natura ejus est calida et humida. Fiat autem sic : Recipe cineres quercus putridæ in magna quantitate, vel cineres clavellatos proprie, quæ habentur ad pannos abluendos, et contere minutissime, et accipe sextam partem de calce viva, et misce simul, et pone pannum spissum super tinam, et desuper pone cinerem cum calce mistum quantum pannus capere potest, et funde desuper aquam ferventem, et cola in lixivium, donec totam amaritudinem extraxeris : et tunc dejice istum stratum, et pone alium, et huic fac sicut priori. Habita autem tota aqua, mitte residere in eodem vase usque mane, et distilla per filtrum : tunc decoque eam in caldario, donec aqua evanescat, et non det fumum : tunc permitte infrigidari, et erit lapis durus, quod dicitur *Alkali*, id est, fæx amaritudinis : et tunc accipe hunc salem, et pone in ollam usque ad medium, et pone non clausum in fornacem, et dato ei in primo lentum ignem, quousque bulliendo non insaniat (sive saliat) : postea da illi fortiorem, quousque totum rubescat et liquescat, sicut cera : tunc defunde cum forcipe in aliam ollam incontinenter, quia si aliquid tardaveris, non poteris effundere, quia cito indurabitur : et tunc habebis salem alkali album, quem pone in vase vitreo in loco calido et sicco, quia si in loco humido poneres, solveretur.

Additio. Fiat autem aliter sic sal alkali : Recipe de cinere cujusdam herbæ, quæ dicitur *Soda*, et bene mole, et bulli in ollam cum aqua, et fac transire per caligam, sicut claretum, semel aut bis : deinde distilla per filtrum, postea pone in potto terreo novo, et ad lentum ignem congela primo, deinde augmenta ignem, quousque bene congeletur : tunc ponatur in loco mundo et sicco.

Alumen faseolum dicitur alumen alkali, alofor, et cinis clavellatus, aut ex eo factum.

Alumen jameni tere et solve in tribus libris aquæ urinæ distillatæ, deinde distilla per filtrum novum, deinde congela album, postea tere super marmor, deinde rora aliud marmor cum aceto distillato, et pone alumen illud tritum desuper inclinando marmor ab una parte, ut cadat in vase vitreo aqua clara, et terrestreitas maneat super marmor ut terra alba, et hoc fiat in loco frigido et rorido, et ponatur in vase vitreo bene obturato : hanc aquam potes congelare in levissimo igne humido : et cum hoc alumine fixatur spiritus, et cum hac aqua lavantur corpora calcinata.

§ 21.

Quomodo alumen albificatur, et solvitur in aquam ?

Accipe de alumine quantum vis, et pone usque ad medium vel minus in ollam, et claude vas, et pone in furnum, et primo da ignem lentum, et postea fortem, et permitte siccari per diem integrum in tali igne : postea extrahe quum fuerit infrigidatum, et invenies alumen albius nive, quod serva, quia ex ipso fit aqua ad album, super lapidem marmoreum in loco frigido et humido.

ADDITIO. Hoc modo dicto potest resolvi alumen quodlibet in aquam: vel terendo cum pauco salis armoniaci sublimati, vel positum ad dissolvendum super marmor, aut in fimo, aut in vapore aquæ calidæ, aut aliter.

§ 22.

Quomodo atramentum rubificatur, et solvitur in aquam?

Atramentum est terra nigra, odorem habens sulphureum, cum crematur in igne: mutatur ejus color niger in rubeum per calcinationem, quem numquam amittit de cætero. Recipe atramenti triti quantum vis, et pone in ollam usque ad medium, vel ad summum, et claude cum coopertorio, et argilla linias, et desiccatum pone in furno calcinationis, et da ignem primo lentum per tres horas, postea fortiorem tribus horis, donec tota olla rubescat, et in tali calore stare permitte per diem et noctem, et cave ne liquefiat, postea permitte infrigidari et extrahe, tunc habebis atramentum rubrum, quod vocatur *flos atramenti*. Reserva ergo: nam quando solutum est in aquam, tunc rubificantur spiritus et corpora cum eo colore rubeo, quem numquam amittent.

ADDITIO ad paragraphum superiorem de *Alumine*.

Alumen plumæ sic præparatur: Tere minute, et coque in vrina purgata, et imponas tantum aquæ vrinæ, quod superet alumen de duobus digitis, et coque quousque alumen sit dissolutum in aqua, postea distilla per filtrum, deinde congela et sicca inter duas patellas terreas super lentum ignem. Et sic debes siccare res, quas non potes ad solem siccare nisi sint spiritus: quia eorum exsiccatio est alia, et sic fit: Pone eum in vase undique clauso, præterquam superius, ubi sit parvum foramen ad quantitatem pisi, et vas cum materia pone in furno siccari, dum panis fuerit extractus, vel factus sit modicum calidior, et ibi dimitte per totam noctem, et in mane reperies siccum: et hæc præparatio dicitur exsiccatio. Quære in Aristotele de *Perfecto magisterio*.

§ 23.

Quomodo præparatur tartarum, ut oleum fiat ex illo, quo calces solvuntur?

Tartarum est res quæ multum valet ad istam artem, quod sic præparatur: Recipe tartarum crassum rubei vel albi vini, et imple ex eo ollam, et claude: postea pone in furnum, et da ignem primo lentum, postea fortiorem: hoc fac tribus diebus et noctibus, ita quod olla rubescat, postea extrahe et reserva, et docebo te oleum facere ex eo, cum quo solvere poteris omnes calces corporum et spirituum in aquam, et ipsa est unum de retinaculis.

ADDITIO. Non est bonum implere ollam in forti igne, et hoc sum expertus pluries.

§ 24.

Quomodo viride æris fit, et quomodo rubificatur, et super omnia valet ad artem istam?

Viride æris fit sic: Laminæ æris primo cum sale armoniaco et melle resolutis junctæ suspendantur super vapores aceti fortis in olla forti, et claude valde bene ne aliquo modo respiret, et ponatur in loco calido, ut acetum evaporet, et permittatur stare tribus hebdomadibus, vel quatuor, postea aperi, et invenies viride æris adhærere laminis: quod abrade et serva, et iterum suspende laminas super

acetum sicut prius, donec totaliter convertantur in viride æris : postea ad ignem positum calcina per omnia, sicut de atramento docui, et erit color rubeus, qui numquam destruetur : qui quando solutus est in aquam, cum ipso corpora et spiritus rubificantur colore perpetuo : et ipsum est unum de retinaculis spirituum : et in ipsa aqua sunt secreta multa.

Additio. Vel fic fit æs viride : Recipe limaturæ Veneris libram unam, vitrioli, salis armoniaci, ana libram semis, de omnibus cum forti aceto fac pastam, pone in vase vitreo in fimo equino : ibi putrefiet, et efficietur viride æris nobile.

Flos. Tolle patellam mundissimam de æramine, et suspendas super acetum acerrimum, et pone ad solem immobiliter : post quatuordecim dies aperies, et tolle ipsam patellam, colligesque florem, et facies jatim mundissimum. Nota quod Geber dicit in libro *Fornacum*, in cap. Lunæ, quod Venus debet esse purgata et dissoluta, et ex ea extrahitur sulphur mundissimum, tingens et fixum.

§ 25.

Quomodo fiat cinabrium, et de quo ?

Cinabrium est res nobilis, quæ ad artem spectat, et vocatur *usifur* : fitque ex argento vivo, et sulphure, sic : Recipe mercurii partes duas, et sulphuris tertiam partem, et contere ad modum vermilionis, et pone in vas vitreum, augustum habens collum, et bene linias ubique cum argilla ad spissitudinem unius digiti, et desiccatum pone super tripodem, et obstrue os vasis bene, et da ignem lentum fere per dimidium diem : post vigora igne melius, et sic assa per integrum diem, donec videas super fumum rubeum exire, tunc permitte infrigidare, extrahe et frange vas, et invenies cinabrium finum, bonum : exercitare ergo, et invenies veritatem.

Et nota, quod cum in cinabrio tibi visum fuerit, quod vas incipit superius sudare, aperi valde caute, et videbis fumum croceum exhalare, qui post modicam horam transformabitur in colorem rubeum sive cinabrii : postea accipe lignum et in ampullam mitte, et extrahe, et videbis : si satis sit, tunc permitte infrigidare.

Additio. Sed primo lavetur mercurius cum cineribus et sale, et per transitum rari panni. Similiter etiam sulphur bulliatur in vrina, et aceto, auferendo nebulam supernatantem, et post exsiccetur, scilicet per unum diem in aceto, et secundo in urina decoquatur. Sed vidi in scriptis istam : Recipe duas partes mercurii, tres partes sulphuris, quatuor partes salis armoniaci. Hæc Hermes.

§ 26.

Quomodo et unde fit azurium ?

Etsi *azurium* non sit necessarium in arte nostra, tamen de eo ponam doctrinam. Recipe duas partes mercurii, et tertiam partem sulphuris, et quartam partem salis armoniaci : hæc contere sicut docui de cinabrio, in vase vitreo positum : assa per omnia ut cinabrium : et cum videris per fumum vitrum blaveum, tunc satis est : et cum infrigidatum fuerit, frange vas, et invenies azurium nobile : tunc contere super lapidem sine aqua, et habebis ex eo expensas tuas.

Additio. Aliqui dicunt, quod vas vitreum debet manere apertum, donec materiæ humiditas exhalata fuerit super ignem. Vidi in quodam tractatu circa pondus azurii, viginti duo pondera mercurii, octo sulphuris, et quatuor salis armoniaci.

Item, vidi in alio tractatu poni unum pondus salis armoniaci, duplum sulphu-

ris vivi, triplum mercurii : lutato vase ponatur in fimo triduo, postea decoque, ut supra Hermes.

Adhuc alius modus : Recipe libram unam mercurii, sulphuris uncias quatuor, salis armoniaci uncias duas : contere et sublima, et fiet azurium ultramarinum lento igne.

Alius modus : Recipe mercurii drachmas duodecim, sulphuris vivi drachmas quatuor, salis armoniaci drachmas tres.

Aliter : Recipe duas partes mercurii : tertiam partem sulphuris, et octavam partem salis armoniaci : pulverizentur et ponantur in vitro lutato, et strictum collum habente, detur mediocris ignis per dimidium diem : et tunc fortis, et lutetur foramen, et si blavius fumus exiverit, satis est, etc. Alibi, viginti duo pondera mercurii, sulphuris octo, salis armoniaci quatuor : et fiat per omnia sicut *usifur*.

§ 27.

Quomodo fit cerussa, et unde ?

Cerussa sic fit : Recipe laminas plumbi, et suspende eas super vapores aceti fortis in olla forti, et claude vas, et pone in loco calido, et per omnia fac sicut fecisti de viride æris, et invenies cerussam laminis adhærere : quam collige et serva donec habeas magnam quantitatem, et inde fac minium.

§ 28.

Quomodo fit minium de cerussa ?

Minium de cerussa sic fit : Cerussam tere bene super lapidem cum aqua, et fac inde quasi pastilla, et pone in vas fictile formatum ad modum bacini non habentem rotunditatem vel longitudinem, sed prius pone ollam magnam super lapidem, vel super duos parietes ex argilla, ex altitudine unius spannæ, et super illos pone ollam, ita quod os ollæ super unum parietem jaceat, et fundus super alium, et tunc depone vasculum cum cerussa in medium ollæ, et illud cooperi cum alio vase sibi apto, et da primo lentum ignem, et postea fortiorem per dimidium diem : tunc permitte infrigidari, et invenies cerussam aliquantulum rubeam. Iterum fac sicut prius, terendo per dimidium diem, tunc extrahe, et invenies minium bonum.

§ 29.

Quomodo fit minium de cinere plumbi ?

Recipe ollam et pone super duos parietes, sicut docui supra et plumbum impone, et da ignem fortem : cum liquefactum fuerit, habeas cochlear ferreum longum, cum quo moveas continue, et cito incineretur : et hoc fac tamdiu donec incineretur totum : quod infrigidatum per pannum lineum, vel per strictum cribrum extrahe quod remanserit : iterum projice in ollam movendo ut prius, donec totum redigatur in pulverem subtilem, quem iterum cribratum super lapidem iterum tere cum aqua, et de ipso per omnia fac ut docui de cerussa, terendo, assando, donec habeas minium.

Amarius. Minium etiam sic fit : Recipe quinque aut sex libras Saturni, in quolibet patello, et facias fundi bene calidum, et move ferrum intus, continue, usquequo veniat totum in pulverem, et dimitte quiescere duas horas, tunc distempera in urina, et pone tres horas super ignem in patello bene calidum per octavam partem unius horæ, et dimitte ignem diminui per se ipsum, tunc habet rubeum colorem : et postea oportet iterum terere

super unam mensam, et iterum mittere in cannas, et ibi dimittere per unum diem ad lentum ignem competenter: et factum est.

Aliter: Recipe tertiam partem salis gemmæ, duas partes arsenici rubei, et tantumdem argenti vivi, et miscebis simul, et facies minium inde.

§ 30.

Quid sit sublimatio, et quot modis potest fieri?

Sublimatio autem rei siccæ per ignem est elevatio cum adhærentia sui vasis. Sublimatio vero diversificatur secundum diversitatem spirituum sublimandorum. Quædam vero fit cum ignitione, ut marchasitæ, magnesiæ et tutiæ : quædam vero cum ignitione mediocri, ut mercurii et arsenici : quædam cum igne remisso, ut sulphuris. Quædam vero sublimatio mercurii est, ut fiat despoliatio terrestreitatis illius, et aqueitatis mutatio. Est autem ingenium separata terra superflua sæpius commista cum rebus, cum quibus affinitatem non habet : et sublimationem ipsius ita reiterare sæpius : et horum genus est calx corticum ovorum, et marmoris albi, et vitrum tenuissime tritum, et omne genus salis præparati : ab istis vero mundatur, ab aliis vero non, nisi fuerint in perfectione corpora, sed corrumpunt potius, quia sulphureitatem habent omnia talia quæ cum ipso in sublimatione ascendentia opus corrumpunt. Et propter hoc si sublimas a stanno vel plumbo, post sublimationem ipsum conspicies nigredine infectum : ergo melior est sublimatio per ea cum quibus non convenit : melius autem esset cum eis cum quibus convenit, si sulphureitatem non convenit. Modus autem remotionis aqueitatis est, ut quando commiscetur cum calcibus cum quibus sublimari debet, teratur et commisceatur cum illis, donec de eo aliquid non appareat, et super ignem lentum aqueitas removetur : qua recedente, et secum aqueitas mercurii recedit, sicut in sequentibus sublimationibus spirituum docebo.

§ 31.

Quid sit calcinatio, et quot modis fiat?

Calcinatio autem est cujuslibet rei per ignem pulverizatio ex privatione humiditatis partes consolidantis. Calcinantur autem corpora a sua perfectione diminuta.

Calcinationes etiam sunt diversæ. Calcinantur corpora, ut sulphureitas illa defœdans et corrumpens deleatur : comburitur enim omnis sulphureitas ex quacumque re adustiva, quæ sine calcinatione deleri non posset. Specialis enim mollium scilicet corporum per eam ea indurare, sed manifestius imprimitur, et citius induratur. Causa vero calcinationis spirituum est, ut melius figantur et citius solvantur in aquam : quia omne genus calcinati fixius est, et facilioris sublimationis, quam non calcinati. Corpora ergo mollia per ignem de facili possunt calcinari : corpora vero dura per ignem vehementem, sicut in fine docebo.

Additio. Luna calcinatur sic : Recipe unciam unam Lunæ purissimæ, aut plus quantum vis, de qua fac laminas tenues sicut ungues manus, et tertiam partem salis communis communi præparatione præparati, et calcinati, et quartam partem de mercurio sublimato, et fac pulverem de dicto mercurio et sale simul tritis : postea cæmenta dictas laminas in sublimatorio, ponendo primum lectum de dicto pulvere, et secundum lectum de laminis dictis, et consequenter lectuatim : deinde fac sublimationem cum igne

lento, donec tota humiditas dictarum rerum mistarum evanescat : deinde claude bene orificium, et augmenta ignem per diem naturalem : et cave ne removeas vas ab igne immediate, sed dimitte infrigidari per tres horas : noli aperire vas donec sit frigidum, quia exhalarent spiritus : et dum vas est frigidum, remove, et extrahe mercurium sublimatum clarum ut crystallum, et pone ad partem, postea extrahe Lunam tuam cum sale communi relictam semicalcinatam, et tere simul salem et Lunam semicalcinatam super porfirium, si fieri possit : si teri non possit, pone in cassola vitrea, et cum aquis ferventibus separa totum sal, donec nihil salsedinis ad linguam sentias : tunc desicca calcem relictam in fundo paropsidis, et calcina iterum cum novo sale et mercurio sublimato quinquies vel sexies. Et in qualibet vice post calcinationem lava calcem Lunæ, donec nihil salsedinis in lingua sentias, et Luna tua calcinata sit albissima et mundissima, ut radii stellarum, taliter quod si fundas partem dictæ calcis cum borace, vel nitro cum bono sale alkali, invenies Lunam tuam conversam in aurum album.

§ 32.

Quid sit coagulatio, et ad quid fiat ?

Coagulatio autem est liquorosæ rei ad solidam massam per humiditatis privationem reductio. Causa vero inventionis ejus est mercurii induratio, et medicinarum solutarum ab aqueitate illis admista ablutio : coagulatur autem mercurius ex frequenti illius præcipitatione cum violentia ad ignis asperitatem. Asperitas autem ignis illius aqueitatem removet, et hoc fit in longo vase et arcto.

§ 33.

Quid sit fixio, et quot modis figantur corpora ?

Est autem *fixio* rei fugientis ab igne conveniens aptatio. Causa vero inventionis ejus est, ut omnis tinctura, omnisque alteratio perpetuetur in altero, et non mutetur : figuntur enim corpora a perfectione diminuta per calcinationem, quando solvuntur a sulphureitate volante et corrumpente. Figuntur enim sulphur et arsenicum duobus modis : uno modo per iterationem sublimationis super illa in aliis, vel quousque stent. Figuntur etiam spiritus alio modo, scilicet cum aquis metallorum, vel cum oleo tartari, sicut dicam inferius.

Additio. Recipe mercurii sublimati, salis armoniaci ana, sublima septies, vel quousque fundatur, tunc in fundo manebit lapis : illum tere et solve in loco humido, et fiat aqua : cum ista aqua imbibe arsenicum metallinum, tunc solve cum aceto distillato, et distilla septem vicibus, aut congela, et solve, fiet lapis.

Arsenicum autem fit metallinum fundendo cum duabus partibus saponis albi, et una arsenici. Aliter fit in libro *Fornacum* apud Geberum : ibi vide, si vis.

Sublima mercurium, aut sulphur, aut arsenicum præparata, aut plura illorum simul cum sale tartari, aut sale petræ, aut armoniaco, et hoc fiat toties, quousque stent fixa, deinde extrahe sal cum aqua calida.

§ 34.

Quid sit solutio, et quot modis fiat ?

Solutio autem est cujuslibet rei calcinatæ in aquam resolutio. Causa vero in-

ventionis ejus ut suum intrinsecum fiat extrinsecum, et e contra : et ut conveniens sit ad distillandum : sic enim purificatur omnis ejus corruptio. Fit autem solutio aut caliditate et humiditate, vel frigiditate et humiditate, sicut in sequentibus docebo.

Additio. Aliqui solvunt postquam fuit calcinatum, cum tanto sui ponderis de sulphure in crucibulo clauso cum aqua aut succo limonum.

§ 35.

Quid sit distillatio, et quomodo, et quare?

Distillatio autem est vaporum aquosorum in suo vase elevatio : diversificatur autem, quia quædam est sine igne, quædam vero cum igne : quæ cum igne est, duorum generum invenitur : quædam vero per elevationem, ut illa quæ sit per alembicum : quædam vero est per descensum, ut ea quæ fit per cannam, et per ignem vasibus superpositum, etc.

Causa vero generalis cujuslibet distillationis est purificatio liquorum a fæce sua. Videmus enim rem distillatam puriorem effici. Causa specialis aquæ puræ fuit imbibitio spirituum et medicinarum mundarum : ut si quando egemus imbibitione, aquam puram habeamus, quæ fæcem post illius resolutionem non habeat vel dimittat, qua medicinæ nostræ, et spiritus mundati infici possunt : causa vero inventionis distillationis est quæ per descensum cannæ fit olei puri in natura sua extractio, quando per sensum oleum in natura sua combustibile haberi non poterat, ut patet in petroleo. Distillationis autem quæ per filtrum perficitur inventionis causa, est solius aquæ serenitas.

Additio. Sublimatur mercurius sic : Recipe vitrioli exsiccati, salis communis calcinati ante unciam unam : pulverizentur et misceantur, addatur vice post vicem uncia una mercurii, conterantur ad invicem super aspergendo acetum distillatum parum, ut melius fortificetur, vel quod melius est parum aquæ fortis : quia melius fortificabitur, postea pone in sublimatorio. Et si sublimatorium fuerit de vitro, fiat mediantibus cineribus, et lutum sit de creta pulverizata cum farina distemperata cum albumine ovorum. Et si sublimatorium fuerit terreum, fiat super carbones, et sit lutum de argilla, calce viva cum stercore equorum, cum aqua salis et papyro optime madefacto.

§ 36.

Quid sit ceratio, et quomodo fiat?

Ceratio autem est rei non fusibilis et siccæ mollificatio. Ex hoc patet, quod causa inventionis ejus est, ut quod ingressionem non habebat ex privatione liquefactionis in corpus ad alterationem (seu incerationem) mollificetur, ut fluat, et ingressionem habeat. Putaverunt quidam cerationem ex oleis liquidis et aquis debere fieri, sed erroneum est : in nullis enim tota humiditas invenitur melius quam in sulphure et arsenico. Modus autem cerationis per illos est, ut totiens per rem cerandam multiplicetur eorum sublimatio, quousque in illud humiditatem invenientes, fusionem bonam præstent : hoc autem non fiet ante illorum perfectam mundationem ab omni re corrumpente. Sed melius mihi videtur, ut eorum olea prius figantur per oleum tartari, et cum illis oleis fiat omnis ceratio competens : et hæc de his suficiant.

Additio. Ceratio quidem est necessaria in omnibus Elixiribus tam spirituum quam lapidum, quam corporum : in hoc concordant omnes Philosophi. Modus cerationis est talis : Ceretur corpus donec

appareat ut cera mollis, et natet desuper aqua : solve in phiala sub fimo, post distilla semel, et remove fæcem, quia est aliquantulum nigra : deinde gela in fornace parva. Signa transmutationis sunt, si sumatur parum de illo Elixir post congelationem, pone in crucibulo super ignem, si fundatur, est bonum : si non, redeas ad regimen.

§ 37.

Quomodo mercurium præparabis, et super nivem dealbabis ?

Recipe de mercurio libram unam, et contere super lapidem sic : Recipe calcem corticis ovorum, sive calcem marmoris albi, sive viride æris, et pone ex eo super lapidem, et superfunde acetum forte, et contere in pastam : postea appone de mercurio parum, et contere donec nihil appareat, et iterum parum appone de mercurio et contere simul sicut prius, et appone parum de sale armoniaco : vel tere omnia simul, donec non appareat mercurius : tunc facies ex hoc frustula ad modum pastillarum, et pone in vas donec nihil appareat. Tunc fac ex eo pastillos, et pone in vas factum ad modum scutellæ, et pone ad siccandum in fornacem mediocriter calefactam, ne per nimium calorem mercurius evanescat. De mercurio sit libra una, de calce sit libra una, de sale armoniaco est mensura ut semper sumas tantum quantum de calce, et quantum de mercurio, et debet conteri donec nihil appareat de mercurio. Quum autem bene desiccatum fuerit, iterum contere sicut prius cum aceto, donec non appareat, et pone ad siccandum. Hoc autem est signum perfectæ contritionis, quum ipsius parum madefactum cum saliva super argenteum denarium inde linitum non adhæserit mercurius : si autem adhæserit, non est bene tritum. Quum autem satis fuerit, contere minutissime sine aliqua defectione, et positum in sublimationem, coopertorium superpone.

Hoc tamen non est prætermittendum, quum imposueris medicinam, quia superficiem ejus æque cum penna pectinando : et sic vas clausum cum argilla in conjunctione vasorum optime linias ne respiret, et positum super furnum sublimationis da ignem per dimidium diem lentum, donec ista humiditas evaporet : quod probabis superponendo laminam, donec exsiccetur : cum exsiccatum fuerit, claude cum argilla bene, et da ignem fortiorem, et in ultimo da fortissimum : et cum nox est, permitte infrigidari : mane aperi, et quidquid de eo vivum fuerit, apparebit in superiori parte aludel : altera vero pars jacebit supra fæces sicut nix, pulverizabile circa parietes inferioris vasis, aliquando in superiori vase, illud collige et reserva : vivum sicut prius contere cum fæcibus, et sublima donec habeas ipsum totum mortuum et pulverizabile, et ita contere totiens et sublima, donec habeas ipsum totum mortuum et pulverizabile. Tunc ulterius ne apponas ei aliquem liquorem, quia statim reciperet suam vivacitatem, et labor tuus esset inanis. Recipe tunc de sale præparato ut docui, et bene pura et siccata parte una, appone partem dimidiam mercurii sublimati, et cum manu misce simul, et pone illud in vas sublimandum, et plana superius et claude, et sublima sicut prius : mane extrahe, et quod sublimatum est collige et proba : si in fæcibus aliquid remanserit, hæc nota : accipe de fæce, id est de sale parumper, et pone super carbones, si fumigat, tunc secunda die idem sublima sicut prius per diem, et postea collige diligenter valde omnia ista sublimata : et tertio cum novo sale pone ad sublimandum : et sic fac sicut prius, et invenies super nivem dealbatum. Tunc proba si adhuc in fæcibus aliquid remanserit : et si aliquid remanserit, sublima donec totum habeas : tunc

accipe iterum novum salem, et fac sicut prius quater vel pluries usque ad fixionem, et serva.

Additio. A Talco etiam optime calcinatur. Magister Joide Meun in suo magno opere apponit etiam viride æris, quod tamen est contra Geberum in capitulo de *sublimatione mercurii* : quia dicit, quod sublimari debet cum his quæ sulphureitatem non habent, etc.

Modus sublimandi mercurium melior omnibus : Rasis in libro *Divinationis* qui est vigesimus tertius de septuaginta. Sume sal gemmæ partem unam, atramenti Ægyptii partem aliam, quas bene teras : deinde super eas jace argenti vivi quantum ipsæ sunt, et totum simul bene teratur : deinde ponatur in fundo alludel pergamenum, et super ipsum ponatur sal gemma assatus, cui superponatur medicina, postquam illa desiccata fuerit, quod nihil humoris sit in ea relictum : et accendatur sub eo prius ignis paucus : deinde augmentetur, donec argentum sublimetur vivum : postea ipsum sume, et optime tere, et sublima ipsum : sitque caput alludel in primis amplum, postea arctum successive et magis angustum, donec redeat sicut palma manus : sublimabitur enim sicut crystallus in partibus alludel sub scuto. De eo vero quod est super scutum, non fit lapis, sed erit pulvis albus : et hoc erit septem vicibus. Si ergo firmatum sit super ignem, et tabulam ignitam, erit bene, et si non, reitera sublimationem cum atramento et sale, ita quod super caput angustetur : ipsum enim curret (vel hæret) et facit tabulam albam, et argentum merum.

Si sæpius sublimaveris mercurium, in qualibet vice debes minuere quintam partem fæcum : si cum vitriolo et sale sublimes ut supra, debent assata esse.

Lutum quo juncturæ claudantur, fit ex cinere, argilla, sale communi dissolutis in urina. Aliqui cum albumine ovi et calce viva.

§ 38.

Quomodo solvitur, albificatur, et figatur sulphur ?

Primo decoquatur sulphur in aceto forti per diem integrum, sitque bene prius tritum super auferendo nebulam quæ supernatat : postea permitte siccari, et tere ipsum et pone tantumdem aluminis præparati ut docui, et projice in vas ad sublimandum sicut mercurium, sciens quod tantus ignis non est faciendus sicut mercurii, sed remisso et lento igne sublima per diem integrum : mane extrahe et invenies sublimatum et nigrum : sublima secundo, et erit album : sublima tertio et appone sal, et erit albissimum : itera ejus sublimationem tertio et quarto, et usque ad fixionem, et serva.

Additio. Sublimatur sicut arsenicum, sed majore indiget decoctione et longiori.

§ 39.

Quomodo albificatur auripigmentum ?

Auripigmentum debes terere et decoquere uno die in aceto, et alio die in urina : postea appone ei tantumdem de fuligine ferri, et misce bene simul, postea sublima ipsum, per omnia faciendo, ut de sulphure docui, et erit album.

Additio. Auripigmentum dicitur arsenicum citrinum. Auripigmentum aceto et sale præparatum quoad serenum sit exaltatum : quantum enim ad munditiem nullum melius. Rasis idem alibi : Sal super omnia præparat ipsum.

§ 40.

Quomodo albificatur arsenicum ?

Arsenicum vero est ejusdem naturæ cum auripigmento, sed non est necesse decoqui : tere igitur bene et imbibe, cum aceto forti (Rogerius dicit *aceto distillato*, videas ubi loquitur de *corporum calcinatione*) bis vel ter, vel quater, et toties desicca, et tunc potest servari in pulvere quod erit aptum ad calcinandum corpora : si vero vis sublimare, tere bene per se, et appone sibi tantum de fuligine ferri, et sublima septies vel pluries per omnia, ut de mercurio docui, et erit albius nive.

§ 41.

Quomodo præparatur sal armoniacum ?

Sal armoniacum sic sublima : tere ipsum bene cum tanto salis communis bene præparati sine omni liquore, et pone ad sublimandum cum lento igne per tres horas, postea cum forti igne per diem : mane extrahe, et quod sublimatum est reserva, et per omnia fac ut de mercurio docui : cum eisdem (alibi novis) fæcibus sublima bis vel ter, et serva ad partem.

Additio. De sale communi præparato dissoluto incera salem armoniacum, et post incerationem desicca, et hoc toties fac incerando et desiccando, quousque sal armoniacus recipiat de aqua salis quantum ipsum est : tunc eo utere. Sal armoniaco soluto in aceto et distillato per filtrum, et siccato ad solem appone tantumdem salis combusti in cluteo et cineribus calidis et simul terantur, absque alia imbibitione sublimetur, et erit sufficienter præparatum ad omnem dispositionem : quod probatur si liqueset absque fumo super laminam ignitam. Hæc Rogerius Bacon.

Alii sublimant cum sale gemma : sed illud sal debet esse optime siccatum ante ignem, et cum sale armoniaco subtilissime tritum.

Alii sublimant cum sale communi, et Talco præparato insimul tritis strato de sale communi præparato, et in circuitu sublimatorii, et sublimatur bene quater aut quinquies.

Præparatio salis armoniaci secundum Rasim : Recipe de sale armoniaco crystallino, tere cum tanto spumæ maris et sale nitro, et ipsum sublima, (in fundo alludel pergamenum pone, et super stratum salis assati) et sume sublimatum, coque ipsum positum in cannis in aqua, solvetur enim : distilla ipsum, aut solve ipsum in vesica, vel in kisti fellis super aquam, et distilla ipsum, et ex eo operare.

Salem armoniacum fixum solvere est difficile : imbibe ergo ipsum ex aceto et inhuma in fimo, solvetur enim, et distilla ipsum. Et cave tibi ne totam assumas aquam, sed tantum quantum posuisti de spiritu quem solvere voluisti, etc.

§ 42.

Ex qua substantia fiat ignis ?

Habita doctrina de sublimatione spirituum, restat jam videre de ignis substantia : dico ergo, quod ignis debet esse de carbonibus duplici de causa : prima est, quia minor est labor subjicere carbones quam ligna : secundo, quia ligna dant fumum multum, et propter fumum non bene posset considerari : finderentur a calore ignis, ut sæpius contingit, quando argilla non est bona, et quando vasa non sunt bene combusta, et cum scinduntur, statim exit fumus albus : quod facile videtur super ignem qui fit de carbonibus,

et quum vasa fumigant, statim deponantur ab igne, alias amitteretur sublimatio. Unde cavendum est ne fiat.

Nota quod superius vas, scilicet alludel, debet esse devitreatum, inferius vero non est necesse. Solet etiam quandoque medicina in scutella indurari, quæ non potest sublimari : unde non est dubitandum, sed secundo teri debet et apponi parum plus de fæcibus, et subtiliter sublimari, et erit bene sublimatum.

§ 43.

De fixatione spirituum, caput additum.

Fixatio sulphuris : Pulveriza illud, et liga in panno lineo, et bulli in aqua cum calce viva, primo ponendo calcem usque ad medium vasis, et residuum implendo cum aqua communi, et fac quod sacculus non tangat fundum vasis, sed stet in medio, scilicet bene ligando superius et inferius, apponendo parvum lapidem ut descendat et bulliat sic viginti quatuor horis, vel circa, super novam aquam calidam superponendo, dum aqua defecerit: deinde extrahe tuum sulphur, et fac bullire in aqua dulci, ut purgetur a calce, et factum est.

Aqua fortissima ad fixandum omnem spiritum : Primo rectifica aquam lapidis occulti albi, scilicet libras quatuor cum libra una calcis corticum ovorum inhumando et distillando, et hoc fac sæpius : deinde in illa aqua, scilicet in una libra cum dimidia appone uncias duas salis communis præparati in secundo gradu, et uncias duas salis alkali optime præparati, et unciam unam salis armoniaci quater sublimati, et unciam unam albuminis plumæ coagulati post suam præparationem : et omnes isti sales dissolvantur in ista aqua, et cum ista fixa omnes spiritus in cucurbitis duplicatis vasa bene lutando. Hæc Arnoldus.

Tamen cum istis salibus fit multa distillatio, et salium sublimatio, et cum fæcibus reductio, et in aquam ab eis distillatam resolutio, et hoc cum spiritu, et absque illis vasis duplicatis : et aliquoties in septima sublimatione spiritus erit fixus cum aqua virtute salium in fundo cucurbitæ, ut lamina ignitionem sustinens : et aliquoties in quarta sublimatione aqua erat fixata pro quarta parte sui, et oportebat addere aliam pro fixatione spiritus complenda.

Aliqui dicunt, quod ponendo mercurium sublimatum super laminam stanneam vel ferream in cellario, statim vertetur in aquam, quam per dissolutiones et congelationes res facilius fixatur. Aqua abstracta ab albuminibus ovorum, et deinde rectificata a calce corticum, alumine jameni, et sale armoniaco ana unciam unam, est summe fixativa spirituum super omnes aquas, ut infra sequitur.

Mercurius item fixabitur hoc modo : Tere in mortario mercurium sublimatum cum tartaro et sale communi crudi, et tunc sublima, et iterum tere et sublima, et continua usque decies, vel pluries, renovando in singulis contritionibus sal et tartarum : et exinde fixabitur mercurius.

Fixatur quoque mercurius in cucurbitis duplicatis in uno die cum oleo tartari superfuso, faciendo lentum ignem duabus horis primis, postea fortificando continue per diem, quousque nihil liquoris ascendat, quod probatur discooperiendo cucurbitam aut aperiendo foramen, aut desuper imponendo virgulam corili ad tentandum si in fundo sit adhuc liquor : quia si sit durum, tunc est fixatum : quod si non sit, fortifica ignem tribus horis, postea dimitte infrigidari, extrahe, tere, imbibe, et coque septies.

Aqua mercurii : Sume de sale armoniaco, et de maris spuma partes æquales, quas bene teras, et asperge de eis in cucurbita una, et pone argentum vivum desuper, et quod ex eo remanserit involve ipsum et distilla cum igne debili : et di-

stillabitur in primis aqua alba, in qua non est utilitas : postea ignem parumper vigora, et distillabitur aqua argenti vivi, sive fuerit in principio vivum, aut sublimatum. Omnes sales fixati fixant mercurium, similiter et sal armoniacus fixat simul sublimando, quousque mercurius fundatur.

Fixatur autem mercurius cum sale alkali, et cum calce corporum, aut cum utroque, et hoc in igne temperato, et vase ad hoc apto : quia ignis temperatus est humiditatis conservativus ad fusionem : excessivus vero, fusionis turbativus, seu impeditivus.

Fixari potest mercurius sublimando inter duas scutellas bene sigillatas, alternatim vertendo et ponendo scutellam inferiorem superius, et superiorem inferius quatuordecim aut quindecim vicibus, et tunc fixabitur. Aliqui dicunt, quod hoc debet fieri in vase ferreo, et iste modus est per ordinem ignis.

Si vis spiritus sublimatos fixos facere, solve calces corporum cum aqua salis armoniaci, et ex hac aqua imbibe eos, quia erunt fixi : qua ratione calcis figuntur spiritus, ut inquit Bacon.

Fixatio salis armoniaci. Calcem vivam impasta cum albo ovorum, et fac quoque duo crucibula, et conclude in eis salem armoniacum in peciis defractum, et circumda cum dicta pasta, et desicca : postea fac sibi aliam tunicam de luto sapientiæ, et desicca, et sepeli in cineribus calidis per duos dies et noctes, et erit fixum : tunc dissolve in aquam calidam, et si vis, cola et congela, et erit purum.

§ 44.

Hic incipit aperire et docere secreta hujus artis.

Jam docui te colligere diversos flores plenos odoramentorum bonorum, in quibus redolet sanitas et pulchritudo cum gloria hujus mundi : hic est flos florum, rosa rosarum, et lilium convallium. Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et collige flores, quia introduxi te in hortum Paradisi : facias ergo ex ipsis coronam capiti tuo, ut gaudeas et fruaris deliciis hujus mundi.

Aperui ergo tibi nunc sensum : nunc faciam te intelligere secreta hujus artis, et quod diu celatum est, nunc manifestabo in lucem.

Superius ergo sublimare et colligere flores ipsorum docui : nunc vero docebo ipsos plantare, ut fructum multum afferant, et fructus ipsorum in æternum permaneat. Docebo te figere pulveres sublimatos, ut in igne possint permanere et corporibus adunari et permisceri, et hoc duobus modis.

§ 45.

Hic docet figere pulveres, ut cum corporibus permisceantur.

Accipe ergo de quoque horum volueris libram unam vel duas sine omni alia re, et pone in vas fixionis, quod sit formatum super foraminibus ex argilla bona vitreariorum ad spissitudinem digiti, et non sit vitreatum, et claude rimas cum argilla bona, scilicet luto sapientiæ : quo facto pone super furnum sublimationis, et da ignem per diem integrum : et si sit æstas, quantitas ignis sit sicut mercurii sublimati post meridiem : mane autem facto, verte quod est superius deorsum : hoc fac ad minus duabus vicibus : tunc aperi, et vide si pulvis est fixus hoc modo : Pone de ipso parum super carbones, si dat fumum, nondum est fixus : si autem non fumigat, tunc est fixus : et hoc est signum de omni spiritu. Si autem non est fixus, repone super furnum, claudendo

ipsum vas sicut prius, et da ignem per quinque dies : vel tamdiu quousque audias sonum in vase, quasi lapillos cadentes, quod sæpius contingit, quando est nimis exustum : (alibi dicitur, ut probetur super laminam ignitam si fundatur et currat, vel non det fumum.)

Secundus modus est cum imbibitione olei tartari. Fit autem sic : Recipe arsenicum sublimatum, vel sulphur, vel auripigmentum, et contere super lapidem cum oleo tartari, quousque totum liquidum fiat : postea pone in phialam vitream, et pone ipsam in cineribus cribratis per cribrum bene, et pone vas cum cineribus super furnum distillationis, et da ignem primo lentum valde, quasi vorando, ne vas frangatur. Postea cum calefactum sit vitrum, fac majorem ignem, et sic desicca medicinam in vase aperto, si vis, sed melius concluso : quod superponas alembico recipiens aquam ab eo distillatam, quia ad multa valet. Desiccata medicina frange vas, quia alio modo non poteris excipere, et invenies pulveres induratos ut lapidem, quem tere bene ut prius cum oleo super distillando, iterum frange vitrum, et excipe, et tere bene, et pone in aliam ampullam, et pone in fimo equino calido per septem dies, et tunc solvetur in aquam : tunc pone vas in cineribus calidis, et coagula lento igne donec induret, et habebis spiritus fixos, et erit tinctura firma et permanens. Projice ergo de hoc pulvere unam partem super quinquaginta partes Martis calcinati, vel Veneris, et erit bonum in omni malleatione et examinatione.

§ 46.

Qualiter uno modo solvuntur spiritus in aquam ?

Solvuntur etiam spiritus duobus modis : uno modo docui cum oleo tartari, sed post septimam congelationem debet poni super lapidem marmoreum in cellarium valde humidum, ita ut inclinatus sit lapis, ut quidquid resolverit, statim descendat in vas vitreum superpositum.

Solvuntur alio modo spiritus in aquam, scilicet per aquam salis armoniaci, quæ sic fit : Pone ipsum, vel quemcumque alium salem præparatum super lapidem in foveam resolutionis, vel in cellarium vitreum, et statim resolvitur in aquam : cum hac aqua pulveres sublimatos solvendos tere. Hoc nota, quod postquam sublimatus fuerit mercurius, numquam misceri debet cum aliquo liquore, nisi cum aqua salis communis, vel armoniaci, vel oleo tartari. Tere ergo pulverem cum hac aqua septies, et toties desicca : postea pone pulverem tritum super lapidem, et sine dubio cito solvetur in aquam, quam reserva ad distillandum : corpora vero calcinata eodem modo solvuntur ut spiritus, scilicet flos æris, et flos atramenti, de quibus per omnia ut de spiritibus est faciendum, et quemlibet per se ad distillandum.

Additiones. Rursum (ad capitis principium refer hoc) ad omnem solutionem sal erit necessarium.

Rasis. Oleum aquilæ sic fit : Recipe libram unam salis armoniaci, et mole super lapidem cum urina quantum sufficit ad modum pastæ : tunc fac stratum primo de calce communi, secundo de sale armoniaco, tertio de calce : et super salem pone calcem ovorum in parva quantitate, et ad ignem pone fundendum, et cum fusum fuerit, depone ab igne, et super lapidem pone, et dissolve oleum infra quatuor dies, et pone in vase vitreo et serva. Aliqui impastant sal armoniacum, albumen ovi et calcem, faciunt pomum, et lutant, desiccant, et figunt in igne. Argentum vero vivum numquam solvitur, donec super ipsum ingrediatur sal bonus, desiccatus, aut tritus, aut alkali, et exstingue ipsum septies, et postea vivifica ipsum cum

aqua calida, et tunc solve ipsum: et nisi ita feceris, non solvetur:

Rasis. Sumatur aqua salis armoniaci sublimati ter vel quater, et imbibatur mercurius sublimatus ex hac aqua paulatim et paulatim, et post quamlibet imbibitionem desicca ad solem, vel ad ignem debilem: post claude os vasis firmiter, et pone in fimo, et stet ibi septem diebus: quod si non sit solutum, renova fimum per septem dies, donec sit aqua clara.

Oleum ad incerandum: Recipe salis armoniaci, salis communis ana partem unam, et duas partes calcis vivæ non exstinctæ cum pauco sugminis porci, et in vase vitreo pone et distilla ad lentum ignem: et quando completa est distillatio, iterum repone ad distillandum, et hoc ter: et hoc est oleum album ad incerandum elixir, et ad dulcificandum seu mollificandum calces metallorum, et omnia quæ serviunt ad opus album: sed hoc non debet hic esse.

Aqua mercurii fit ad unam unciam mercurii cum duabus unciis aquæ fortis, facta de duabus partibus aluminis puta jameni, et altera parte salis petræ. Aliter sic fit: Coagula mercurium sublimatum fundendo septies aut octies stannum bulliens super ipsum, qualibet vice cooperiendo crucibulum, ne fumus exeat, et efficitur nigrum, aut coloris olei: deinde tere optime super marmor cum pauco aquæ salis armoniaci, et pone in fimo: et cum solutum fuerit distilla, aut per filtrum, aut distillatorio: et cum hac aqua fit elixir cum calce Lunæ, et arsenio sublimato, et oleo albo Philosophorum.

Sulphuris dissolutio: Recipe mundati libram unam albi amizadir (sublimati), tantumdem aceti candidi sublimati, quod quinque partibus sulphuris sit æquale, in fimo ponatur, transmutando semper die tertio.

Rasis. Habes ad longum in Aristotele de *Perfectione*, in capitulo *separationis sulphuris*: Antizadir partem unam, spumæ marinæ partes tres, duas salis, urinæ partem unam, tere, cribra, in cucurbita repone, adjecto vivo argento quod satis est: deinde quoque leve et spaciosum adhibito incendium: quum candida manaverit aqua, ipsam operi, necessariam serva: inhumatio semper necessaria: cœnum quoque ad quatuor dies transmutandum, donec quod quæris ad oculum deprehendas. Sed puto istud Rasim dixisse corporis dissolutionem faciendam pro majori opere: ergo nota.

Mercurius secundo vel tertio distillatus ab alumine jameni vel rochæ solvitur per se ipsum super marmor in loco rorido vel humido: et melius credo si cum crudo poneretur.

§ 47.

Quomodo rubificantur spiritus in aquam rubeam?

Nunc videndum est qualiter rubificantur spiritus: Recipe ergo aquam rubeam atramenti distillatam, et cum ipsa imbibe spiritus (fixos) quos volueris rubificare, septies terendo, imbibendo, assando, et tunc pone ad solvendum super lapidem, et solvetur in rubicundissimam aquam.

Avicenna. Aqua rubea non debet distillari per distillatorium, nisi sit illa cujus color est fixus super ignem, alias distillaretur alba.

§ 48.

Quomodo aqua distillatur duplici modo?

Distillatio sic fit: Pone aquam quam volueris distillare in vas distillationis, et pone vas in cineres, ut supra, et distilla,

et hoc fit caliditate et sinceritate. Si autem vis caliditate et humiditate distillare, pone aquam in vas, in quo cineres prius fuerint, sive in caldarium super furnum distillationis, et in ipsam aquam pone fœnum, et desuper vitrum, et firma ne declinet ad aliquam partem, sed stet directe. Et summopere præcave, ne umquam frigidum vitrum ponas in aquam calidam, vel e contra : alioquin frangeretur, et amitteres laborem tuum. Et nota, quod quando vas vis excipere, debes permittere infrigidari cum aqua, facta distillatione. Hoc autem caveas in distillatione, ne aqua bulliat in distillatione. Et per hanc doctrinam distillationis omnes aquas reserva : hoc totum reserva quod sequens doctrina et forma ostendit.

Additio. *Aqua corporum* : Recipe calcem Solis aut Lunæ, et salis armoniaci sublimati ana, et insimul contere super lapidem : deinde sublimetur a calce corporum sal armoniacus, et reitera septies, conterendo et sublimando : tunc pone super lapidem ad solvendum. Aliqui tamen antequam subliment, imbibunt materiam, et conterunt cum aqua boracis dissoluti : et hoc faciunt septies.

Ad corpora solvendum in aquam : Corpora calcinata tere cum ana salis armoniaci et calcis corticum ovorum : tunc pone in phiala vitri ad lentum ignem, donec totum sit una massa : infrigida, et frange phialam, deinde pulveriza, et pone pulverem in loco dissolutionis. Sic etiam possunt spiritus sublimati in aquam resolvi super marmor, vel in fimo eum sæpe renovando. Si vero vis reducere in sua corpora, congela ad lentum ignem, et funde cum attincar. Aurum calcinatum cum sale, per acetum acidissimum solvitur in aquam rubeam.

§ 49.

Ad oleum distillandum.

Distillatio quæ fit per descensum cannæ talis est : Sume fictile vas formatum tali forma, et impone cineres, vel radices : vel ligna, vel lapides, ex quibus oleum vis distillare, et fac fossam in terra, et in ipsa vas pone subtus sculptum, et desuper vas cannæ, et claude bene ne respirent, et permitte desiccari : tunc obstrue vas desubtus cum terra : postea fac superius ignem lentum per unam horam, postea fortiorem augendo ignem de hora in horam, donec dimidiam diem compleveris, et permitte infrigidari, et aquam, et oleum distillatum reserva.

§ 50.

Coagulatio omnium aquarum sic fit.

Coagulatio vero omnium aquarum sic fit ex caliditate et siccitate : Pone ergo aquam, quam desiccare volueris in vas vitreum, habens angustum collum, et pone in cineribus super ignem lentum, et coagulabitur infra sex horas in laminam albam vel rubeam.

§ 51.

Quomodo calcinantur Sol et Luna ?

De calcinationibus omnium metallorum videndum est. Et primo de calcinatione Solis et Lunæ : Recipe ergo limaturas, cujus eorum volueris, et positas in aceto per novem dies extrahe, et ex-

siccatum tere in pulverem : postea affunde aquam, sal armoniacum terendo et siccando sexies : et tunc pone super lapidem, ut docui ad solvendum, et distilla, et serva : et de hac aqua pone ad aquas pulverum.

Hoc autem nota, quod aquas Solis debes ponere ad rubeam aquam, et aquas Lunæ ad albam.

§ 52.

De Cucurbita.

Cucurbita est vas quod debet stare in aqua, usque ad juncturam firmatum in caldario, ut non moveatur : nec cucurbita debet tangere fundum, quia frangeretur, et cum aqua minuitur, infundas aliam scilicet calidam et non frigidam, quia vas frangeretur.

§ 53.

Quomodo calcinantur alia metalla?

Accipe laminas et calefac eas, postea linias cum aqua salis, quia sal corrodit omnem humiditatem corruptam, quæ est in corporibus, et pone ibi vas fictile formatum in hunc modum : et imple laminis, et pone in furno calcinationis super tripodem, et suppone carbones, et fac ignem fortem, et sit furnus clausus : et cum rubescunt, tunc exstinguatur, ita tamen ne fluant : et in tali calore permitte stare, quousque per ignem destruantur : mane extrahe, et quod calcinatum est abrade et serva, et quod remanserit, iterum linias cum aqua salis, faciendo donec calcinatum sit.

Additiones. Calcinatio Solis et Lunæ fit per amalgamationem cujusvis, cum partibus mercurii et salis communis ana, ponendo super ignem lentum continue movendo, quousque mercurius evolarit : deinde lava cum aqua tepida, et per filtrum distilla, et invenies corpus tuum in calcem redactum. Calcinatio alia Solis et Lunæ, et aliorum corporum habetur in Aristotele de *Perfecto magisterio.*

Item, Calcinatio Solis et Lunæ duplex habetur in libro fratris Rogerii Bacon, qui intitulatur de *Modo componendi medicinam per æquationem elementorum*, in capitulo de *calcinatione corporum*, ubi etiam ponit calcinationes aliorum corporum.

Calcinatio auri : Funde ipsum, et fac inde laminas tenues, et imple crucibulum ferreum, et cooperi, et dimitte fundere cum sale communi, vel armoniaco aliquantulum præparato, et aceto mali granati, quia per acuitatem salium et aceti teritur in pulverem : deinde pone in furno panis per diem et noctem, et extrahe calcem rubeam citrinam, cui non est par.

Calcinatio argenti : Funde ipsum, et facias inde laminas, et imple crucibulum ferreum : tunc pone in crucibulo salem communem tritum aliquantulum, præparatum, donec sit plenum : cooperi et funde, quia cito funditur beneficio salis : postea tere, quia etiam bene teritur per salem, et pone in furno panis per diem et noctem unam, et extrahe calcem Lunæ, cui non est par.

Calcinatio plumbi : Plumbum funde, et exstingue in aqua salis communis, et aceto acerrimo albo, ita quod sal sit aliquantulum præparatus et solutus : postea exstingue in hanc aquam quadraginta vicibus plumbum fusum, deinde pone (tritum) in ollam oppilatam, crudam, argillatam : sicca in furno panis per diem et noctem : mane extrahe calcem nivei coloris ponderosam ut sal.

Calcinatio stanni : Funde et exstingue decem vicibus in aqua salis communis soluti in aceto acerrimo albo, misto cum

duabus unciis mellis apum, deinde tere et pone in ollam in furno panis per diem et noctem : extrahe calcem Jovis.

Calcinatio ferri : Tere et imbibe de aqua salis communis et aceto sorbarum, et mali granati, in quo solvatur sal, et sicca decem vicibus in cinere : post natet cum trituratione forti aqua desuper ad mensuram quinque digitorum, et pone sub fimo decem diebus, et solvetur : postea congela aquam per diem unam, et erit tincta : deinde tere et pone in furno panis per diem et noctem unam, et habebis calcem rubeam sicut sanguis : et est calx Solix, quæ dicitur *Crocus ferri*.

Calcinatio æris : Fac æris laminas, suspende in aceto forti cum tinaculis in olla posita in fimo decem diebus, extrahe et rade quod invenies, et hoc fac, donec finiantur laminæ : deinde ablue cum aceto, et frica suaviter, et quando videris aquam aceti optime viridem, cola per pannum, et fæcem projice, quæ est ejus crassitudo : deinde dimitte residere et cola, et accipe subtilitatem viridis æris.

Calcinatio argenti vivi ponitur in capitulo *sublimationis* [1].

§ 54.

Quomodo laminas Veneris calcinabis?

Laminas Veneris incide ad latitudinem denariorum, et linias cum aqua salis, et pone unum ordinem ad fundum crucibuli, sed prius involvas et revolvas ex utraque parte cum arsenico præparato cum aceto, et ita pone stratum super stratum, donec vas impleatur, et claude cum argilla ne respiret, et permitte desiccari, et tunc in furno calcinationis pone, et ibi bene per quatuor horas stet, ita ut totum vasculum bene rubescat : cave tamen ne Venus per nimium calorem fundatur et liquescat, quod sæpius contingit. Postea permitte infrigidari, et excipe, et invenies totam destructam : ita quod bene teretur in mortario, vel lapide. Tere ergo pulverem, et reserva, residuum vero quod non est calcinatum, iterum illinias, et melius calcina.

Additio. Ablutio æris rubei est, ut assetur cum medietate sui de auripigmento, deinde abluatur donec fiat purum, et fac ipsum descendere donec descendat ita album ut argentum : et mole, et utere eo : si non ita fuerit, tere ipsum et lava, et fac ipsum descendere donec sic perveniat.

§ 55.

Quomodo calx corporum reducitur in massam? Require etiam in libro Fornacum *Geberi*.

Reductio vero calcis corporum in solidam massam sic fit : Recipe calcem cujuscumque metalli volueris, et tere optime super lapidem, postea lava cum aqua calida bis vel ter, et turbulentum ejice : cum aqua pura descenderit, tunc satis est : tunc desiccatum optime tere, et appone aquam aluminis jameni mistam cum aqua salis communis, et tere fortiter, et imbibe cum aqua ilia toties imbibendo et desiccando, donec fiat calx viva et alba (et hoc ad album) : et ita removeantur omnia sulphurea accidentia ab ipsa, quæ contraxit in terra : postea tere semel cum aqua alkali, et cum desiccatum sit, pone in vasculum, scilicet crucibulum, et claude bene cum argilla, et fac foramen parvum in una parte, ut exeat massa quando fusa est : et pone in furnum, et sufflando da ignem vehementem, ut cito fundatur : et cum fusa fuerit, aperi

[1] Vide supra, § 30.

foramen, et effunde materiam in canale ferreum, ubi sit sepum infusum, et videbis massam albam, et gaudebis. Et hæc massa potest recipere tincturam albam vel rubeam, quia mundata est ab omni corruptione. Si autem ad rubeum laborare volueris, imbibe calces metallorum cum aqua rubea ex flore æris, sive ex atramento, sive minio facta, et fac per omnia ut supra dictum est : ultimo cum aqua alkali, et effunde sicut docui : et erit massa rubea, et gaudebis.

Additio. Aliqui dissolvunt nitrum et alumen in aceto, et cum illo lavant nigredinem calcis.

Alii reducunt Venerem sic : Recipe salem alkali, et salem nitri, et dissolve in urina puerorum, et cum hoc impasta calcem Veneris, et pone ad ignem lentum, donec sit aliquantulum siccum : postea fortifica ignem, donec sit reductum : deinde ignias, et in oleo communi exstingue quatuor vicibus, et habebis Venerem similem Lunæ, aut saltem fixam. Calx autem Veneris fit cementando cum sale communi, donec teri possit et lavari.

§ 56.

Hic incipit primo operari.

Recipe ergo in nomine Dei pii unam partem mercurii albi, et secundam partem sulphuris, et tertiam partem arsenici : hæc omnia misce simul, et appone dimidiam partem aquæ argenti, et pone in vas vitreum, et calefac ipsum superius cum ferro candenti, donec vitrum liquescat et congeletur : tunc pone in cineribus super ignem, et congela : quum autem congelatum fuerit, erit tinctura fixa ingrediens per mistam coagulationem conjunctiva, adunativa, perseverativa. Pone ergo de hac tinctura unam partem super centum partes ferri vel cupri purgati, et erit semper bonum sine dubio, in omni malleatione et examinatione, et durabit in æternum.

Additio. Nota hoc, quod tinctura debet dissolvi et admisceri corpori calcinato, et in aquam converso : et dum aqua miscetur aquæ, numquam ab invicem separantur, quemadmodum modicum vinum rubeum multam tingit aquam.

Vidi alios tractatus, ubi hoc caput non erat, sed sequens solummodo.

§ 57.

Qualiter ex supradictis omnibus perficitur Sol et Luna ?

Recipe unam partem mercurii sublimati et fixi, aliam arsenici fixi, et tertiam partem calcis Lunæ : quæ super lapidem bene tritura, et imbibe cum aqua salis armoniaci, et hoc ter vel quater terendo, imbibendo, assando, ut supra : et pone similiter ad solvendum : et quod solvitur reserva : et quando non est solutum, tere melius, et appone modicum salis armoniaci, et ita solvitur totum. Quum autem totum solutum fuerit, pone ad distillandum, et distillabitur totum, sicut docui, in aquam calidam. Cave tamen ne in cineres ponas ad distillandum, quia induraretur pro majori parte, et iterum oporteret te solvere ut prius. Cum autem tota sit distillata, pone in cucurbitam vitream, et coagula, et erit substantia alba, dura et perspicua in modum crystalli liquescens super ignem ut cera, ingrediens et permanens. Pone ergo de ipso unam partem super centum partes cujuslibet metalli purgati et calcinati, et erit bonum in omni tempore. Caveto autem ne tingas cum illo aliquod metallum non purgatum, quia tinctura evanesceret post duas vel tres examinationes.

Annotatio. In libro Aristotelis de *Perfecto magisterio* dicitur : Sublimati

mercurii et calcinati, quod puto idem esse quod fixi : quia calcinari non potest, quin primo sit fixum : et nisi esset calcinatum, non posset solvi. Circa finem aliqui dicunt debere apponi aliquod oleum album Philosophorum ad incerandam illam medicinam. Si spiritus fixus non possit ingredi, adde de suo simili non fixo, et dissolve, et congela, et intrabit, etc. Sic etiamsi corpus calcinatum non possit reduci in corpus, adde de suo simili fundendo cum illo, et sic reducetur. Ovum Philosophorum divide in quatuor partes, quarum quælibet habet unam naturam, deinde compone ipsum æqualiter proportionaliterque, ita quod non sit in eo divisio nec repugnantia, et habebis propositum Domino concedente.

Iste modus est universalis : sed ego dividam tibi illud in operationes speciales : dividitur itaque in quatuor : et duobus modis fit bene et sine corruptione. Quando ergo habueris aquam ex aere, et aerem ex igne, et ignem ex terra tunc habebis. Dispone ergo substantiam aeream per discretionem, et dispone substantiam terream per humiditatem et caliditatem, donec conveniant et conjungantur, et non discrepent, nec dividantur : et tunc adjungas ei duas virtutes operativas, scilicet aquam et ignem, et tunc complebitur opus : quod si permiscueris aquam solam, fiet Luna : si conjunxeris ignem, rubefaciet, Domino concedente.

SCRIPTUM SUPER

ARBOREM ARISTOTELIS.

Hæc est figura cœli, quæ *sphæra cœli* nuncupatur : quæ quidem sphæra continet in se octo nobilissimas figuras, scilicet figuram primam, quæ *primus circulus* appellatur, et est circulus deitatis, quia continet in se verba divinitatis. Secunda figura continet in se septenarium numerum planetarum. Tertia figura corruptibilia et generabilia in se continet quatuor elementa. Quarta figura Draconem sævissimum continet emanantem a prædicto septenario numero planetarum. Quinta figura caput et mortem ipsius Draconis continet evidenter. Sexta figura quæ tangit arborem, sex facies continet, et duo animalia, videlicet ciconias. Septima figura quæ tangit arborem cum planetis, ubi sunt litteræ albæ, *septus circulus* nominatur. Octava figura ad instar fulgoris solis arborem auream cum suis radicibus in se continet radiantem.

Harum figurarum primæ figuræ, videlicet circuli divinitatis, expositio hæc est, quod ideo tali nomine appellamus, quia divinitatis nomina, id est sacræ paginæ instituta, et jura legalia et naturalia quæ a Deo infallabiliter creduntur emanasse, sunt ibidem circumscripta.

Secundæ figuræ, videlicet Saturni et aliorum planetarum, explanatio hæc est : Nam Saturnus sua frigiditate et siccitate format Draconem. Jupiter vero præstat Draconi suam caliditatem digerendo ipsum in quamdam substantiam lutosam apparentem, quæ est plena caliditate et igneitate, et ideo non adhæret tangenti. Mars vero sua caliditate et siccitate dividit ipsum Draconem, et facit ipsum transcurrere per cœlum. Sol vero colligit ipsum, et facit ipsum aliquantulum vivere, quia ipse est pater creaturarum, et Draco prædictus diligit ipsum propter suam caliditatem, ac tincturam, et suavissimum odorem, qui redolet in eo. Venus vero sua caliditate et siccitate congregata, disjungit hinc inde membra Draconis transmittendo punctionibus multis per omnes juncturas eum pungendo, et ipsum Draconem quasi mortuum dimittendo. Mercurius vero et Luna eorum humiditates super ipsum infundentes, vivificant ipsum, quia faciunt ipsum vivere, currere, ambulare, et sibi colorem mutare in speciem sanguinis. Et in principio nigrum apparet, et in medio declinans ad albedinem, et in fine rubicunditas est declinans in colorem capitis sui.

Tertiæ figuræ quatuor elementorum corruptibilium et generabilium declaratio hæc est : quod ideo ipsa corruptibilia et generabilia nominantur, quia semper corrumpuntur et generantur, et quia alterantur ad invicem propter caliditatem et siccitatem, frigiditatem et humiditatem. Et ideo ars et artifex materiam istorum elementorum disponit, ea dividendo, et ad invicem conjungendo, removet ea ab eorum mortifera natura, et tunc mutata est qualitas eorum : quia calidum et humidum est nutritivum, propter caliditatem et humiditatem, quæ in eo est. Frigidum et siccum quæ in eo erant, et

frigidum, et humidum, sitibundorum est refrigerativum, et infirmorum curativum : quia aperit oculos cæcorum, et aures surdorum, et mundat leprosos, et extendit nervos, et venas aperit, et mortuos resurgere facit.

Quarta figura est Draconis emanantis a prædictis septem planetis, quia ipse procedit per subtilissimas influentias decurrentes in elementa : et deinde in cœlis sua materia sparsa, in nubibus habet suum ergastulum : deinde cum aqua pluviali, et grandinibus iterum descendit in terram, conglutinat se cum ea, facitque sibi novam pelliculam. Et sic incipit serpere in cavernis terræ, et semper tendit ad ima si aliquid eum non impedierit, vaditque usque ad aquas marinas : exinde egreditur, si nullum sibi impedimentum fuerit occursum, quousque ipse videat polum secundum : et exinde removetur et revertitur ad primum. Sic numquam desistit ambulare, quia odit lucem, et semper quærit se abscondere a radiis solis, et propterea venenosum est, et non potest homo ipsum interficere sine majori veneno.

Quintam figuram nominamus de capite ejus, et de morte ipsius Draconis. Caput ejus vivit in æternum : et ideo caput denominatur vita gloriosa, et angeli serviunt ei. Et hanc imaginem posuit Deus in paradiso deliciarum, et in ea posuit suam imaginem et similitudinem, et ibi Draco pugnavit cum imagine Dei, quousque fecit eam incidere in mortem : et ideo Deus dedit tantam potestatem isti imagini, ut ipsa possit interficere istum supradictum Draconem : et ideo talis imago fuit inserta serpenti, et est caput ejus, quia totum corpus sequitur caput, et ipsum caput odit corpus, et interficit ipsum incipiendo a cauda cum dentibus ipsum corrodere, quousque totum corpus intret in caput, et in eo permanet sempiterne.

Sexta figura continet sex facies et duas ciconias cum proprietatibus suis ibi apparentibus : quarum prima facies quæ permanet in sublimibus, colorem optimum ostenditur habere : secunda quæ in aquis natat, diminutionem naturæ a prima declinat : tertia quæ in antro, carbonis similitudinem habens, malam digestionem significat cum superflua humiditate, et pessima fœtulentia quæ in ea est. Et ideo manu artificis oportet eam lavare cum elemento aquæ in ventre ciconiarum igne supposito, donec aer in ore et in capite ciconiarum ascendat, et per rostrum faciat eum evomere, quousque caput nigrum Æthiopis portans similitudinem, fuerit bene lavatum, et inceperit albescere : et tamdiu hoc faciat, quousque rubicunditas suprema appareat.

Septima figura, quæ *sextus circulus* nuncupatur, quique circulus tangit arborem cum figuris septem planetarum, ubi sunt litteræ albæ, melius est tacere quam loqui insipientibus de ea : quia in ea manet illud arcanum pretiosissimum, thesaurus omnium Philosophorum sapientium. In ea est transmutatio omnium corruptibilium et generabilium omnium lapidum pretiosorum. Ibi sunt thesauri absconditi innumerabiles, et nemo scit nisi cui Deus voluerit revelare. Ibi invenitur lapis duello, onychinus, carbunculus, topazius, amethystus, et beryllus, et panthera : et est quoddam cœlum vitreum simile crystallo, ductile sicut aurum. Et ideo reges terræ portant ipsum in capitibus suis : sapientes mulieres abscondunt illud : virgines fatuæ publice portant illud, quia deprædari desiderant : pontifices et sacerdotes, religiosi et moniales lacerant ipsum, quia sic fuit eis imperatum a lege divina : mercatores terræ et agricolæ cum eo divites facti sunt : et nautæ portant illum ab Oriente usque in Occidentem : et in insulis quæ sunt in Meridie magis viget.

Octava figura quam supra nominavimus, arborem auream est continens cum septem ramis et radicibus apparentibus : quam quidem arborem *figuram Solis* nuncupamus, quia reges gloriosi tenent

illam, et pugnant propter eam, et multi afficiuntur morte. Et ideo ille magnus Alexander Imperator, Philippi Macedonum imperatoris filius, in itineribus suis invenit eam in ultimis regionibus, et ibi invenit sepulcrum Hermetis, patris omnium Philosophorum, plenum omnibus thesauris non metallicis, sed litteris aureis scriptis in tabula Zaradi, quæ quidem scriptura continetur in ultimis libris, quos Galenus composuit, et invenit quamdam arborem sitam ab extra, intus tenentem viriditatem gloriosam : super eam ciconia pulcherrima ibi sedebat, quasi se appellans *circulum lunarem* : et ibi ipse ædificavit sedes aureas, et posuit terminum itineribus suis idoneum.

Faciamus finem in nostra figura cœli. Sciat lector, quod talis figura magis est in existentia, quam in apparentia.

INDEX

Paragraphorum in libello de Alchimia.

INDEX

OPERUM QUÆ IN HOC VOLUMINE XXXVII CONTINENTUR.

Sancti-Amandi (Cher). — Ex Typis DESTENAY, Bussière fratrum.